

# COMOEDIA

*ACOLASTI, TITULO INSCRIPTA de filio Prodigo, authore Gulielmo Gnaphæo, gymnasiarcha Hagiensi: atq; Gabrielis Prateoli Marcoßij commentarijs illustrata. Tanta quidem diligentia, cura, & copia, sententijs à Terentio & Plauto petitis, ut ijsdem ipsis authoribus interpretandis, potißimúmque Terentiò, non parum conducant.*

Adiecto indice singulorum vocabulorum, ac rerum in ea contentarum locupletisśimo.

*Verba prodigi resipientis. Luca 15.*

Pater, peccaui in cœlum, & coràm te, iam non sum dignus vocari filius tuus.





Cum priuilegio Regis.

PARISIIS,

*Apud viduam Mauricij à Porta, in clauso Brunello, sub insigni diui Claudij.*

1554.

PAr priuilege du Roy donné à la veufue Maurice de la Porte, & Ambroise de la Porte, Libraire iuré de l'Vniuersité de Paris: est permis d'imprimer, ou faire imprimer & vendre ce present liure, intitulé Comœdia Acolasti, titulo inscripta de filio Prodigo, authore Gulielmo Gnaphæo, gymnasiarcha Hagiési: atque Gabrielis Prateoli Marcossij commentariis illustrata. Et sont faictes deffenses à tous autres de non en vendre n'imprimer ou faire imprimer autres que ceulx que ladicte veufue, & Ambroise de la Porte auront fait imprimer, iusques au temps de six ans prochainement venants, à compter du iour & datte de la premiere impression qui en sera faicte. Soubz les peines cõtenues es lettres sur ce faictes, & données à Paris, le trentiesme iour de Ianuier, l'an de grace mil cinq cens cinquante trois.

PAR LE ROY,

Le seigneur de Draqueuille, maistre des Requestes ordinaire de l'hostel present. Signées.

BVRGENSIS.

Et seellées du grand seel sur simple queuë.

## ORNATISSIMO, GRAuissimóque viro, domino Carolo Mariliaco Venetẽsi episcopo, atque Sãcti patris ad Meledunũ abbati: regi quoque à consiliis, à legatis, & à libellis integerrimo, Gabriel Prateolus S. P. D.



*Statueram, Antistes amplissime, post laborum meorum aut omnino, aut magna ex parte impetratam defunctionem, quos quindecim annis, aut plus eò, excolendis iuuenum animis, inque bona studia promouendis impenderam, ad nil aliud quantulumcunque superat aeui, quàm ad sacram Theologiam, velut disciplinarum omnium solidam absolutámque scientiam adiungere: nisi hinc me aliquot huius facultatis professores distraxissent. A quibus profectò ijs superioribus annis, tanta oborta est difficultas & molimen, in admittendis ad excusionem aliquot libris à me cùm Gallico tum Latino sermone aeditis, vt hinc omnino me vel inuitum pepulerint: & in triuialia studia Grammatices, Rhetorices, ac Philosophiae, ingenti cum taedio tot impensarum vigiliarum, relegauerint. Non quidem illi (vt opinor) Marci Tullij ratione ad id agẽdum impulsi, qua dictitat, quicquid literis mandatur, id commendari omnium eruditorum lectione decere. Vtpote le-*

*ctionem sine vlla delectatione negligi: & qui cogitationes suas literis disponere & illustrare non posit, hominis esse intemperanter abutentis & otio, & literis. Aut certè quòd in eisdem meis libris quippiam inesse dicerent, quod horum temporum factionem sapere videretur. Hac enim suspitione illos prorsus vacare, ingenuè fatebantur. Sed solam ob hanc caussam respuendos censebant, quòd illis non arriderent tot librorum emissiones: asserentes porrò nimios æditos esse, atque ex eorum voluminum turba, quæ quotidie prodit in lucem, veterum eruditionem propemodum offundi, eorum lucubrationes rescindi, eorũ denique famã eripi, quam omnium consensu iam olim obtinuerunt. Quod quàm sit (meo quidem iudicio) à ratione alienum, bonarum literarum candidati viderint & iudicent. Edicto quidem statuerat fœlicis ille memoriæ Franciscus Valesius, haud pridem Gallorum rex, idem quod Atheniensibus quondam Platonem fecisse tradunt, Nempe vt ob immensum illud errorum agmen, quod in dies latius in hanc nostram obrepebat ætatem, qui deinceps emitterentur libri, eorum ipsi Theologi, vt viri integri, doctrina quoque & eruditione, vita & moribus cũ primis spectabiles, eam denique ad rem haud imperiti, censuram susciperent, dispecturi num quid in illis esset hæreseôn. Quò sanè petulantiæ quorundam sciolorum effrenatiore licentia in ecclesiasticas sanctiones scribendi abutentiũ, cautum esset & succursum. Non autem, vt quique præclarè, piè, doctè, grauiter, & (vt vnico verbo cuncta complectar) christianè æditi libri, citra patentissimam rationem, pro eorum ita supprimerentur arbitrio, & moderamine: in eorúm ve tandiu detinerentur manibus inexcusi, cùm dispiciendi inuisendíque illis of-*

*feruntur, ſpecie expungendorum ſi qui ſint in eis contentorum errorum. Alioqui bonas literas (eam ob cauſſam ſtudioſo quolibet ab illis abhorrente) languere, exareſcere, & (vt verius dicam) prorſus intermori, ac excidere neceſſum eſſet. Cùm alioqui dicat Cicero in Bruto, oportere eruditum hominem ſemper aliquid ex ſe depromere, quod alios doceat, moueat, delectet, aut ſeipſum laudibus illuſtret Quod languentem labentémque populum aut ad decus excitet, aut ab errore deducat, aut inflammet in improbos, aut incitatum in bonos mitiget. Quod denique quemcũque in animis hominum motum res & cauſſa poſtulet, eum dicendo, ſcribendóque, vel excitare poßit, vel ſedare. Quum itaque Theologicis finibus hac ſola de cauſſa me abactum conſpicerem, ne prorſus interim ignauo inertique otio tempus tererem, adactus fui, ab equis (quod dicitur) ad aſinos tranſcendere, hoc eſt, rurſus me in ea reuocare ſtudia, velut in tutum propugnaculum murúmque tranquillitatis, quæ aliquanto vſu & exercitatione deſueta remißáque, retenta tamen animo fuerant. Vnde cùm tandem hinc & hinc meo in muſeolo meditabundus, & meis iam pridem dictata diſcipulis, & ſeriò ſcripta peruolutarẽ, in hanc forſan Prodigi Comœdiam præter alia incidi. In quam, cùm illis prælegerem, quadam vice commentarioli inſtitueram, imò veriùs excerpſerã ſcholia: hac ratione pertẽtans, num, illam vt pleraque alia, ad meliorem frugem, quàm hactenus inter homines verſata eſſet, reuocare poſſem: aut certè familiariorẽ apertiorémque ex difficili reddere. Sed vbi exactius preßiúſque quàm antehac perpendi, quantam in rem ad manſuetiores literas aſpirantibus illa & doctrina, & oratione foret: hoc eſt, quantam illis materiam ſuppeditaret cùm*

*ab exotica barbarie resiliendi, & eius loco optima amplexandi studia, tum denique ad prauos ipsorum mores in melius commutandos (si quidem pro viribus instar prodigi malo agnito ad fruges se recipere conarentur) non abs ratione dissonum, imò operæprecium me facturum existimaui, si quæ districtius collegeram, in planiorem commētationum formulam redigerem. In quod sanè pro mei ingenioli captu, tanta sagacitate, facilitate, copia, diligentia, & sollicitudine incubui, vt nullus sit futurus, qui hinc in ea ipsa Comœdia contentas loquendi formulas, parœmias, metaphoras, dictionum denique vim & originem, nō facili consequatur negotio. Quod & eò feci libentius, quòd eiusmodi loquendi formulæ, & metaphoræ, essent magna ex parte, à Comicorum omnium facilè principibus Terentio, & Plauto petitæ. Adeo vt qui hunc Acolastum intellexerit, sit statim illos, (nempe ex quibus hæc omnis Comœdia ferè deprōpta est) propemodum intellecturus. Intantum hic illius author, operam dedit, vt ea cum illis & oratione & stylo certaret. Quod & ex eiusdem Terentij Comœdijs, quas sedulò in his meis commentationibus aduoco, in procliui erit colligere. Nullam etenim ipsius (vt qui cō-munius passim ab optimo quoque præceptore, ob elegātiam & familiaritatem sermonis, quàm quiuis alius ex Comicis prælegatur, omniúmque teratur manibus) autoritatem, sentētiam, aut verbum quidem, in eis aduoco, cuius Comœdiam, Actum, & Scenam, è quibus illa desumpserim, velut prætento digito, non indicem. Quò fit quidem, vt meæ deprecationis veniam à candido lectore facilius impetrare debeam, si præter operis institutum, in his quandoque & laxius euager, & fusius expatiar. Hoc nempe ex composito à me factum*

fuisse, ingenuè fateor. Partim quò hanc ferè totam Comœdiam ex eo ipso Terentio atque Plauto desumptam commonstrarem, partim quòd adagiorum & dictionũ nodi, qui in ea sunt quàmplurimi, argumenta rerum, exornationes sententiarum, amplificationum formæ, orationis denique virtutes & lumina, sine laxamento & copiosa enarratione, enodari ac explicari non possent. Simul quòd meorum commentariorum lectores, in his explicandis quæ ad hanc Comœdiam attinent, ad alios autores euoluendos relegare nolem, vt mos est plerisque hac in re versantibus, qui hinc plus sæpenumero laboris ac tædij quàm adiumenti lectoribus parere consueuerunt. Eo nihilominus tẽperamento cuncta exequi conatus sum, vt studiosus lector non multũ superesse sit existimaturus, si ea qua par est animi trutina & moderatione, & qua huiusmodi fictiones & cõmentaria legenda veniũt & accipienda de fido interprete, legerit, & acceperit. His itaque absolutis, quũ aliquandiu apud me volutassem, cuius potissimũ patrocinio, fauore, ac præsidio freta emitti possent, quò obtrectantiũ sycophantiæ eluderentur facilius, tu vel omniũ, de quorũ fama hac tẽpestate ad studiosos quosque vel amplexãdos vel iuuãdos audierim, dignissimus mihi primus occurristi. Nimirum vt hæ meæ lucubratiũculæ, parũ fortasse plausibiles, amplissimũ aliquod augustimũque nomẽ exeuntes in publicũ præ se ferrent. Tũ quòd à clarissimo viro non parũ lucis accepturas satis cõsiderẽ, & probari putarem, si tibi æquissimo cẽsori non displicere intelligerẽ. Neque enim fœlicius mecũ actũ iri censebã, quàm si illæ, qualescũque sunt, in tuo noĩe auspicatò apparerẽt: quæ & vtinã appareãt. Vale antistes integerrime, Lutetiæ Parisiorum 12. Cal. Nouemb. anno 1554.

# GVLIELMVS GNAphæus Hagienſis, Ioanni Sartorio Amſtelredamo. S. D.

QVVM ſint mi Sartori, hoc noſtro tã docto ſeculo viri egregiè docti, qui omne diſciplinarũ genus tractent, verſent, & excolãt, demiror Poëſim Comicam ſic iacere neglectam, ſic porro intactam relinqui, tanquam res ſit inimitabilis, & cui opera parum vtiliter collocetur. Quod ni ita habere videretur, nõ tam velut coniurati bonarum rerum ſcriptores, inde temperarent manus. Laudata eſt Comœdia Tullio, vt humanæ vitę ſpeculum: celebrata eſt doctorum virorum calculis, ſed indignè, ſi ipſa indigna ſit, quam multi conentur, vel imitari, vel ad viuum exprimere. Habet hęc ætas noſtra ſuos Tullios & Liuios, habet ſuos Vergilios & Demoſtenes, vt Solones, Hippocrates, & Chryſoſtomos taceã, Menãdros & Terentios nullos habet. An eò ſit, quia ſublimior eius rei habeatur tractatio, & non niſi ſummis ingeniis digna? Errat mea quidem ſententia, qui ita cenſeat. Nam vt comœdiarum argumenta è media hominum vita petuntur, ita & tractari facilè poſſunt ob ſtyli mediocritatem, dicam an facilitatem? potiſsimum ab iis, qui hominum ingenia, mores, & vitam ſic habent meditata, vt ea pro decoro queant exprimere. Porrò autem, vt hanc ego glaciem audax perfringerem, tentaui quid noſtra, qualiſcúnque tãdem ea ſit, Thalia daret. Argumentum delegi ex ſacris, quod in comœdię formam cogi poſſe iudicarem, præterquam quòd hîc res ſubinde in nimis tragicas exeat exclamationes, idque præter comicas illas leges, quas nobis tradidit Flaccus. Quod quidẽ crimen leuius eſſe duxi, quàm à ſenſu & rei dignitate recedere. Malui enim pietatis reſpectui, quàm literaturæ decoro alicubi ſeruire. Iam rem ipſam ſic proſequuti ſumus, ſic ſtylum temperauimus, vt nihil habeant Sycophantæ, quod calumnientur. Habeant autem literatores pij, quòd affatim

doceant,& moneant bene. Multos noui ad hanc palæstram instructioribus animis esse, quos cupiam ad id genus studia accingere. Quo in loco & te, & Gulielmum meum Niueldium habeo, vt alios præteream, mihi non perinde notos. Quare sub tuam, mi Sartori, ferulã hic noster Acolastus (sic enim illi nomen fecimus) venit: venit vt pro meritis suis tractetur. Hoc enim onere dudum leuari opto, liberum tibi facio, vt eum quibus visum est modis exerceas. Tam mihi non sum Mæuius, tã mihi non ignosco, vt deformes catulos pro formosis tibi cupiam ostentare. Audiui quendam Reynerũ Snoy medicũ in eodem versatum argumento, fortasse etiã multò fœlicius. Id si ita est, pgratũ mihi fuerit si vir ille suũ poëma in lucem emittat, atque ipse ridicula quædam Reyneri simia appaream: tantum abest vt cuiusquam gloriam, nedũ Reyneri, aut velim aut possim obscurare. Multo autẽ maximam gratiam inturus es vel tu, vel meus Niueldius, si modo hunc decoctorem Acolastum ad veram frugem correxeris priùs, quàm sub aliorum oculos propinetur deridẽdus. Consilium mihi erat, amplius in his tyrociniis præludere ad veram comœdiographiam, nisi malitiosa quorundã inuidia ea mihi studia inuidisset, qui calumnia armati sua, ludo & ocio literario me pepulerunt, exturbarunt, & nescio in quæ odia rapuerunt. Vt non desunt præclaris vbique rebus suæ pestes, & bonis viris sui Satanæ. Quod ad metri rationem attinet, illud pro licentia comica, vt varium, ita & liberum fecimus. Propterea quòd comicam phrasim conueniat ad familiarem & solutam orationem quàm proximè accedere. Sapphicum carmen præter morem iniecimus eo in loco, vbi res ita poscere videretur. Quòd si iuuet comœdiam hanc publicè spectandam exhibere, haud malè instructam in hoc fabulam es habiturus. Quippe docebit pariter & delectabit, nisi me fallit mea Philautia, maximè postquã tu eam reddideris tuo dolatorio leuigatiorem. Quam operam rudi & crasso operi non es negaturus, spero. Vale. Tuus Gnaphæus.

# INDEX SINGVLARVM vocum, ac ſententiarum.

Elegans

F

G

## N

O

T

Finis indicis.

# PROOEMIVM, IN quo definitur quid ſit fabula, & quæ eius partes.

MArcus Tullius in oratione, quam pro Roſcio Amerino habuit, ea potiſsimùm ratione, permulta cõficta à poëtis aſſerit, vt effictos noſtros mores in alienis perſonis, expreſſámque imaginem vitæ quotidianæ videremus. Fit enim plerunque (quemadmodum idem ait Philippica prima) vt ij, qui boni aliquid volunt afferre, effingant aliquid, quo faciát id quod nuntiant lætius. Id porrò præſtat fabula: eáque trutina àb emũctæ naris & ingenio perſpicaci hominibus conficta eſt, nimirum ad compendiũ hominum & feſtiuitatem, atque adhortationem, ad bonam frugem, vnde quidam eam finientes, aiunt orationem ementientem quidem eſſe, ſed quæ imaginem præferat veritatis. Ea verò videre eſt tanta ſæpenumerò animi voluptate capi, tantóque imbui documento à perdita vita reſiliendi, potiſsimùm rerum imperitos, rudes, rupium incolas (vt verbo Suetonij vtar) & incultis moribus homines, vt quod plerunque animi cauſſa confictum eſt, in ſeſe illi ſæpius retorqueant. Suos inde barbaros, incultos, agreſtes, ſpurcos, obſcœnos, petulantes, & ab ratione deuiantes mores, in concinniorem ſtatum commutent. Ferociores animos ita ſedét, vt ad obſequij ciuilis pelliceantur diſciplinam. Priſtinam demùm in gratiam cum ſuis redeant. Quò quidem fit vt (Marco Tullio teſte) ſcenici plus videantur habere prudentiæ, pluſque videat hiſtrio in ſcena, quàm non videt ſapiẽs

*Fabula.*

in vita. Huiuſmodi eſt illud, quod vulgò fertur de humanis membris in ventrē bellum gerentibus, quo loquuntur Meneuium Agrippam imperitum quidem illum & ignobilem vulgum cum patribus in gratiam reduxiſſe. Aut certè illud, cuius meminit Horatius: Olim quod vulpes ægroto cauta leoni. Aut hæc denique parabola, quam Chriſtus ſub inuolucro quodam Iudæis obiecit. Cuius alioqui myſterio patefacit ille, quàm meritam ſibi mortē accerſat: qui quadam animi proteruia & rebellione, diuinis mandatis refragatur. Rurſus quanta ſit diuina clementia, quámque commendabilis bonitas, quæ ſibi tandē notiorem redditum hominem, tam liberali vultu, támque ceu fronte quadam porrecta ad ſe ſupplicem recurrētem ſuſcipit, ſua ipſius commiſſa haudquaquam illi aut imputans, aut exprobrans.

*Tria fabularum genera.* Porrò fabulæ tria potiſsimùm eſſe genera, & à rerū fortunarúmque, ac tēporum ordine dicta, ex veterum ſcriptorum monimentis facilè colligitur. Vnum, quod tragœdiam *Tragœdia.* appellarunt illi: ob id nimirum, quòd tum (vt ferunt) qui eam ædidiſſent, tum qui æditæ actores in proſceniis eſſent, capro, aut hirco donarentur pinguiſsimo. huc ſanè (quantum coniector) adducti, quod quemadmodum primis illis mortalibus numē Liberi patris erat venerabile, adeò vt per carmen inchoatum, illius laudes, factáque inſignia gratiarum cum actione celebrarēt ſedulò, proferrēntque: ita pro terræ fructibus iam collectis, tum illi, tum reliquis diis grata vota perſoluentes, eo animali cumularentur, quod eſſet vitibus maximè noxium, eas abrodēdo, & morſum inurendo: & quòd ob hanc rem maximè exterminatum iri flagitarent. Vel certè, quòd (vt author eſt Donatus) hircina pellis muſto plena, ſolenne, & ingens præmium cantoribus eſſet. Cuius quidem rei meminit Virgilius in Georgicis in hunc modum:

*Non aliam ob cauſſam Baccho caper, omnibus aris*
*Ceditur, & veteres ineunt proſcænia ludi.*

Et item reliqua, quæ illic de hac re fuſiſsimè pādit. Nonnullorum verò eò tendit opinio, vt adſtruant tragœdiam *Tragœdia & comœdia veteris inuentores.* ab amurca olei fæce nuncupatam, quòd priuſquam perſonarū vſum reperiſſent, Theſpis & Aeſchylus ſcænici (quos alioqui ferūt omnium mortalium primos tragœdias in lucem protuliſſe, quas & primò perſonatos egiſſe Minutium

& Prothonium tradunt, ficut Cintium & Falifcum comœdias) huiufmodi fabulas ora fæcibus perliniti, ne à vulgò agnofcerentur ob colorum diuerfitatem, agitarent. Quod & Horatius ita in arte poëtica teftatur,

*Ignotum tragicæ genus inueniſſe Camœnæ*
*Dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis,*
*Quæ canerent, agerêntque perunƈti fæcibus ora.*
*Poſt hunc perſonæ Pallæq; repertor honeſtæ*
*Aeſchylus, & modicis inſtrauit pulpita tignis,*
*Et docuit magnúmque loqui, nitíque cothurno.*

Porrò quę ad huiufmodi texendas, & in lucẽ edendas trãgœdias eos impulerit, hæc afsignatur ratio. Cùm enim qui cordatioris erant animi, & à natura velut optima duce ad benè beatéque viuendum concinnius formati (velut cum primis Athenięſes, quibus alioqui hoc poëma adprimè fuit familiare) reliquos perpenderẽt à natura duce deficere ad vitia, quo hæc tandem eorum retunderetur, ac coërceretur lafciuia, id genus fabulæ commenti funt, quo eà ipfa vitia palàm feuerifsimè carpentes, refipifcerent illi, fuófque mores finiftros aut inde prorfus tollerent, aut certè in melius commutarent: ni fua culpa malent pœnam fubire infamiæ, aut cæteris effe fpectaculo probróque domeftico. Quod profectò fagaci mente confiderantes, hoc videlicet nõ vulgariter prauis moribus coërcẽdis prodeffe celeberrimi poëtæ Eupolis, Cratinus, Ariftophanes, & Lucilius, celeberrimas quidem illas, acerbifsimas nihilominus, in eandem rem conducturas comœdias ediderunt, quas nos antiquas adpellamus, eáfque tam alto elegantíque ftylo exaratas, vt vix quid reperiatur oratoribus fimilius, aut ad oratores creandos aptius. Quibus fanè non folum priuatorum hominum vitia, fed & principũ quoque acerrimè infectati funt, non fine magno vtrorúmque opprobrio & contumelia. Vnde Horatius in Sermonibus:

*Athenienſes.*

*Comœdia antiqua.*

*Eupolis, & Cratinus, Ariſtophanéſque poëtæ*
*Atque alij, quorum comœdia priſca virorum eſt,*
*Si quis erat dignus deſcribi, quod malus, aut fur,*
*Aut mœchus foret, aut ſicarius, aut alioquin*
*Famoſus, multa cum libertate notabant.*
*Hinc totus pendet Lucilius hoſte ſecutus.*

Id verò cum aliquãtifper vim obtinuiffet, & iam cœpif-

ſent fabularũ authores rigidiùs multò, licétiúſq; quàm par eſſet, hoc ſcribendi genere abuti, hoc eſt, paſsim cõplures ſyncerę etiã ac integræ vitæ homines lædere ex ſua ipſorũ libidine, bonóſq; pariter ac malos, aut liuore perciti, aut mercede cõducti nominatim, ſine delectu perſtringere, lege ſãcita ne quis deinceps infami carmine alterũ inſectaretur, ceſſarunt, vt his verſibus idẽ probat Horatius in arte Poëtica:

*Succeßit his vetus comœdia, non ſine multa*
*Laude: ſed in vitium libertas excidit, & vim*
*Dignam lege regi. Lex eſt accepta, chorúſque*
*Turpiter obticuit, ſublato iure nocendi.*

Verùm ne quid intentatum relinquerent poëtę, vt puta ingenio ardentes & ſpectati natura, alterum ſubinde fabulæ genus confinxerũt: donec mens exaſperata, & fama populi læſa aliquantulum à furore conquieſceret. Hoc autẽ ſatyrã nuncuparũt, à ſatyris, diis vtiq; laſciuis ac petulãtibus, ínq; libidinem propenſioribus, quòd imprimis in hoc carminis genere, res ridiculæ pudendæque ſcriberentur, queãdmodum proferri à ſatyris ſolẽt. Tum vel quòd in antiqua ſatyra introducerentur ſatyrorum perſonæ, aut ſi quæ forent ridiculæ, ſimiles ſatyris. Ea autem fabula ſatyrici poëtæ aperta reprehenſione atq; communi, nec minus acri obiurgatione in vitia ſuorum potiſsimum ciuium, imitata fere veteris Comœdiæ acerbitate ac licentia, præter carminũ genus, numeróſque, & aliquando propriorum nominum, maximè viuentium titulũ, inuehebantur. Autores verò fuere Lucilius Romanus, Horatius, Iuuenalis, Perſius. Sed cùm rurſus non ſat ciuibus arriſiſſet, quòd alioqui ſuſpicarẽtur illi mutato nomine de ſe fabulam narrari, tertium item fabulæ genus commenti ſunt, quod omnem prorſus veteris Comœdiæ acerbitatem aut mitigaret, aut prorſus tolleret. Cuius quidem autores apud Græcos extitere Menander, & Philemon, & Apollodorus. A quibus, quicquid poſt Romani poëtæ ſcripſerunt, ceu ex limpidiſsimus fontibus deprompſere. Appellarũt autẽ hoc genus fabulæ Nouã Comœdiã, ἀπὸ τοῦ κώμου, id eſt, à commeſſatione, ſeu vico, & cantu: quòd videlicet olim in huiuſmodi fabulis amantiũ iuuenum cõpotationes & conuiuia canerentur. Siue quòd (vt ait Varro) in vicis iuuenes, mediocri fortunã, cantare quæſtus gratia ſoliti eſſent, crebro cõuenientes. Hanc verò

*Satyræ origo.*

Comœdiam sic eos texuisse constat, vt parum à communi hominum mediocris & priuatæ fortunæ vita discreparet: nil amaritudinis spectatoribus, sed contrà voluptatis quàm plurimùm adferens: vtpote qui in hoc maximè dederint operam, vt ea sedulò foret cōcinno elegantíque argumēto, consuetudine haud incelebri, sententiis venusta, gratis lepidísque distincta salibus, & apta metro. Vnde quidam eam finientes, dixerunt esse priuatæ ciuilísque fortunæ sine vitæ periculo comprehensionem. Aliis verò placet, esse fabulam diuersa complectentem instituta, affectúmque ciuilium, ac priuatarum rerum: qua discitur quid in vita sit vtile, quid contrà euitandum. Quæ vtraque finitio, eodem ferè recidit, ex qua & patētissimè liquet, quid inter tragœdiam & comœdiā sit discriminis, cùm illam Diomedes adstruat esse heroicæ fortunæ comprehensionē, ingentes subinde personas, heroas scilicet & reges habere, magnos quoque timores, & exitus funestos ac infœlices, quēadmodum ex Euripidis dicto palam est. Qui roganti Archelao regi vt de se tragœdiam scriberet, abnuit, precatúsque deos est, ne quid illi accideret tragœdia dignum. Comœdia cōtrà mediocres & priuatas, ciuiléſque (quemadmodum diximus) fortunas hominum complectitur, paruos deinde impetus & leuia pericula: continens lætos ac fœlices exitus actionum. In hac præterea (vt verbis Donati vtar) turbulenta prima, tranquilla ac placida vltima, in illa ordine diuerso agitur. Fugiendam vitam tragœdia exprimit, comœdia capessendam. Hæc de fictis argumentis comminiscitur: tragœdia è regione sæpe ab historica fide petitur. Cæterùm Marcus Tullius, & Liuius Andronicus, is videlicet, qui primus ex Græca in Latinam linguam trāstulit, diffiniuit comœdiam esse imitationem quotidianæ vitæ, & speculum atque imaginem veritatis. Nec id quidem immeritò. Nam quemadmodum cùm quis attentius propēsiúsque intendit speculo, veritatis lineamēta per imagines facilè colligit: ita quoque lectione comœdiæ imitationē vitæ, consuetudinis formam, humanorúmque consiliorum ac euentuum imaginē quandam haud ægrè perpendimus, & animo imprimentes faciliùs, assequimur. Gaudent nempe (vt Quintilianus ait lib. nono rhet. instit.) res varietate: & sicut oculi diuersarum aspectu rerum magis detinentur: ita semper animi præstant

*Comœdia quid.*

*Tragœdiæ & comœdiæ differentia.*

*Comœdiæ finitio.*

in quod velut nouũ ſemper intendant. Quibus (inquit Philippus Melanchthon) velut admoniti prudentius iudicemus de rebus humanis, & genere orationis facũdiam locupletemus. Nam præterquam quod honeſtiſsima ciuilium morum exempla illic proponuntur, ad parandam dicendi facultatem mirificè conducunt. Ob quam quidem cauſam quadrifariam partiti ſunt veteres omniũ fabularum argumenta, vt ita digeſta facilius aſſequatur iuuentus, in prologum, Protaſin, Epitaſin, & Cataſtrophen.

*Comœdiæ partes.*

*Prologus.* *Protaſis.*

Eſt autem prologus, velut præfatio quædã & præambulum, quod germanam fabulæ eloquutionẽ antecedit. Protaſis, initium eſt, & primus actus fabulæ, quo pars euentus rerũ elucidatur & euoluitur, pars ſubticetur, ad populi expectationem tenendam: ne quo adueniente nouo ſpectaculo auolet, ſed deſiderio dubij exitus videndi detineatur.

*Epitaſis.*

Epitaſis, eſt incrementum proceſſúſque turbarum omnium, ac totius (vt ita dicam) motus erroris, atque argumenti inuolutio.

*Cataſtrophe.*

Cataſtrophe, conuerſio rerum eſt ad lætos exitus, gratiámque ſingulorum, & conciliationem mutuam tendens, patefacta cunctis, ac explicata geſtorum omnium cognitione.

*Stataria comœdia.*

Porrò autem cum omnis comœdia ſit aut ſtataria, id eſt, vbi actores non nimium diſcurrunt, neque ſolliciti, aut commoti ſunt, neque exclamationibus aut indignationibus ſeſe vexant: aut Motoria, vbi contrà mouentur omnia: aut Mixta, in qua mixtim hæc ſunt, adeò vt neque nimia quies, neque nimia ſit cõmotio: hæc noſtra (quam inculti quidem & inconditè conditi commentarioli acceſsione commentandã ſuſcepimus) maiori ex parte motoria eſt: ídque præſertim in perſona Pelargi, & Acolaſti in ſuis deplorationibus, poſtquam omni re ſpoliatus eſt.

*Motoria.* *Mixta.*

*Comœdiæ huius argumentum.*

Complectitur verò actus proterui & in pium patrem rebellis, & ex hinc ab eodem patre, quæ illũ contingebat accepta ſubſtantia, in longinquam regionem illius profectionis, vbi quidem luxu & alea eandem ſubſtantiam meretricibus conuiuendo, fœdè prodegit. E regione retegit longè optimi patris in filiũ velut toto pectore effuſi, & in nos ad cor ex præuaricatione redeuntes, Dei Opti. Max. velut imagine oculis prodita cõmendabilem pietatem, bonitatẽ, & clementiam. Hic itáque per patrem prodigi, in hac comœdia primas partes

tenêtem, ſcitiſsimè exprimitur ſollicitudo, feruénſque animi commotio (vt fert ſenectus, & eſt omnium patrum erga ſuos liberos ingeniũ) propitij parentis in minus obſequentes filios. Exprimitur & ſagaciſsimũ Eubuli, ex alterius mœſtitia (quod in propinqua parte amicitiæ eſt) commoti conſilium de numeranda pecunia, qua faſtuoſus filius ablegetur, vt hinc in calamitatem ſua proteruia lapſus, periculum faciat quanto ſit præſidio pater, cùm vel tandem reſipiſcat ex perdito. Præſcribens interim lenitate potiùs quàm aſperitate inſtituendos eſſe liberos, iuxta vrbani illius clementíſque Mitionis Terentiani rationem, dictitantis: Pudore & liberalitate liberos retinere ſatius eſſe, quàm metu. Errat (inquit) longè mea quidem ſententia, qui imperium credit grauius eſſe aut ſtabilius, vi quod fit, quàm illud, quod amicitia adiungitur.

Clamoſus Pamphagus, placabilior Pantolabus, & incautior, nulliúſque penè cõſilij: vtpotè vixdum artem callens paraſiticam. Contrà inſignis helluo Pamphagus, verſipellis, vafer, & ſpei pertinacis, vnde & ſuis dolis ipſum eludit Acolaſtum, omnem illius emũgens pecuniam. Procax, meretrix magnifica, ſumptuoſa, nobilis, gnara admodum artis meretriciæ, quæque grandem emereat pecuniam. Leno valens, & ſuarum rerum probè ſatagens. Chremes ruſticus, qui prodigum decoctorem ad ſuos porcos paſcendos ablegat.

Quantum verò attinet ad comœdiæ partes, prologus hîc acer inducitur, in quo vtique poëta non mediocriter in veteratores inuehitur: ea nihilominus modeſtia, vt eorum liuore ac inuidia percitus, omnia facere videatur, & proloqui. Protaſis valde ſubtilis, ſub primo (vt conuenit) actu quatuor ſcenis diſtante cõtenta, vbi quidem pars argumenti à patre apud Eubulum ita explicatur, vt huc conſilia omnia, querelæ omnes, argumenta omnia, & coniecturæ futurarum rerum referantur. Vnde Eubuli ſuaſu, filio datur pecunia, qua recedat. Mox verba à filio vltrò citróque apud ſuum conſultorem Philautum de patre, & eiuſdẽ cum Prodigo habita memorantur. Epitaſis primum quidem iucunda dehinc tumultuoſa, ſub ſecundo, tertio, & quarto actu comprehenditur: vbi pars illa quæ retenta fuerat ad populi expectationem tenendam pulchrè elucidatur, ídque maximè ſub ſecũdo actu, quinque ſcenis affluente: vbi à Pamphago

*Prologus.*

*Protaſis.*

*Epitaſis.*

lepido parasito futurũ omne quod somniando animo con ceperat de euadendo aliquando cellario cuiuspiam potentioris domini, suo Pantolabo narratur: résque tandem effectum sortitur. Deinde sub tertio, totidem scenis gaudente, Bromia ancilla de Pamphago expostulans inducitur: & Lais scortum nobile à Syro accersitũ venit: interposita obiter persona Pelargi, ob abdicatum filium sese miserum discruciantis, & Eubuli eundem blande consolantis. Intereà dum sese affatim cum Laide oblectat Acolastus. Postremò sub quarto, septem Scenis referto, quod reliquum est epitasis denarratur. Vbi primùm digesta Pamphagi crapula qua se die altero ingurgitauerat, dolosa alea prodigum, prorsus emũgit pecuniis: ob quod & commouetur Samnio, & Pantolabo id quidem paulò antè futurum ominanti denarrat. Adeóque tandem res rediit, vt non habens ille vnde ius Lenonium ac meretricium persoluat, omnibus exuuiis spolietur, móxque ad agendas sues ablegetur. hæc est epitasis.

*Catastrophe.* Quantum ad Catastrophen pertinet, ea perlucida est, & sub quinto & vltimo actu quinque scenas possidente habetur: in quarum prima Pelargus cum Eubulo de filio commemorans, & hic aliquid boni de eo præsagiens introducitur. Dehinc recordante Prodigo quanti mercenarij in sui patris ædibus pane affluerent, interim dũ siliquis & glandibus famelicum ventrem pasceret, accepta fiducia pij patris, ad eum supplex regreditur. Quem ille (vt clemens & benignus est) quàm humanissimè suscipit, suos inde ad sibi, congratulandum conuiuandúmque prouocans. Et sic ex vtrolibet susceptis ægritudinibus, in tranquillum peruenitur.

*Idiomata personarũ & etymologiæ.* Sed quoniam (vt autor est Donatus) nomina personarũ in Comœdijs duntaxat contentorum habere debent rationem, & etymologiam: nunc paucis videndum est, quid quæ in hac inducuntur significent, vbi quidem annotandum venit non absque caussa patrem Prodigi Pelargum, & eius consultorem Eubulum, prodigúmque Acolastum nuncupatos fuisse. Pelargus nempe ab effectu dictus est. Nam πέλαργος Græcè, Latinè Ciconia dicitur, quæ auis tã eximiæ pietatis esse constat, vt quantum temporis impenderint fœtibus educandis, tantum & ipsæ à pullis suis inuicem alantur cum senio confectæ sunt, & volatu imbe-

ciIles alis ipſorum ſubuehantur. Hinc verbum ἀντιπελαργῖν, quod eſt promerentibus gratiam in tempore referre: & lex Antipelargia, ſiue pelargica ab Ariſtophane dicta, quaſi Ciconiaria, qua parentes liberi alere tenentur. Eubulus, interpretari poteſt, prudens, conſultus, boni conſilij, ἀπὸ τοῦ εὖ, quod in compoſitione boni aliquid deſignat, & verbo βούλομαι, id eſt, conſilium dare. Hocquoque nōmine inſignitus eſt hiſtoricus quidam, qui hiſtoriam Mitræ multis voluminibus explicuit. Acolaſtus, à diſciplina & moderamine alienus, proteruus, prodigus, decoctor, intemperatus, immodeſtus, laſciuus, à particula priuãte, & verbo κολάζω caſtigo, de quo infra fuſius dicetur. Philautus, qui ſibi vehementer placet dicitur, quíque ſuis ipſius commodis ſtudet, aliorum rebus vel neglectis, vel etiam afflictis. Vitium ipſum philautia dicitur: fit à φίλος, id eſt, amicus à verbo φιλέω amo, & αὐτός pronomine relatiuo quod eſt ipſe, quaſi amans ſui. Panphagus, omnia deuorans, à πᾶν, quod eſt omne, φάγω cuius ſecundus aoriſtus eſt, ἔφαγον. Eſt quoque nomen canis apud complures poëtas. Pamphagi etiã AEthyopiæ populi dicũtur, omnibus rebus veſcentes. Pantolabus, omnia carpens, omnia ſibi aſſumens, verè appellatus propter ſcurrilitatem omnibus notus. Fit autem à πᾶν παντός, id eſt, omne, omnis & λαμβάνω, id eſt, capio, arripio. Perſonam Samnionis mutuauit à comœdia Adelphorum Terentiana. Samnij autem dicuntur, qui ſunt in dictis fatui, & in moribus obſcæni. Quidam à Sanna deductum nomen arbitrantur, quæ irriſio dicitur, fitque authore Diuo Hieronymo, ab occipitio diſtorto ore & labris contractis, anteriorum dentium oſtentatione. Syrus à Syriis, quæ gens (vt Suidas ait) aſtutiæ nota infamis eſt. Eſt autem hic annotandum nomina Comicorum ſeruorum aut à nationibus eſſe indita, (quemadmodum author eſt Donatus) aut ex accidentibus, vt Bromia, Leſbia: aut à moribus & vernalitate, vt Pantolabus Pamphagus: aut negotio, vt Chryſalus: aut ex qualitatê corporis, vt Chylacus: aut ex ſpecie formæ, vt Pinacium. Bromia venit à βρώσκω, id eſt, comedo, & βρῶμα, id eſt, cibus. Chremes παρὰ τὸ χρέμπτειν, quòd ſenes tuſsi expurgent pectus. Hactenus de ratione nominum ac etymologia, déque fabulæ & comediæ partibus.

*Nomina comicorum ſeruorum vnde indita.*

# ACTORVM NOMINA.

PELARGVS, *pater.*
EVBVLVS, *is patri est à consiliis.*
ACOLASTVS, *filius prodigus.*
PHILAVTVS, *hic filio est à consiliis.*
PAMPHAGVS, *parasitus.*
PANTOLABVS, *scurra.*
SAMNIO, *leno.*
SYRVS, *lenonis seruus.*
BROMIA, *lenonis ancilla*
LAIS, *meretrix.*
SYRA, *Laidis pedissequa.*
CHREMES, *rusticus.*

# PROLOGVS CONSTANS SENARIIS.

VOS *nulla captet obsecro admiratio,*
*Quod hîc videtis, optimi viri, nouos*
*In apparatu Scenico titulos, nouam*
*Qui nos daturos esse fabulam arguant.*
*Haud me latet, odio quanto vocabulum*
*Noui laboret. verùm enimuerò hîc nouis*
*De dogmatis ne μῦ quidem. Paradoxa nos*
*Nullo loco dignabimur: notum omnibus*

*Est argumentum, quod palam tractabitur,*
*Sed comicis strictum metris. Ne nescias,*
*Euangelion nota parabola prodigi*
*Vitam recenset filij, illam scilicet*
*Nunc exprimemus ludicra actiuncula,*
*Cuius sub inuolucro habes mysterion.*
*Sed audio inter vos susurria, nescio*
*Quæ de noua impudentia & cornicibus.*
*Sanè impudens non sim, quòd artem Musicam*
*Tractare iudicauerim omnibus quidem*
*Licere, cuius palma vel Terentio*
*Teste, in medio sit posita, laudi non potest*
*Non esse quod rudes tyrunculi velint*
*Virtutis edere specimen vel per iocum,*
*Vt seriò ausint hostibus concurrere.*
*Tum nolo quisquam nos putet cornicibus*
*Configere oculos, quòd domi nostræ recèns*
*Nata actione, gratiam nobis bonam*
*Venemur à vobis, probatis fabulis*
*Plauti, atque item Terentij, velut simul*
*De ponte deiectis. Nihil nos, Zoile,*
*Vel dente vel liuore tuo commoueris:*
*Etenim Terentio atque etiam Plauto suas*
*Laudes, vt optimis poëtis, stare qui*
*Nolit, meretur is quidem probra omnium.*
*At nos poëmate hoc etiamnum à follibus*
*Calente, nemini suam ademptum gloriam*
*Venimus ipsi inglorij: tantùm id studet*
*Grex hystricus, vobis leuare nauseam,*
*Quam plurimam accepistis ex iis fabulis,*
*Quas vel panis frusto exciti quidam exhibent*
*Frequentiùs quàm doctiùs, palmarium*

*sibi pollicentes inde, quòd bonas malè*
*Semel atque iterum recoxerint Comœdias,*
*Quibus suam scabiem affricant illi haud minùs*
*In explicando, quàm exhibendo. Ringitur*
*Ibi nescio quis. Heus tu,quid ardent lumina?*
*Ecquid caput motas quasi iratum admodùm?*
*Vah,an hulcus est tactum tibi? Credo,quia*
*Malum videre interminari. Sed tibi en*
*Vnguem hunc medium: Placere enim tantùm bonis*
*Studemus,ij nunquam vitio vortent,sui*
*Quod senserint studio fieri,si non satis*
*Fœliciter per omnia, sedulò tamen.*
*Quod restat, ô spectator optime,ne graue*
*Tibi sit studio fauere literis.*
*Dum intenditur grex noster actiunculæ,*
*Quam suscipit,tibi operam suam probet.*
*Quod si placebit interim,nil ampliùs*
*Memineris,atque debitum plausum dare.*
*In prologo hac satis. Periocha sic habet.*

*Argumētū.* V*OS nulla captet, obsecro, admiratio.*] Eò tendit hoc in prologo poëta,vt captata prius spectatorum beneuolentia,oblocutorem in eorum odium & inuidiam trahat:ob id sanè quòd falsò argueretur, ab eo velle se sua recenti comœdia, celebrium poëtarum gloriam adimere. Quòd facili argumento falsum comprobat,dum astruit tātum abesse,vt nolit Terētio atque item Plauto suas laudes, vt optimis poëtis,stare,vt eos per omnia reuereatur,æmuletúrque:atque ex eorum probatis Comœdiis ferè hauriat, quicquid prolocuturus est.

*Doctrina.* *Vos nulla captet,obsecro admiratio.*] Hoc in prologo poëta morem æmulatur non solùm Cytharœdorū,sed & Medicorum quoque. Nam quemadmodum medico diligenti (vt autor Marcus Tullius 2.de Oratore) priusquam conetur ægro adhibere medicinam,non soliti morbi eius cui

mederi volet, sed etiam consuetudo valentis & natura corporis cognoscenda est: sic equidem cùm aggredimur ancipitem caussam, & grauem, ad animos iudicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione curáque versari debemus, vt odorari quàm sagacissimè possimus quid sentiant, quid existiment, quid expectent, quid velint, quo deduci oratione facillimè posse videantur: quod & hîc prorsus exequitur poëta. Cytharœdorum autem morem insequitur in eo, quod quemadmodum illi ea quæ priùs quàm legitimum certamen inchoent, emerendi fauoris gratia spectatorum canunt: Ita hîc quæ proloquitur, ad conciliãdos auditorum animos facit. Eos nempe, quò sint in cæteris Comœdiæ partibus accommodatiores, præparat & allicit, dum illos beneuolos, attentos, & dociles reddit. Beneuolos quidem, quum se adstruit huius ædẽdæ Comœdiæ subiisse negotium, honesta ratione ductũ: nimirum officio formandę instituendæq́ue iuuentutis, ac non mediocris exempli gratia. Aut cum ait, Optimi viri, quòd nemo optimus sit, ni & omnibus vitiis careat, & prolocutori benè velit. Tum præterea cùm suum officium citra vllam commendat arrogantiam, & aduersarios in odium, inuidiámque, & contemptũ vocat. Dociles verò facit, cùm summam fabulæ paucis explicat, ibi: Ne nescias Euangelion nota parabola prodigi vitam recenset filij: &c. Attentos, cùm de rebus magnis, nouis & inusitatis, vtpotè è sacro Euangelio desumptis, se verba facturum pollicetur. Morem vtique Aristophanis, Terentij, & Plauti insequens, qui in aliquot Comœdiis hoc ritu solent prolocutorem quempiam ex abrupto inducere, qui citra alicuius odij, aut ambitionis suspicionem, maledicta in Zoilos, & veteratores cum poëtæ commendatione regerat.

*A Cytharœdis.*

*Beneuoli.*

*Dociles.*

*Attenti.*

*Nulla vos captet admiratio.*) Nullus vos stupor occupet, ne cui vestrûm sit mirum. Habet autem hoc verbum capto cũ suo primitiuo capio reciprocum quendam sensum, velut si dicamus, cœpi voluptatem, & cœpit me voluptas, capio admirationem, & capit me admiratio. Quæ tamen vtraque loquendi phrasis in eundem sensum recidit. Terentius in Eunucho, Act. 3. Sce. 1. Tum sicubi eum satietas hominum, aut negotij si quando odium cæperat, requiescebat vbi volebat. habet rursus capto quiddam adhuc occultius. Quan-

*Captare, et capere.*

quam enim frequentatiuum eſt,nõ tamen ſignificat id quod ſolent frequentatiua verba.i. frequenter capere,ſed blandiciis quibuſdam,& illecebris,obſequiiſque,aliquid(vt ita dicam)venari.Terentius in Hecyra, act.1. Sce.1. Aut qua via captent te illi,eadem ipſos capi?

*Nouitituli.* *Quod hic videtis nouos in apparatu Scenico titulos.*) Nouos titulos dicit,vel quia hęc Comœdia & diuerſo nomine vocata eſt,& argumento conficta diſsimili ab iis, quæ priſcorum ſunt,vtputa Cæcilij,Plauti,Næuij,Licinij, Ennij, Terentij, & reliquorum. *Nouos titulos.*)Titulus proprie, index eſt cuiuſcunque operis, qui Græcè ἰλίγχος dicitur. Titulum tamen libri appellamus eum,qui vel qualitatem operis, vel nomen authoris, vel librorum numerum aperit. *In apparatu Scenico.*) In hac pręparatione hiſtrionica.i. in æditione huius Comœdiæ: eo vtique ſignificatu, quo belli aut claſsis apparatum dicimus: quamuis in hoc popa quædam intelligatur, vbi plerunque plus oſtentationis, quàm vtilitatis habetur:illic verò velut quædã ſummiſsio, multò plus commodi,quàm faſtus præ ſe ferens.

*Titulus.*

*Apparatus Scenicus.*

*Arguere.* *Qui nos daturos eſſe nouam fabulam arguant.*)Arguere propriè reprehendere eſt,nunc autem oſtendere.Virgil:Degeneres animos timor arguit. *Daturos nouam fabulam.*) Vel quòd domi ſuæ recens nata ſit,vt infrà aſſerit : vel quòd argumentum à Græcis minimè ſumptum ſit, vt ſunt Terentianæ Comœdiæ, ſed tantùm ab Euangelicis literis. Vel quia nuſquam ſcripſit inſanum adoleſcentulum ceruam videre,fugere,& ſectari canes,& eam plorare,orare vt ſubueniat ſibi: quod & à Lucio Lauinio Terentio probro datũ fuiſſe teſtatur ipſe in prologo Phormionis. *Daturos nouam fabulam.*)Id eſt,nouum argumẽtum exhibituros Comœdię.

*Nouitas inuidiæ proxima.* *Haud me latet, quanto odio vocabulum noui laboret.*) hoc ſubinfert,à depreſsione perſonæ aduerſarij, cùm ſui nominis inſinuatione. Exploratum,inquit,habeo, quàm magno liuore,& penè indicibili inuidia habeatur, quàmque malè audiat,quicquid recens in lucem emittitur.In ſcriptis nempe antiquitas cõciliat gratiam,nouitas verò inuidiam, iuxta illud Flacci in Epiſtolis:

*Indignor quicquam reprehendi,non quia craſsè*
*Compoſitum,illepidéve putetur,ſed quia nuper.*

*Enimuerò.* *Verùm enimuero.*) Hic exceptiua particula eſt, aliàs incæ-

ptius. Terent. in Andr. Act. 1. Sce. 3. Enimuerò Daue, nihil loci est segnitiæ, neque socordiæ.

*Nemy quidem.*

*Hic de dogmatis, ne my quidem.*) Subaudiédum facere volo, aut audeo. Qui enim metu non auderent hiscere, ij quódam (vt author est Erasmus) negabantur my facere audere. Refertur autem hyperbole prouerbialis à Varrone libro de lingua Latina tertio, cuius verba sunt hæc. A quo idem dicit, quod minimum est, neque (vt aiunt) my facere audent. Putat autem ille musitare verbum deductum à μῦ literæ vocabulo, quasi μύσσειν propterea quòd muti non ampliùs sonare queant, quàm my. Est enim ea litera maximè omniũ muta, nimiúmque pressæ vocis, ac nullius, presertim in fine mirè os contrahens & occludens: adeò vt sola omniũ quũ inter vocales inciderit, atteratur, atque subsidat. Est quoque apud Latinos mutire, vel mussare, siue mussitare, tacitè fere, & quasi vocem absorbere dissimulãdi caussa. Terentius in And. Act. 3. Sce. 2. Sed si quid narrare occæpi, continuò dari tibi verba censes. Itaque hercle nihil iam mutire audeo. Rursus in Adel. Act. 2. Sce. 1. Musitanda est iniuria adulescentium. Ex quo quidem licet coniicere hanc esse vocem, loqui formidantium. Est itaque sensus, Tantum abest, vt de aliorum secretis sententiam meam proferre velim, vt ne hiscere quidem de his audeam, ne alioqui vel temeritatis arguar, aut certè eos reprehendere velle videar. Sunt autem dogmata, vniuscuiusque sectę decreta, siue scita, aut placita, quæ (vt ait Cicero) prodere scelus est non minus quàm patriam: sine quibus nec sectæ philosophorum, nec religionũ vires constare possunt.

*Musitare.* *Mutire.* *Mussare.* *Dogmata.*

*Paradoxa nos nullo loco dignabimur.*) id est, nullibi nullóque pacto huic potius quàm illi sectæ fauebimus. Vel, ea quæ quidam maximè mirantur, & laudibus efferunt, & inopinabilia, haud propterea digniora, minorísve momenti esse putabimus. Paradoxa siquidem dicuntur, quæ admiratione digna sunt, & opinionem hominum superant à παρὰ quod Græcis sonat ad, & δόξα, opinionem & gloriam. Vnde ἐνδοξία, vera gloria, & parasitus, de quo inferius.

*Paradoxa.*

*Notum est omnibus argumentum quod palàm tractabitur.*) Hoc dicit ne videatur abuti opera scribendorum prologorum, cuius est strictim complecti & enumerare, quæ in vniuersa continentur Comœdia. *Notum est omnibus argumen-*

*Notum est omnibus argumentum.*

*tum.*)Ne quis me existimet præter,aliorum opinionem aliquid omnino velle moliri.Id nempe agere non vacaret vel odio,vel suspitione,quam prorsus deuitare debemus,iuxta Diui Pauli sententiam,dictitantis,ab omni specie mala nos cauere debere. *Quod palàm tractabitur.*)Palàm, clarè,apertè,ne quid cauilli quis prætendat. *Tractabitur.* ) discutietur,edisseretur: quòd ea de quibus differimus, frequenter tangere videamur.

*Palàm.* *Tractare.*

*Sed comicis strictum metris.*)arctatum versib⁹,& velut quod sparsum ac diffusum erat,quasi summatim collectum. *Comicis metris.*)Metrum à metior,quod cùm quartæ inflectionis est,mensurare significat,à Græco trahens originē,quod est μέτρο.Indeque versus,à nostris metra adpellata.

*Strictum.* *Metrum.*

*Ne nescias.*) ne ignores,aut te fugiat argumentum præsentis fabulæ omnibus esse notum.

*Nenescias.*

*Euangelion nota parabola prodigi vitam recenset filij.*)More Comicorum hic paucis refert rerum capita,quæ postea per argumentionem explicanda sunt, quò docilitas comparetur,& attentio. *Nota parabola.*)Quo fit vt prolixiori argumento opus non sit.Neminem enim ferè repereris,qui huius euāgelicę historiæ sit inscius,vtpotè cuius vox vniuersū orbem,Christi Apostolorum ministerio peruagata sit. Ideo ipso illis pręcipiente, posteaquam à mortuis excitatus est: Prædicate,inquit, Euangelium omni creaturæ. *Nota parabola.*) Parabola diffinitore Erasmo,est cùm accommoda similitudo, quod adductum est exemplum ostendit aut simile esse,aut dissimile, aut contrarium. Hanc Cicero collationem vocat,quasi rerum genere dissimilium cōparationē.

*Prodigi vitam recēset filij.* *Nota parabola* *Parabola.* *Collatio.*

*Illā scilicet nūc exprimemus ludicra actiūcula.*)Ludicra actiūcula dicitur iocosa quædā gestus repręsentatio. Actio nēpe, à quo actiuncula,est, authore Quintiliano,tum pronuntiatio cum gestuum ac vocis moderatione,tum oratio,quę habetur, tum oratio scripta. Quo fit vt non solùm fit Comœdorum & Tragœdorum,sed & Oratorum quoque.

*Ludicra actiuncula* *Actio.*

*Cuius sub inuolucro.*)Inuolucrum ab inuoluo,quod tegere est,deducitur,significátque quicquid aliquid tegit. Cicero: Scitè Chrysippus, vt clypei causa inuolucrum vaginam autem gladij:sic præter mundum cætera omnia aliorū causa esse generata astruit.

*Inuolucrū.*

*Habes mysterion.*)hoc in peroratione explicat.Mysteriū verò

*Mysteriū.*

verò arcanum ſacrum dicitur. Vnde nos myſterio fieri dicimus,quę occulta aliqua quaſi ſacrorum ratione perficiuntur. Et à μύστος dicta myſteria aſſerit Euſebius,quod ſcelus ſonat Latinè,ob hoc ſanè,quòd quæ in myſteriis tradeRentur arcana,in vulgus enuncianda non eſſent, nec ſcitu licita niſi ſoli ſacerdoti, quum (autore Tertulliano) myſteriis omnibus ſilentij fides debeatur. Hinc tradit idē Euſebius, in ſacris Iſidis & Serapidis fuiſſe ſimulachrum, quod digito labiis impreſſo,admonere videretur, vt ſilentium fieret.

*Sed audio inter vos ſuſurria,neſcio quæ.*) Artificioſè hîc imperitum neſcio quem inducit criminatorem, qui eum impudentiæ & temeritatis incriminetur, quo ſe purget, ſimul & excuſet. Eſtque figura occupatio, quæ & Procatalepſis,quū videlicet tacitam obiectionem refutamus,vt quū ipſi animaduertētes quid nobis obeſſe poteſt,pri⁹ id diluimus,quàm obiici poſsit. Eam Latinè vocant quidā præacceptionē,vel anticipationē. *Audio ſuſurria.*) Suſurria ſiue ſuſurri,dicuntur propriè parua & ſummiſſa murmura.Sed quoniā hoc modo muſsitātes ſolemus aliis clanculū facere inuidiā,eóſq;obloquēdo in vulgus ſpargere,pro verbis maledicis ſumūtur.Vnde ſuſurrare,ineptè obſtrepere & obgānire ſignificat. Et hoc genus hominū ſuſurrones vocamus, hoc eſt,maledicos & linguaces,quòd nō apertè loquantur, ſed voce demiſſa in aures hominū obſtrepant potius,quàm loquantur. Terentius in And. Act.4. Sce.5. Iam ſuſurrari audio ciuem Atticam eſſe hanc.

*Suſurria ſiue ſuſurri.* *Suſurrare.* *Suſurrones.*

*De noua impudentia.*) Id eſt,quòd tā temerariè,ſtultè, abſurdè,& inuerecundè,rem tanti momenti aggredi non verear,volens quod vix vllus audet,nempe euangelicas parabolas,ita prophanis admiſcere.

*Impudentia.*

*Et cornicibus.*) Id eſt, quòd aliquē veterum redarguere aut contemnere velim hac mea recenti Comœdia,aut eorū famā eripere,quā omniū cōſenſu obtinuerunt:aut eorū certe lucubrationes reſcindere. Huius vocabuli rationē videbis paulò inferius. Reſpondet autē hîc duabus obiectionibus ſibi ab aduerſario & oblocutore loco probri illatis. Vna,quòd impudentius agat, dū immiſcet ſacra prophanis. Altera, quòd videatur antiquos poëtas de poſſeſsione depellere velle, hoc eſt, eorum adimere famā & redarguere.

*Cornices.*

Quare priori in hunc modum satiffacit.

*Sane impudens nō sim.*) Cōfeſsio quę & Paromologia,quâ vtimur,quū quędam largimur aduersario, vt reliqua magis exaggerari poſsint.Poteſt eſſe & Antipophora, vtpote reſpondēs ad obiectionē. Itē AEtiologia, quia cauſſam reddit ſe id iure & honeſtè facere . Senſus verò eſt perinde ac ſi diceret: Scio hîc aliquos,qui me impudētiæ temeritatiſq; traducūt, idcirco vos ſpectatores, vt perpendatis obteſtor, ſi talis haberi debear, hoc eſt, ſi inde ſim, aut quouis alio modo temeritatis deferendus.

*Quod artē Muſicam tractare iudicauerim omnibus quidem licere.*) Iudicauerim,quaſi ius dederim,exiſtimauerim.*Omnibus licere.*) permiſſum & liberū cuique pcētę,tum Oratori tum Theologo.*Tractare artem muſicam.*)Periphraſis eſt pro ſcribere Comœdias.Studium muſicum appellat Terentius in prologo Heautontimorumenos. Vbi quidem artem,vel ſtudium Muſicum pro poëſi vtrique poëtę accipiunt.Vnde Quintilianus Poëticę laudes deſcribens,probaréque volēs eam Oratori neceſſariam,quòd nimirum poëtas legendos Oratori futuro cenſeat,imò operæprecium dicat: Num,inquit,igitur hi ſine Muſicę? Hinc natum prouerbium:Expertes inuidentiæ muſarum fores . Et item illud: Apertæ muſarum ianuæ Quo vtroque ſignificatur prouerbio, non oportere celare doctrinā muſarū munus,ſed cādidè, citráq; inuidiam impartiri, tanquā lumen de lumine ſuppeditātes.

*Iudicare. Tractare artem muſicam.*

*Apertæ muſarum ianua.*

*Cuius palma, vel Terentio teſte, in medio ſit poſita.*) Cuius quidem Muſicæ prēmium certare volenti propoſitum eſt, & cauſſa certaminis ex quacunque re appoſita . *Cuius palma in medio poſita eſt.*)Apud veteres in certaminib9 victorię ſignum palma erat . Quod quidē ideo inſtitutum conſtat, quoniam ingenium huius ligni eſt, vt vrgentibus, prementibúſque non cedat. Nam (vt Ariſtoteles ſcribit) ſi ſuper palmæ arboris lignum magna pondera imponantur, & adeò vrgeatur,oneretúrque ligno,vt magnitudo oneris ſuſtineri non poſsit,non deorſum palma cedit, vt cæteræ arbores, ſed aduerſus pondus ſurgit, & ſurſum nititur,recuruatúrque,vt pondus reiiciat. Hæc Aulus Gellius . *Vel Terentio teſte.*) Idque in Phormione potiſsimùm, dum ſic ait in Prologo.

*Palma victoriæ ſignum.*

*Nunc ſi quis eſt,qui hoc dicat,aut ſic cogitet:*

*Vetus si poëta non lacessisset prior,*
*Nullum inuenire prologum potuisset nouus*
*Quem diceret, nisi haberet, cui malediceret:*
*Is sibi responsum hoc habeat, omnibus*
*Palmam esse positam, qui artem tractant Musicam.*
Rursus in prologo Hecyræ:
*Nolite sinere per vos artem Musicam*
*Recidere ad paucos.*

*Laudi non potest non esse.*) fieri nequit quin sit omni laude excipiendum, virtuti quoque & gloriæ vertendum. *Laudi non potest non esse.*) Locus est ab honesto & vtili.

*Quod rudes tyrunculi.*) Tyrunculi diminutiuè, & positiuè tyrones, dicuntur, qui parum sunt in re militari exercitati, vnde punctim & cesim hostem ferire dicebantur. Quorum exercitamenta, campestria arma vocabantur, exercentes se in campo Martio, aut ad palum, aut cursu luctando, nunc hasta, nunc pila, nunc disco, nunc pugillatu, saltúque sese firmantes: tum deinde Tyberi proximo, sudorem, puluerem, ac laßitudinem natando deponebant. Horum prima actio Tyrocinium appellabatur, quod & à Diuo Hieronymo rudimentum dicitur, qui & recentes disciplinas, id est, ad quas primum aspirat puer, tyrunculas nominat. *Rudes Tyrunculi.*) Rudes, imperiti, inscij, nulla freti experientia, imperfectique scientia, & asperi. Hinc Rudis, impolita virga, qua olim gladiatores iam ætate grauescentes à Prætore in signum libertatis donabantur, ne gladiatoriam amplius exercerent disciplinam.

*Tyrũculi, & Tyrones.* *Tyrocinium.* *Rudes.* *Rudis.*

*Velint virtutis edere specimen, vel per Iocum.*) AEdere specimen virtutis, est ostendere præstaréque argumẽtum quoddam ac probationem, seu exemplar & præcellentis, & fortis, & robusti animi. Cicero: Quid illud? Non dubitas quin specimen naturæ capi deceat ex optima quaque natura? *Vel per Iocum.*) Iocum, inquit Quintilianus, accipimus, pro eo quod est contrarium serio.

*AEdere specimen virtutis.* *Iocus.*

*Vt serio ausint hostibus concurrere.*) Obuij fieri aduersariis, & cum eis congredi. Est autem hîc translatio à militibus. *Vt seriò ausint hostibus concurrere.*) Hostes antiqui peregrinos nuncupabant, quòd suis legibus viuentes, æqui viderentur. Sed hoc nomen, à peregrinis iam recesit, & in eo, qui contrà arma ferret, remansit. Vndè hostica arma, hosti-

*Hostis.*

lis rabies,hostile odium.

*Tum nolo quisquam nos putet cornicibus configere oculos.*) Alteram diluit aduersariorum obiectionem,eum velle musſitantium sua noua Comœdia,antiquorum poëmata reprehendere. Quod secus esse commonstrans, adstruit tantum abesse,vt nolit eorũ gloriam adimere, dũ spectatorum captare adnititur beneuolentiã sua recenti Comœdia , vt ad hanc exarandam,se maximè iuuerit Plauti, Terentij, aliorúmque celebrium poëtarum , & Oratorum sententiis.

*Cornicibus oculos configere.*

*Cornicibus configere oculos.*) Non satis perspicuũ constat,an hoc prouerbium ex Apologo quopiã natum sit,an ex euẽtu,aut ex metaphora sumptũ.Quacũque tamẽ ex re defluxerit,perinde valere videtur Erasmo ac si hinc significare velimus aliquem nouo quodam inuento , veterum eruditionem obfuscare,efficeréque vt superiores nihil sciſſe, nihil vidiſſe videantur . Is itaque videtur cornicum oculos velle configere,quisquis ea quæ antiquitas magno consensu approbauit,damnare,ac rescindere,conuelleréque conatur.Concordia verò ac viuacitas cornicum,huic adagio fecit locum.Constat nimirum cornicem longiſsimæ vitæ esse auem,tum & concordiæ symbolum. Vnde natum prouerbium in senem viuacẽ iactari solitum:vltra cornices viuax.

*Vltra cornices viuax.*

*Recèns.*

*Domi nasci*

*Quod domi nostræ recens nata actione.*) Recèns aduerbium est pro recenter,nouiter,sicut insolens pro insolenter. *Nata actione domi nostræ.*) Id est,per hanc Comœdiam non ab aliena pendentem sententia,nõ aliunde petitam,aut cõpertam:sed quę à nostra sola depromitur officina,à nostro experimẽto ingenióque proficiſcitur, vel quæ non aliunde tralata est,vt fecit Terentius,qui Hecyrã & Phormionẽ ab Apollodoro transtulit,reliquas quatuor à Menãdro. *Nata actione domi nostræ.*) Metaphoricè id dicitur domi nostrę nasci,quod in nobis situm est,nec neceſſe est ab aliis mutuo sumere. Translatum ait Erasmus ab ea consuetudine, foris rogandæ supellectilis,quã domi desideres. Cicero ad Varronem: Sed quid ego nunc hæc ad te,cui domi talia nascũtur? Item in Academicis quęstionibus: Domi nostræ ista nascuntur,id est,hæc Oratorum sunt propria.

*Venari gratiam ab aliquo.*

*Gratiam nobis bonam venemur à vobis.*) Venari gratiam ab aliquo, est solerti quodam artificio,eius inire beneuolẽtiam,hoc est,eius beneuolendi beneficium suffragiúmquę

aucupari Translatio est de venatoribus.

*Probatis fabulis Plauti, atque item Terentij, velut simul de ponte deiectis.*) Sexagenarios de ponte deiicere, vt inquit Erasmus, est natu maiores, perinde quasi deliros, & ad omne vitæ munus inutiles, in ocium reiicere, atque ab omni functione negotiorum relegare. Inde natum, quod olim sexagenariis ferendorum suffragiorum ius non erat, ætate velut à publicis muniis dimissa, vel ab historia, quòd olim iuuentus Romana, quò sola ferret suffragia, senes inualidos de pontibus præcipites dederit. Vnde & depontani dicuntur senes, iam velut emeriti, & à ciuilibus negotiis in ocium remissi. Vnde Macrobius Saturnaliorum lib. 1. Adimere vis doctis viris in verborum comitiis ius suffragandi, ac tanquam sexagenarios maiores de ponte deiicere? Et item Ouidius in fastis:

*Sexagenarios de ponte deiicere.*

*Depõtani.*

*Pars putat, vt iuuenes ferrent suffragia soli,*
*Pontibus infirmos præcipitasse senes.*

Est ergo sensus. Non ea ratione venamur à vobis gratiam hac nostra recenti Comœdia, vt inde deturbare, ac explodere conemur inclytas illas insignium poëtarum Plauti atque Terẽtij Comœdias, qui è regione eas effingere æmularíque pro virili contendimus.

*Nihil nos, Zoile, vel dente, vel liuore tuo commoueris.*) Iam in calumniatorem & inuidum vocem detorquet, velut immerito oblatranti insultans. *Nihil nos Zoile.*) Zoili, alienarum laudum obtrectatores, alienorúmque laborum reprehensores vocantur. Natum quidem prouerbium à Zoilo quodam Sophista, mordacitatis facinore potissimum nobilitato, quòd Homerum poëtarum omnium vel facilè principem ausus sit libris aliquot in eum scriptis incessere. Ex quo sibi nomen adoptauit, vt Homeromastix vocatus sit: quod verbum Græcis sonat flagellum. Tractum quoque inde prouerbium, vt omnes hominũ doctorum virorum calumniatores, Homeromastiges, & Zoili dicantur.

*Zoili qui dicantur.*

*Homeromastiges.*

*Cõmouere.*

*Nihil nos commoueris.*) Excitas, conturbas, à statu mentis nostræ deiicis. Est autem præteritum perfectum subiũctiui, pro præsenti indicatiui.

*Vel dente tuo.*) Haud dubiè quin gemino, aut Theonino, hoc est, tuis conuiciis, tua mordacitate, tua oblatratione.

*Dẽte Theonino lacessere.*

Sumptum (vt ait Erasmus) à Theone poëta quodã rabiosæ loquacitatis, petulantissimęque maledicentiæ viro. Horatius: Dente Theonino quum circumroditur.

*Liuor.* *Vel liuore tuo.*) Tua inuidia, tua intemperanti virulentáque dicacitate. Liuor propriè significat maculam ex percussu in corpore factam, sicut liuidus, qui ex eodem percussu carnem nigram habet fluxione cruoris ad eum locum qui percussus est. At quoniã qui inuidiæ morbo laborat, sese dolore exedens, hunc colorem contrahit, fit vt liuidus

*Liuidus.* plerunque pro inuido accipiatur, & liuor pro inuidia. Martialis. Omnibus inuideas liuide nemo tibi. Lucanus: Liuor edax tibi cuncta negat. Ouidius, lib. 1. de Remedio Amoris:

*Ingenium magni liuor detractat Homeri,*
*Quisquis es, ex illo, Zoile, nomen habes.*

*Stare.* *Etenim, Terentio, atque etiam Plauto suas laudes stare qui nolit.*) Id est, plenas & perfectas summóque in precio esse. Virgil: Stant & iuniperi, & castaneæ hirsutæ. i. plenæ sunt.

*Plauti ac Terentij in scribendo discrimen.* *Vt optimis poetis.*) vt inter reliquos comicos tum grauitate, tum sermonis elegantia, ac venustate primas tenentibus. Sunt autem ij duo poëtæ aliqua ratione in scribendo dispares. Plautus durior, cultior Terentius, leniórque, ac emunctior. Ille nimius plerunque, interdum hians, truncus, ac mutilus. Hic parcior, eo nihilominus moderamine ac temperamento, vt nil ab eo quod desiderari iure possit relinquatur. Ea rursus diligentia, vt in magnis rebus sublimitas eluceat, in paruis appareat proprietas, ac modò copia modò breuitate mirabilis, vndique autem perfectus conspiciatur. Decoris aliquãdo obliuiscitur Plautus, quod attentiùs effingere studuit Terentius. Hic postremò in facetiis festiuior, salsior ille.

*Probrum.* *Meretur is quidem probra omnium.*) Probrum scelus est ac flagitium, per translationem tamen hîc pro ignominia sumitur, quæ ex scelere sequi solet, vt datum est ei probro, id est, ignominiæ adscriptum.

*At.* *At nos.*) At, discretiuũ est superiorum dictorum. Nos verò emphasim habet.

*Adimere gloriam.* *Nemini suã ademptũ gloriã venimus.*) Locus ab humili. Id est, haudquaquam hãc in lucem proferimus Comędiã, vt aliorum meritam laudem tollamus: vt antiquos poëtas sua

ipsorum gloria priuemus, quæ præstātiū virorum iudiciis & consensu constat. *Nemini suam ademptum gloriam venimus*) Non hîc de inani illa gloria, famâque populari ex honestatis simulatione proueniēte loquitur: sed de constanti ac solida miniméque adūbrata, quæ à Cicerone dicitur esse consentiens laus bonorum, incorruptáque vox benè iudicantium de excellenti virtute, & quæ virtuti resonat tanquam imago gloriæ. Hæc. 3. Tuscul.

*Gloria inanis, & solida.*

*Ipsi inglorij.*) Nulla laude aut gloria digni.

*Inglorius.*

*Poemate hoc, etiamnum à follibus calente.*) Id est, præcipitato, non satis dignè excusso, à follibus nempe calere dicitur poëma, quod non satis maturuerit, sed quod iam & intempestiuius ab aurificina prodeat, nec matura meditatione decoctum, sed ex tempore profusum sit: contra illud Satyrici: *Nonúmque prematur in annum.* *A follibus calente.*) Translatio est de fornace, in qua vt ignis accendatur, solent follibus vti. Quasi diceret: Tantum abest vt hoc nostro poëmate alicui adimamus gloriā, vt putemus etiā illud nil penes doctos authoritatis habiturum, nempe quòd sit adhuc omnino impolitum, inconditū, recens excussum, & vixdum etiam probè fabrefactum.

*Poema calens adhuc à follibus.*

*Tantum id studet grex histricus.*) Scenicorum turba. Titus Liuius refert accitos olim ex Hetruria Romam Ludiones, qui ad tibicinis modum saltabant, quos imitatam iuuentutem inconditis inter se versibus iocularia prius fundere solitam, iam satyras descripto ad tibiam cantu, motúque congruenti agere cœpisse: & quia Hister Tusco vocabulo ludio vocatur, huiuscemodi artifices histriones vocatos. A quo grex histrionicus, & figuratè histricus.

*Grex histricus.*

*Id studet.*) In hoc dat operam, conatur pro virili. Studere illi rei, vulgare est: studere illam rem minus obseruatū, sed quod non caret gratia & venustate. Cicero: vnum sentitis omnes, vnum studetis. Rursus: vel illud quod studet facere, posit ornatius. Horatius: *-hoc studet vnum.*

*Studere rē.*

*Vobis leuare nauseam.*) Tollere molestiā, auferre tædium. Est tamen propriè nausea, vomendi appetitus, qui excitari nauigantibus facilè solet. A quo nauseare verbum, & nauseabundus.

*Nauseam leuare.*

*Nauseare.*

*Quam plurimam accepistis ex iis fabulis.*) Benè accepistis: nihil nempe cuiquam quantumlibet ocioso & audiendi no-

ua cupido, accidere poteſt triſtius, quàm aliquid ridiculi prætextu rei elegantis, audire.

*Fruſto panis exciti.* *Quas vel panis fruſto exciti quidã exhibent.*) Id eſt, re quantumlibet puſilla & vili ſollicitati proferunt, & in publicum deducunt. Eſt autem hic alluſio, ad Marci Catonis dictum, in oratione quadam Marco Cælio vilitatem opprobrantis non loquendi tantum quicquid veniebat in buccam, verùm etiam tacendi: Fruſto, inquit, panis conduci poteſt, vel vtĩ taceat, vel vti loquatur. Videtur hyperbole ſumpta, vel à canibus, quos fruſto panis inuitare ſolemus, vel à mendicis.

*Imperitia audacior.* *Frequentiùs, quàm doctiùs.*) Imperitia ſiquidẽ, diuo Hieronymo teſte, confidentiam, eruditio vero timorem ac contationem parit. Et vt docet Quintilianus, Fortiùs dicunt, qui minùs habent artis: quũ interim cordatus orator ac periculum intelligens, initio trepidet. Et qui minùs ſapiunt, minùs habent pudoris. Videre quoque eſt frequenter, eum, qui nondum didicerit quid ſit ſcire, nullius rei ſibi non arrogare ſcientiam.

*Palmariũ.* *Palmarium ſibi pollicentes.*) Id eſt, rem palma dignam vltro ſibi promittentes. Fit autem palmarium à palma, quam pro victoria & inſigni accipi ſuperiùs diximus. Terẽtius in Eunucho, Act.5. Sce.4. Tum hoc alterum, id verò eſt, quod mihi puto palmarium.

*Recoquere Comœdias.* *Inde, quòd bonas malè ſemel atque iterũ recoxerint Comœdias.*) Animaduerte quòd bonas ait malè ab eis recoqui Comœdias. Malè autem recoquuntur bonæ quum prauè & ineleganter refinguntur, iterum atque iterum componuntur, formantúrque ab huiuſmodi ſcholis diſsimili argumento, oratione atque ſtylo, quàm cùm primùm à probis authoribus æditæ fuerant. Quod planè eſt, bonas (vt Terentius ait) contaminare fabulas. Pro quo eleganter Horatius, incudĩ reddere dixit:

*Et malè tornatos incudi reddere verſus.*

Videtur autem hic metaphoram tranſtuliſſe ab eo quod vulgò nunc recoctam, id eſt, caſeum ſecundariũ appellant: ſero, ex quo lac hauſtum eſt, iterum ferueſacto, & reliquiis in caſeum coactis. Facto nempe caſeo, ſerum decoquitur ad tertias partes, deinde refrigeratur, ſicque diſcedit ſerum à lacte, & lac ipſum ſchiſton dicitur. Serum verò, aqua lactis eſt, ad multos morbos vtilis.

*Quibus suam scabiem affricant illi.*)Renouant patefaciũntque suam asperitaté,& minimè fluidum stylum. Ducta deflectione ab eo quòd scabies asperitatem in cute faciat. Vnde scaber, asper dicitur. Virgilius: *Affricare scabiem.*

*Exesa inueniet scabra rubigine pila.*

Et scabrities asperitas,& scabrè asperè. Huic haud multũ dissimile est illud, Refricare cicatricem, quum videlicet dolor iam temporis mora lenitus, renouatur. Cui confine est & illud, Vulnus recrudescere, quũ scilicet reintegratur animi molestia: pulcherrima profectò vtrinque tralatione. Nempe à corporali sanie, aut vulnere, quod iam coit cicatrice obductum. Quæ si frictu denuo aperiatur, recrudescit vulneris pristini dolor. Eam metaphorã venustissimè Marcus Tullius extulit in Clodiũ, qui populum fame iam exasperatum, concionibus insuper seditiosis in rabiem agebat: Vt tu, inquit, in hoc vlcere tanquam vnguis existeres. Rursus ad Atticũ: Appij vulnera nõ refrico. Hęc ferè Erasmus. *Refricare cicatricem.* *Vulnus recrudescere.*

*Haud minus in explicando, quàm exhibẽdo.*)Explicatur quid propriè, quũ extenditur atque emittitur. At verò quod extenditur, videtur perfectius ac licentius: hinc factum est, vt explicare pro explanare atque ostendere aliquando sumatur. Exhibentur autem Comœdiæ, quum proferuntur, sicut testamenta apud Prætorem, quò ipsius authoritate signatores admoniti veniant ad recognoscenda. *Explicare.* *Exhibere.*

*Ringitur ibi nescio quis.*) Hic subtilem inducit conquestionem, quò facilè populum in fauorem reuocet, atque ipsius gratiã ineat. *Ringitur.*) Irascitur, indignatur, obmurmurat, ac tacitè stomachatur. Terentius in Phor. Act. 2. Sce. 2. Ille ringitur, tu rides. Est autẽ ringere, siue ringi propriè rostrum torquere, à narium tortura dictum, quod canes faciunt dum latraturi sunt. A ῥὶν, quod Græcis naris dicitur. Hinc rictus, quod nonnulli tantum ferarum esse volunt, quum rostrum quasi indignabundæ intorquent. *Ringi.* *Rictus.*

*Heus tu, quid ardent lumina?*) Hoc euidentissimũ signum est irati hominis. *Quid ardent lumina?*) Lumina pro oculis vsurpata plerunque apud poëtas inuenias. *Lumina.*

*Ecquid caput motas quasi iratum admodùm?*) Ecquid. Nusquam tota magis elegantia versatur, quàm apud has paruas clausulas, quibus quasi clauiculis compacta latinitas suffulcitur. Ec verò particula multa cum venustate interrogat. *Ecquid.* *Ec.*

Est enim per modum quendam loquẽdi in latinitatem inducta. Plautus in Rudente: Heus ecquis in villa est? ecquis recludit? ecquis prodit. Terentius in Eunucho, act.3.Sce.2. Ecquid nos amas,de fidicina hac?

*Vah.*

*Vah.*) Insultantis interiectio. Plautus: Vah homo impudens!

*Tangere hulcus.* *Hulcus.*

*An hulcus est tactum tibi?*) Tangere seu mouere hulcus, est, interprete Erasmo, mouere dolorem, eiúsque rei mentionem facere, quæ nos magnopere vrat. Hulcus enim sumitur pro tecta & clausa malignitate. Est nempe propriè sanies contracta,intra cutem latitans, quæ vt properè abrupta cute erumpat,emplastris supernè alligatis solet confoueri.Terentius in Phormione, Act.4.Scen.4. Quid minùs vtibile fuit,quàm hoc hulcus tangere? Eundem habet ferè sensum,viuũ tangere,id est,tam acrem iniuriam alicui obiicere,vt magnoperè doleat.

*Viuũ tangere.*

*Credo, quia vidére malum interminari.*) Ex probabilibus manifestísque coniecturis, colligit quod verum est. *Quia tu vidére malum interminari.*)Id est,ex eo quod videris prohibere id quod tibi dolet,& malũ inurit: sumpta metaphora à sauciis hulceribúsque vndiquaque scatentibus,quorum est arcere medicos,ne quod maximè dolet attingant,& emplastrum adhibeant.Quæ enim dolent,ea molestũ est contingere.Nemo est qui sua incommoda,eáque maximè quę sunt cum aliqua infamia coniuncta non inuitus detegi velit. *Quia tu vidére malum interminari.*) Interminari propriè,comminari est, hîc autem vetare significat. Terentius in Eunucho,Act.5. Sce.1. Quid ais sacrilega? Istuccine interminata sum hinc abiens tibi?Id est,comminata sum.

*Intermi-nari.*

*Medium vnguem ostendere.*

*Sed tibi,en vnguem hunc medium.*) Medium vnguem aut digitum ostendere,seu mandare laqueum, prouerbia sunt, vt ait Erasmus,quibus extremum cõtemptum significamus. A gestu vtrunque sumptum. Martialis:Atque illi digitum porrigere medium.Iuuenalis de Democrito:

*Ridebat curas,necnon & gaudia vulgi,*
*Interdum & lachrymas,quum fortunæ ipse minaci*
*Mandaret laqueum,mediúmque ostenderet vnguem.*

*Placere bonis.*

*Placere enim tantum bonis studemus.*) Hîc miro modo spectatorum beneuolentiam, & attentionem conciliat, ab honesto videlicet & iusto, in aduersarios obiter stringẽs acu-

leos,dum eos paruifaciens,bonis tantum ſe gratum iri exoptat.Sic Terentius in prologo heautontimorumenos:habet bonorum exemplum,quo exẽplo ſibi licere id facere,quod illi fecerunt putat.Diuum quoque æmulatur Hieronymũ, in epiſtola ad Marcellum in hunc modum ſcribentẽ : Eruditis contentus auribus,non magnopere cures, quid imperitorum de ingenio tuo rumuſculi iactitent. Cui ſententiæ ſubſcribit & illud epigrammatarij poëtæ:Me iuuat raris auribus placere. Et Plautus in Amphitrione : Virtute ambire oportet non fautoribus.Sat habet fautorum ſemper qui rectè facit,Si illis fides eſt,quibus eſt ea res in manu.

*Ii.*) Quòd boni ſint, & eam ob rem humani , beneuoli, tranquilli,liberales,ſimplices,aperti,comes,faciles, ſuaues, tractabiles,indulgẽtes,& huiuſmodi.Hoc nempe ſonat vocabulum boni. *Boni qui dicantur.*

*Nunquam vitio vortent.*) Vertere vitio, dare vitio , aſcribere vitio, modus loquendi eſt venuſtus pro eo,quod corruptiſſimè diceretur inculpare . Plautus in Epidico : Quis erit,qui id vertat vitio?Item in Milite: Ne quis tibi hoc hodie vitio vertat. Terẽtius in prologo Andriæ: Nunc quam rem vitio dent , quæſo animaduertite . Hinc & illud quod vulgò iactatur:Quod alij vitio aſcribas,ipſe nẽ feceris. *Vertere vitio.*

*Sui quid ſenſerint ſtudio fieri.*) Studio,amore,diligentia,fauore. Plautus in Perſ. Si quid bonis boni fit , eſſe idem & graue & gratum ſolet.Cõtrà (vt idem ait in Capt.)eſt miſerorum, vt maleuolentes ſint , atque inuideant bonis. Sui dixit non ſuo , quia pronomen reciprocum ad principale ſuppoſitum refertur,quod eſt bonis ſpectatoribus. *Studium.* *Sui.*

*Si non ſatis fœliciter per omnia.*) Si non ſatis beatè, proſperè,ac vtiliter in omnibus. *Fœliciter.*

*Sedulò tamen.*) Sine intermiſsione & dolo,impenſè, diligenter, inſtanter , quaſi aſsidendo: quòd negligentes, doli ſuſpitione non vacent. *Sedulò.*

*Quod reſtat,&c.*)Iam ad ſilentium actoribus præſtandum ſpectatores bonarum literarum fauore & ſtudio cohortatur,& ab eis beneuolentiam captat , haud inſcius fieri non poſſe, vt præclarè illi ac pro decoro geſtus congruos fabulæ exprimant,niſi per auditorum ſilentium id ſibi detur.

*Ne graue tibi ſit ſilentio fauere literis.* ) Fauor in Comœdia, ſilentium ſpectatoris eſt , vnde Terentius in prologo *Fauor in Comœdia.*

Andriæ: fauete,adeste æquo animo,& rem cognoscite. Itē in Heaut. Facite æqui sitis, date crescēdi copiam nouarum. Et paulò infrà. Adeste æquo animo: date potestatem mihi statariam agere,vt liceat per silentium.

*Dum intenditur grex noster actiuncula.*) Est hîc figura hysterologia,quam alij histeron proteron vocāt, hoc est, sensus præposterus:ordo,vt sit,Dū intenditur actiunculæ grex noster tibi operā suam probet, quā suscipit. *Dū intēditur actiūcula.*)Dum sollicitè animaduertitur ab histrionibus, ad hanc fabulam concinnè decoréque peragendā. Intendere nēpe,est accuratè diligentérque intueri,& alicuius rei curā habere.Tractū à venatoribus,qui retia intendunt ad captādas feras,vel à sagittariis,Virgil.Intenti expectant signum, Cicero:Intentum animum tanquam arcum habebat, nec languens succumbebat senectuti.

*Intendere.*

*Quā suscipit,tibi operā suā probet.*)Probamus operā nostrā alteri,quū nostrū laborē animiq; sollicitudinē,quā ei⁹ caussa suscipimus,illi demōstramus, & argumētis planū facim⁹, quòd ea laude digna videātur,quę probari rationib⁹ possūt.

*Probare operam.*

*Quod si placebit interim.*) Interim discretio rei est,quæ ad narrationem pertinet.Terentius in Andr.Act.1.Sce.1. Tristis interim,nonnunquam collachrumabat. *Si placebit.*)Placet Comœdia,dum grata fit, & acceptatur à spectatoribus.

*Interim.*

*Nihil amplius memineris atque.*)Atque pro quàm. Si verò geminetur,auget,intenditque rem,de qua agitur. Ennius: Atque atque ascendit muros Romana iuuentus. Quasi diceret,sedulò,diligenter,intrepidè.

*Atque pro quam.*

*Debitum plausum dare.*) Dare plausum,siue plaudere, est pro re bene gesta alicui congratulari, animíque lætitiā gestu quodam corporis ostēdere. Quod nihilominus,sicut & explodere,derisionis caussa aliquando fieri assolet, quū videlicet manibus pedibúsve pulsatur & strepitus fit quò alius quispiam aut domo,aut schola,aut theatro,alióve quopiam conuentu expellatur. Vnde explosam sententiā Pyrrhonis,Aristonis,& Herilli,dixit Cicero.

*Dare plausum seu plaudere.*

*Explodere.*

*In prologo hæc satis.*)Subaudiendum,dicta sint.

*Periocha sic habet.*) Periocha multa significat. Dicitur enī complexio,monitio,hypothesis,argumētum,status, thema, materia,& propositum totius caussæ.

*Periocha.*

# ARGVMENTVM Comœdiæ.

D*VOS cùm haberet filios pater, abdicat*
*Iuniorem. Is à patre accepta substantia,*
*Statim peregre profectus, perditißimis*
*Sese applicat nebulonibus: mox alea,*
*Lasciuia, luxu, fœdè rem prodigit.*
*Ex hinc eò ille calamitatis incidit,*
*Vt rebus exutus, siliquis & glandibus*
*Famem eximeret. Cui quum pertæsum inediæ*
*Esset, paternam regreditur supplex domum.*
*Pater reducem sibi gratulatur filium:*
*Amplectitur, sub hæc epulatum prouocat.*

*Abdicare* *Exhæredare.* A*Bdicat iuniorem.*) Abdicamus filium, quum eum expellimus, atque quasi alienũ ducimus. Exhęredamus, quũ tantum submouemus ab hæreditate: quo fit vt exhæredationem in se contineat abdicatio, adeò vt quisquis abdicatus est, idem sit & exhæredatus.

*Peregrè.* *Peregrè profectus.*) In longinquam regionem abiens. Fit autem peregrè à peregrinus, qui vtique aliena loca peragrãs dicitur. A quo peregrinor verbum.

*Applicare.* *Sese applicat.*) Adnectit, adiungit. Applicare tamẽ, authore Donato, proprie dicitur de naufrago in littus eiecto atque egenti. Terent. in And. Act. 5. Sce. 4. Atticus quidam olim naui fracta, apud Andrum eiectus est: tum ille egens, forte applicat primum ad Chrysidis patrem se.

*Nebulones* *Perditißimis nebulonibus.*) Nebulones, nugatores dicũtur, ac vani, nulliúsq; precij homines, ꝗ nõ facile perspici posit quales existãt, quasi nebulis obtenebrati. Vel quod men-

daciis atque verſutiis ſuis nebulas quaſdam obiiciant. Vel quod ad fugam fugitiuis,& ad furta nebulæ ſint accommodatæ. Hi tenebriones quoque à veteribus dicti à tenebris.

*Tenebriones*

*Alea.*

*Mox alea.*)Alea dicitur omnis ludus magna ex parte in fortunæ varietate conſiſtens. Vnde Martialis de Nucibus:

*Alea parua nuces,& non damnoſa videtur:*
*Sæpe tamen pueris abſtulit illa nates.*

Sed propriè de teſſeris dicitur. Sumitur & pro fortuna, quòd fortunæ omnis euentus anceps ſit & periculoſus, & continuæ mutationi obnoxius.Dicitur etiam extra omnem ingenij aleam poſitus,quiſquis extra omnem dubitationem ac periculum eſt,vt aliquis ei ingenio præferatur.

*Laſciuia.*

*Laſciuia.*)mollitie,petulantia,nequitia, incontinentia animi nec virtutem nec probitatem reuerentis.

*Luxus.*

*Luxu.*)Immoderata profuſione,ſumptuoſioréq; cibi,veſtitus & aliarum rerum cura. Eſt & immoderata appetitio cuiuſcunque rei gratæ,rationi non obtemperans. Significat & nimiam cuiuſcunque rei affluentiam.Vnde luxuriare dicuntur ſegetes.

*Fœdè.*
*Res.*
*Prodigere.*

*Fœdè rem prodigit.*)fœdè,turpiter,flagitioſè. *Rē prodigit.*) Res pro ſubſtantia: Prodigere aut conſumere, aut vltra modum erogare ſignificat. A quo prodigus. Plautus:feſto die ſiquid prodegeris,profeſto egere liceat,niſi peperceris.

*Ex hinc.*

*Ex hinc.*)Ex inde,quapropter,ideo.Dicitur & exin & exinde, ſicut proin & proinde.

*Eò calamitatis.*

*Eò calamitatis incidit.*) In eam proruit,ac delapſus eſt miſeriam.

*Vt rebus exutus.*)Sua omni denudatus,ſpoliatúſque à patre tradita ſubſtantia.

*Eximere famem.*

*Siliquis & glandibus famem eximeret.*)Pomponius Iuriſcõſultus eximendi verbum affirmat eſſe generale.Etenim eripere,inquit,eſt de manibus auferre raptum: eximere verò, quoquomodo auferre. Virgil.Poſtquam exempta fames epulis,menſæque remotę,Amiſſos longo ſocios ſermone requirit.Terẽtius in And.Act.2.Sce.2. Sed vbi inueniam Pãphilum,vt metum,in quo nunc eſt eximam, atque expleam animum gaudio?

*Siliqua*

*Siliquis.*)Siliquæ,ſunt foliculi ſeu tegmina quibus grana leguminum includuntur,& ſi quid leguminibus eſt ſimile. Significat & fructum arboris, quem Græci κερατωνίαν vo-

tant, quem quidam ficum Aegyptiam nominant. Horatius. Viuit filiquis, & pane fecundo.

*Et glandibus.*) Glans propriè fructus eft quercus, & aliarum arborum glandiferarum. Vnde glans cerea, fagina, illigna, & querna dicitur. Sed quia fuit prifcorum hominũ cibus nõdum repertis frugibus, glãdis appellatione (Caio & Vlpiano autoribus) omnes fructus continentur. *Glans.*

*Cui cùm pertæſum inediæ eſſet.*) Tædet verbũ imperfonale pro præterito pertæfum & pertæduit habet, ficut miferet mifertum eft. Virgi. 4. Aeneid: Si nõ pertæfum thalami tædæque fuiffet. *Cui cùm pertæſum inediæ eſſet.*) Nouè, Nam verbum tædet accufatiuo gaudet cum genitiuo, nifi acquifitiuè accipi velis. Cornelius Nepos: Núfquam, inquit, fufcepti operis eum pertæfum eft. *Pertæſum.*

*Paternam regreditur ſupplex domũ.*) Supplex, id eft, fubnixis genibus. Nam veteres precando, & genua eius, cui precabatur, attingere folebãt, & ad ea quafi adorantes manus tẽdere. Non fit autem quis alicui fupplex, nifi magnis in malis, & rebus fuis maximè afflictis. *Supplex.*

*Pater reducem ſibi gratulatur filium.*) Id eft, gaudet apud fe ob fœlicitatem quam accepit ex fibi reducto filio. Reduces verò dicuntur, qui pericula euaferunt, quíque ab exilio feu captiuitate reducuntur in patriam. Terent. in Heaut. Act. 2. Sce. 4. Vah, ergo mea Antiphila, tu nunc fola reducẽ me in patriam facis. Cicero pro Milone: Quid me reducẽ effe voluiftis? An vt fpectãte me expellerentur ij, per quos effem reftitutus? *Reduces*

*Sub hæc.*) Sub præpofitio elegantia non caret, cùm vulgarem tranfgreffa modum, in alium trãfit fenfum. Cicero: Sub eas ftatim recitatæ funt tuæ. Horat. Sub galli cantum cõfultor vbi hoftia pulfat. Virgil. Sub noctẽ cura recurfat. *Sub præpoſitio.*

*Epulatum prouocat.*) Prouocare hìc, inuitare eft ad conuiuandum, ficque in bonam partem fumptum. Aliàs in malam. Plinius: Quanuis multis prouocatus iniuriis, nunquã tamen ab amicitia recefsi. Id eft, incitatus, lacefsitus. Ponitur & pro appellare. Vnde prouocatio, appellatio dicitur. *Prouocare.* *Prouocatio*

# ACTVS PRIMI Scena prima.

PELARGVS, EVBVLVS.

*Senarij omnes.*

*N*VNC *demum ſentio, quanta ſit fœlicitas,*
*Et quãta quies, habuiſſe liberos patri*
*Per omnia obſequẽtes. Ego quoad pro meo*
*Animo moderarer filiũ annis paruulum,*
*Præterea tam bene conditum, vt nihil amplius*
*In eo deſiderare poſſes, tum quidem*
*Viuebam, velut vtramque in aurem dormiens:*
*Mihi plaudebam, qui natum haberem præditum*
*Tali ingenio & modeſtia, vnde gaudium*
*Poſſem mihi polliceri perpetuum, & benè*
*Stabile. At nunc poſtquam detecta hypocriſi, malus*
*Apertè cœpit eſſe, adeóque id inſtitit,*
*Manũ vt mea emittatur, vah, quæ cogito?*
*Quibus nunc ſollicitor rebus? ne ille hinc ſibi*
*Primam feneſtram ad nequitiam patefecerit:*
*Neu ſeruus peccati euaſerit ex libero.*
*Patris imperium lene dum malè ſanus abiicit,*
*Id quod de ipſo ſperaueram nunquam fore.*
*Hoc illud eſt, quod vulgò conſueuit frequens*
*Dici: Penuriam multò melius feras*
*Quàm ſaturitatem. Nam illa multos continet*
*In officio: hæc verò ad proteruiam meum*

*Perpellit*

*Perpellit filum: quandoquidem malit*
*Errare quolibet ex sua libidine,*
*Paterno quàm sinu fouerier amplius.*
*Næ ille haud scit, quàm præsens sibi accersat malum.*
*Sed quid? sinam vero à me abire filium,*
*Quem destinaueram hæredem regno meo?*
*Id Eubulus forsan meus non suaserit,*
*Quo consule semper vsus sum fœliciter.*
EV. *Non possum (quod meum ingenium est) qui sedulò*
*Agam, laborem, in officio sim, pro meo*
*Pelargo, cui ceu Theseus quispiam Herculi*
*Coniunctus sum, idque ob morum similitudinem,*
*Quæ vt inter nos est ferè consentanea,*
*Ita mutuum amorem conciliet oportet. hinc*
*Adeò nullum elabi diem patior, meum*
*Qui illi deferam officium. Illuc scilicet*
*Mihi iter est.* PEL. *Cuius hìc vocem audire videor?*
*Num Eubuli? Is est ipsus: per tempus aduenit.*
*Videon' te Eubule mi, meo animo maximè*
*Nunc expectate?* EV. *Eho, quid tam quæso tristis es?*
PEL. *Haud simplex est malum, quod me sollicitũ habet.*
EV. *Quidnam est?* PEL. *Eubule mi nihil.* EV. *Quin,*
*dic quid est.*
PE. *De filio numnam audisti?* EV. *quid is studet?*
PE. *Alienum sese facere à patria domo.*
EV. *Tuus ne filius?* PEL. *Meus.* EV. *Quid audio?*
PEL. *Minor ille natu, hanc mihi mouet Tragœdiam,*
*Qui vtinam ex me natus non esset.* EV. *Bona verba, sed*
*Vnde istuc quæso huic venit in mentem, nisi*
*Indignis ille abs te sit tractatus modis?*
PEL. *Imò ne nimis dignis vereor Eubule.* EV. *Qui?*
PEL. *Dicam. Istunc ex me natum eduxi à paruulo,*

*Habui, amaui vt meum, in eo me oblecto, illius*
*Salutem curo, nil prætermitto vt queam*
*Prodesse, studium omne meum illius commodo*
*Consecro. Denique velut in sinu meo*
*Eum foueo vnicè charum, nunquam vt meam*
*Benignitatem senserit in se claudier.*
*Optare quicquid ausus est habuit, meis*
*Bonis voluit frui, voluit recto pede*
*Incedere, liberum illi factum est, quolibet*
*Mentem suam inclanare, quolibet manum*
*Extendere, tantum ne rebellaret mihi*
*Dedi mandatum, huic pareret iussi. Vbi*
*His studiis illum mihi firmissimè puto, &*
*Perpetuò deuinctum fore, euenit bonæ*
*Conditionis tædium vt acciperet, hinc viam*
*Occepit comminisci, qua se emancipet*
*Paterno iure. Philautus eam glaciem secat.*
*Meditatis rationibus, illinc proficiscitur*
*Rectà ad me. Heus tu pater, inquit, ætas quæ mea*
*Sit ipse vides, satis sub imperio tuo*
*Egi, valet mihi iudicium, valet ingenî*
*Vigor, meas vires volo experier.*
*Tam grandem detineri me patris iugo*
*Inscitia est. Aequales qui sunt mei ordinis*
*Ad vnum omnes gaudent, dudum repudium*
*Dedisse patribus, quorum iniustitia grauis*
*Est filiis. Per me satis sapio, nihil*
*Custodis egeo. Proinde volo debita*
*Substantiæ mihi scribatur portio:*
*Nisi nullis legibus teneri te putas.*
*Hæc illius erat luctuosa oratio*
EV. *Satis superbè omnia. Quid tu ibi?* PE. *Primū, velut*

*Attonitus hæsi, pòst mihi redditus: Adeon'*
*Inquam, vel inhumanus tibi, vel durus fui,*
*Vt te mea iniustitia eiiciat? Otij*
*Credo tibi obrepsit saturitas, hinc tui*
*Te pœnitet, hinc præsentis te sortis piget.*
*Nunc vis conscribi a me substantiam tibi,*
*Nunc vertere solum vis: vide ne quàm tibi*
*Istuc sedet cordi, tam multum incommodet.*
*Solent enim subita consilia ducere*
*Secum comitem, præsentem pœnitentiam.*
*Non desunt exempla, quibus quod ago comprobem:*
*Nisi si patrem non audias, frustrà audias*
*Exempla. Porrò quis tam confidens fuit,*
*Qui te corrumpere sit aggressus? Aut malè*
*Odoror, aut Philautus consultor fuit:*
*Is frigidam suffudit, strenuus quidem*
*Ille & cordatus monitor. Benè si quid monet,*
*Qui te ad scopulos è tranquillo inferat. Nocens*
*Profectò* τῆς φιλαυτίας *malum,*
*Quod quò magis fuco quodam suo tegit*
*Venenum, hoc est nocentius. Quàm blandulus*
*Siren Philautus à fronte, at pòst senseris*
*Dulcis veneni aculeum. Longè hinc fuge*
*Mi fili, si modò tua tibi cordi est salus.*
*Sic dixi.* EV. *Quid? num his ille quietus redditur?*
PE. *Quietus? Nihil minus, imò cœpit hinc magis*
*Atque magis ius suum vrgere, & leges bonas*
*Inclamare, quibus contendunt ephœbiam*
*Transmissos, solui iure patrio.* EV. *Sed quibus*
*Tandem verbis conuenit inter vos?* PE. *Nihil*
*Conuenit, hoc tantum respondi, me amplius*
*Super his deliberare velle. Nunc mihi*

*Quid consulis faciendum esse, Ebule optime?*
EV. *Dicam. Principiò, quando obstinatè fugam*
*Parat, memineris hoc verè dictum à Sophois,*
*Inuitum si retineas, exire incitas.*
*Sine eum modò suo animo obsequi, vt sibi notior*
*Paulò pòst redditus, videat, proteruia*
*Sua quo malorum reciderit: dehinc tuas*
*Sub alas si recurrerit, atque supplicem*
*In gratiam tum admiseris, certè hinc magis*
*Tibi filium alligaueris ac dudum fuit.*
*Sic sentiet, quanto sit præsidio pater*
*Ei, qui vel tandem resipiscat perditus.*
*Vt taceam, quòd bonitas tua hinc euaserit*
*Longè commendatissima, si sese exerat*
*In immerentes, & facilem, & piam & bonam.*
PE. *Quid? censén' igitur numerandam pecuniam,*
*Qua ablegetur?* EV. *Scilicet.* PE. *Os durum.*
EV. *postulat*
*Istuc res ipsa, ratio, iuráque publica:*
*Faciendum est.* PE. *Quid? non mihi ius est lasciuiam*
*Illius, obsecro, retundere?* EV. *Non habes*
*Necesse pro imperio tuo omnia agere, quin*
*Sine abeat.* PE. *Quando ita vis, faciam, magis tibi*
*Credam, quàm animo meo.* EV. *Sed heus ne sæuius*
*Gnatum tractes, tantùm obiurgato amantiùs,*
*Paritérque moneas, quid cauere oporteat*
*Periculi.* PE. *Meminero, modò ad ærarium*
*Illum expectabo dum redeat. quid tu interim?*
EV. *Domum eo.* PE. *Quid quod te oro?* EV. *quid?* PE. *vt ne sit mihi*
*Te consultore diu carendum.* EV. *Vah, quasi*
*Vnquam diu carueris.* PE. *Dij boni, vt sapit*

*Eubulus, vt prudenter consulit, vt videt*
*Omnia: Ianum bifrontem hunc verè dixeris,*
*Tam in occipitio quoque oculos multos habet.*
*Huius consilium vt ex animo meo parum*
*Sit fecisse, tamen non pigebit forsitan.*
*Nuncvt diei gnato dicta tempus est,*
*Rationes omnes concinnabo ad calculos.*

Argumētū.

NVnc demū sentio,) In hac Scena, maxima pars argumēti, & caussa totius motus & erroris in fabula cōtenti, elucidatur per Pelargū prodigi patrem. Quē sese miserè discruciantem ob degenerantem à suis moribus & institutis filium vltro compellat consultor Eubulus, sedulò caussas inquirens tantæ filij rebellionis & proteruiæ, vt tā obfirmato animo ausit ille obluctari patri, & à sua ditione & imperio sese alienum facere. Cuius rei rationes adferens pater, luctuosam filij orationem, qua eum aggressus est, & suam inde cohortationem, qua filium à nequitia reuocare conatus fuerat, obiter interserit. Super qua quidē re, Eubul⁹ Pelargo eum tandem consulenti, suum aperit consilium, quo suadet numerandam filio pecuniam, qua recedat. Cui, licet permolesto animo, adstipulatur Pelargus. Hæc scenæ præsentis summa est.

Doctrina.

*Nunc demum sentio.*) Quemadmodum paterna fœlicitas, beatitudo, & quies, ex benè morigeratis filiis exploratur: ita è regione ipsius patris calamitas, inquietudo, & miseria, ex rebellibus & minus obsequentibus, hac scena dignoscitur. Quò fit quidem, vt in prouerbium cesserit, fœlicitatis matrem esse obedientiam, cōiugémque sospitatoris Iouis. Hic ergo velut ad amussim describitur paternus affectus in proteruum rebellémque filium: & filij contumacia in piū patrem: & super vtroque, prudentis consultoris prudens ac strenuum consilium.

Sētire quid

*Nunc demum sentio.*) Morā his verbis significat, ac postremam tarditatem. Itaque postremò, vel serò se sentire, hoc est, intelligere indicat. Sic Simo ille Terentianus in And. Act.3. Sce.1. Iam scio, ah vix tandem sensi stolidus. Vbi quidem Donatus: Quinque sunt, inquit, sensus quorum duos,

visum & auditum, magis sensibiles habemus, quàm pecora. Vnde Cicero, Non solum videam, ait, sed etiam audiã, plánéque sentiam, quasi ad tactum retulit, quo etiã pecora impelluntur ad sensum. Duabus ergo rebus scimus, aut ratiocinatione, aut sensu, quibus maximè præstamus cæteris animalibus. Quo fit vt Pelargus nõ tam sensu, ac ratiocinatione, quàm veluti calcaribus & stimulis punctũ se sentire innuat. *Nũc demum sentio.*) Demum tandem & denique significat. Terent. in And. Act. 5. Sce. 3. Modóne id demum sensisti Pamphile? Aliàs solũ. Cicero: Ea demũ magna voluptas est Crispe Salusti, æqualem ac parem verbis vitam agere.

*Demum.*

*Quãta sit fœlicitas, & quanta quies*) Fœlicitas est animi proprie quies corporis, quãquã hęc ad animũ quoq; aliquãdo refertur. Fœlicitas est, cũ nil ex prosperitate, quod lędat nascitur. Quies, cũ securitas sine insolẽtia & inquietudine presto est.

*Fœlicitas. Quies.*

*Habuisse liberos.*) Habuisse dixit, non habere, quasi alienus iam sit à patre, nec verè filius dici debeat, qui ei per omnia non obtemperet. Peccatum est (inquit Cicero 3. de Finibus) parentes violare: quorum non modò reticere oportet iniurias, sed etiam æquo animo ferre. *Habuisse liberos.* ] Liberi numero plurali, filij dicuntur, quòd liberalitate (vt ait Donatus) à parentibus regendi sint ac instituendi. Hinc Cicero 2. de Orat. Feræ partus suos diligunt, & nos in liberos nostros vti debemus indulgentia.

*Habuisse.*

*Liberi.*

*Per omnia obsequentes.*] In omnibus morẽ gerentes. Obsequi autẽ nõ solũ de minoribus erga maiores, verũ etiã de maioribus erga minores dicitur. Plaut⁹. Ego sane cupio obsequi gnato.

*Obsequi.*

*Ego.*] Hoc pronomen, authore Donato, initium continet orationis grauiter inceptæ, vt est illud Simonis in And. Act. 1. Sce. 1. Ego postquam te emi à paruulo.

*Ego.*

*Quoad.*] Quandiu. Cicero in Offic. Tandiu autem velle debetis, quoad te quantum proficias, non pœnitebit.

*Quoad.*

*Moderarer filium.*] Cõiunctiuũ est, pro pronũtiatiuo. Moderari, regere est, quod modò accusatiuo, modò datiuo gaudet sed datiuo frequẽtius. A quo moderatio, modestia, & moderator, quod rectorẽ significat. Vnde Moderatorẽ pædagogij Latinè dicimus eũ, quem barbarè Regentem appellant.

*Moderari.*

*Annis paruulum.*] Iuniorem, adhuc ferè infantulum. Ea est ætas, in qua indoles, hoc est, aut futuræ probitatis signifi-

*Annis paruulus.*

catio,præstantiáque ac generositas quædam virtutis, aut ad mala natum ingeniũ,maximè elucet:iuxta illud quod vulgò fertur: Generosioris arboris statim planta cum fructu est. Vnde subinfert.

*Prætereà tam benè conditum.*] Hæc duo sunt patris pręcipua arguméta capiendę voluptatis in filio,primũ quòd ãnis par uulus, alterũ quòd præclaris moribꝰ ornatus & egregiè cõpositus. Sic Simo ille apud Terentiũ in And. Act.19. Sce.1. de suo Pamphilo penes se gloriabatur: Enimuerò,inquit, spectatũ satis putabã,& magnũ exemplũ continentiæ. *Prætereà tam benè conditũ.*] Conditus nõ à cõdio,sed à cõdo fit, quod cõstituere est & cõponere, vnde incõditꝰ pro inornato & incomposito,vt incõditus sermo, incõdita oratio, & inconditè loqui, pro ineleganter, inconcinnè, inuenustè incompositè,

*Conditus. Incõditus.*

*Vt nihil ampliùs in eo desiderare posses.*] Ergo perfecto absolutóque ingenio,quũ Horatio teste,nihil sit ab omni parte beatum. Et fœlix per omnia nullus est mortalium.

*Tum quidẽ viuebam,velut in vtranque aurẽ dormiẽs.*] id est, securè,maxima cum fiducia, nihil tam concinnis moribus prædito filio timẽs. Est autẽ in vtrãuis aurẽ dormire, aut in vtrunque oculum,animo ocioso,securo, curáque vacuo esse. Terent. in Heaut: Act. 2. Sce.3. Ademptum tibi iam faxo omnem metum, in aurem vtranuis ociosè vt dormias. Plautus: De istac re in oculum vtrumuis conquiescito.

*In vtrãque autem dormire.*

*Mihi plaudebam.*] Mihi congratulabar, in mei animi penetralibus meum occultabam gaudium, tacitam apud me voluptatem percipiens. *Mihi plaudebam.*] Mihi,inquit,plaudebam,non autem laudabã. Laudat enim alienus:sibi plaudit, qui pater est. Plaudimus nostris, gratulamur alienis.

*Plaudere.*

*Qui gnatum haberem præditum.*] Terentiana locutio est in And.Act.1.Sce.1. *Qui gnatum haberem præditum.*] Pręditus dicitur, qui re aliqua præit alios,à præeo, quod ante ire significat & præcedere. Vnde præditus honore, diuitiis, virtute,vitiis,dicitur.

*Præditus.*

*Tali ingenio.*] Ingenium hîc pro natura sumitur. Terentius in Ãnd.Act.3. Sce.1. Bonum ingenium narras adolescẽtis. Et rursus eiusdẽ Comœdiæ act.1. Nam qui cum ingeniis conflictatur eiusmodi,id est,cum hominibus eiusdẽ naturę atteritur. Est quoq; ĩgeniũ,visquędã naturalis nobis

*Ingenium.*

insita, suis viribus præualens, ad inueniendum quod ratione iudicari possit, vt paulò infrà in oratione prodigi apud patrem habita: valet inquit mihi ingenij vigor. Vnde ingeniosi, præclara quoque & obtusa ingenia dicuntur, id est, acuta & rudia.

*Modestia.* *Et modestia.*) Ea est pars vna temperantiæ, per quam pudor honestus, puram ac stabilem comparat autoritatē. Duæ aliæ partes sunt continentia, & clementia. Continentia, cupiditas, consilij gubernatione regitur. *Cōtinētia.* *Clementia.* Clementia, animus temerè in odium alicuius concitatus, comitate retinetur,

*Vnde.*) Ex quo quidem ingenij ac modestiæ ornatu.

*Polliceri & promittere.* *Gaudium possem mihi polliceri.*) Polliceri & promittere, eandem vim habēt, sed polliceri maioris asseuerationis est, significat enim vltrò promittere. Vnde à liceor deducitur, quod est preciū augere in auctione facienda, & pol affirmatiua particula, siue à porro, siue à poly, quæ per exceptionem multùm significat.

*Perpetuū.* *Stabile.* *Perpetuum, & benè stabile.*) Perpetuum gaudium dicitur integrum, solidum, & nusquam interruptum. Stabile, quod firmum est, & sua natura ad diu standum aptum. Terentius in Adel. Act. 5. Sce. 9. Vtinam hoc perpetuū fiat gaudium, Phrygiam vt vxorem meam vnà mecum videam liberam.

*At nunc postquam detecta hypocrisi.*) Hoc videre vulgò est, vt gaudia si etiam intra intimum nostrum cōplexi fuerimus, labi ac excidere: nullam denique diem esse, quæ suā homini non adferat ægritudinem. Illic ex filio egregiis moribus (vt videri videbatur) prædito, sibi haud vulgare pollicetur gaudium Pelargus: hîc ex animi filij detectione, quem paulò antè hypocritico velamento obtegebat, non minimā capit mœstitiā. *Detecta hypocrisi.* *At nunc postquā detecta hypocrisi.*) .i. denudata patefactáq; simulatione, qua probæ indolis esse mētiebatur. Quæ species argumēti ab his translata est, qui falsò incedūt vultu, & simulant quod nō sunt. Sic Terēt. in And. Act. 1. Sce. 1. Benè dissimulatū amorē & celatū indicat.

*Apertè.* *Malus apertè cæpit esse.*) Benè apertè, qui prius simulatè.

*Adeóque.* *Adeóque.*) Pro etiā, quod fit quū coniunctionē illi præponimus, aut adnectimus. Trebonius Ciceroni: Nihil adolescente tuo, atque adeò nostro amabilius. Itē Cicero pro Roscio: hoc conscio, atque adeò hac amentia impulsi. Aliâs pro valde. Terētius in Eunucho, Act. 1. Sce. 2. Adolescentē

adeò nobilem. Interdum pro certè. Virgil:

*-Adeò à pueris assuescere multum est.*

*Id instituit.!*] Id abundat, nisi Terentiano more, accipere velis pro propter id, vt est illud in And. Act. 1. Sce. 1. Et nūc id operam do, vt per falsas nuptias vera obiurgandi caussa sit si deneget. *Instituit.*] Insistere, operam dare est, vim facere, & adniti pro virili. *Id.* *Insistere.*

*Manu vt mea emittatur.*] Manus hîc pro potestate sumitur. Vnde Terentius in hecyra, Act. 3. Sce. 5. Tibi, id in manu est, ne fiat, hoc est, in promptu, vel in potestate Manumitti itaque, liberari est à potestate & dominio. Et, autore Vlpiano, manumissio dicta est datio libertatis, quòd quādiu quis in seruitute est, manui, id est, potestati subditus sit. Et manumissus, liberatus à potestate. *Manus.* *Manumitti* *Manumissio.*

*Vah.*] Interiectio clamosa, ad luctum spectans. Aliâs ad gaudium. *Vah.*

*Quæ cogito!*] Hoc ita pronunciandum venit, vt horrere videatur ipse cogitationem suam. *Quæ cogito!*] Qualia mē te reuoluo? Cogitare enim nil aliud est, quàm mente agitare, ac veluti in mora esse consilij explicandi. Terentius in Adel. Act. 1. Sce. 1. Ego, quia non rediit filius, quæ cogito! quibus nunc sollicitor rebus! *Cogitare.*

*Quibus nunc sollicitor rebus*] Id est, quàm malis, ob quæ tātopere inquietor, tantaque nunc afficior molestia. *Quibus nūc sollicitor rebus!*] Hic pij patris vulnus recrudescit ex improbi filij reminiscentia. Nihil est enim quod cordato patri æquè stomachum moueat aut eū reddat anxium, atque improbi filij aut insolentiæ, aut proteruiæ, aut certè rebellionis meminisse. Sic Simo ille Terentianus de filio conquestionem exaggerat. Sed quid ego? cur me excrucio? cur me macero? cur meam senectutem huius sollicito amentia? an vt pro huius peccatis ego supplicium sufferam? Hæc in And. Act. 5. Sce. 3. *Sollicitari.*

*Ne ille hinc.*] Id est, manumissione, ac detecta hypocrisi.

*Sibi primam fenestram ad nequitiam.*] Primam occasionem arripuerit temperantiæ ac frugalitatis contemnendæ, earúmque loco amplexandæ lasciuiæ, & libidinosæ illecebræ. *Ad nequitiam.*] Præclarè de hoc prodigo & adolescente nequitiam dixit. Est enim Nequitia, finitore Donato, luxus vitæ prodigus atque effusus. *Nequitia.*

Ouid. *Nequitia est, quæ te non sinit esse senem. Sibi primam fenestram patefecerit.* ) Patefacere fenestram, ausam præbere, aperire ianuam, aperire repagula, aperire viam, præstruere viam, præcludere viam, iacere fundamenta, venustissimæ sunt metaphoræ, quibus vtimur, vt ait Erasmus, quum aliquid occasionem aut aditum ministrasse dicimus. Terentius in Heaut. Act.3. Sce.1. Hui quantam fenestram ad nequitiam pateteceris. Plautus: An non vides, hunc ansam quęrere, id est, occasionem rescindendæ, irritandęque pactionis captare? Ne maleuolis igitur obtrectandi ansam præbeamus.

*Patefacere fenestram.*

*Neu seruus peccati euaserit ex libero.* ) Liber prius erat Acolastus, quàm à paterna deficeret ditione ac præscripto, quum vero eò decidit amẽtiæ, vt libidinẽ malam dedecúsque, ac turpitudinem, virtuti, ingenuæ doctrinæ, ac cohortationi patris anteposuerit, tum denum ex libero factus est seruus peccati, libertatem quidem vltro sibi promittens, cũ seruus esset corruptionis. Nam contestante diuina scriptura, à quo quis superatus est, huius & seruus est. 2, Pet. 2. Et Christus in Ioannis Euangelio: Omnis, inquit, qui facit peccatum, seruus est peccati. Ioan. 8. Cui sententiæ accinit & Diuus Paulus, Romanis scribens: An nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obedistis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam? Ro.6.

*Euadere seruus peccati ex libero.*

*Patris imperium lęne dum malè sanus abiicit.* ) Hoc moraliter dicit, quo innuat quàm meritam mortem sibi accersat hominis rebellio in Deum & contumacia. *Dum male sanus.* ) mentis impos, demens, stultus.

*Male sanus.*

*Hoc illud est, &c.* ) Epiphonema, quam acclamationem vocat Fabius. Estque confirmatio superiorum ab autoritate, & sententia generali.

*Frequens.* ) Nomen est loco aduerbij, pro frequenter, crebro, sedulò.

*Frequens.*

*Penuriam multò meliùs feras, quàm saturitatem.* ) Videtur hîc alludere ad illud Plautinum in Pseudolo: Nimio illud quod pudet facilius fertur, quàm illud quod piget. Sunt autem omnes huius ingenij homines, vt ferociùs insolescant ex nimia opulentia: Vnde Cicero de lege Agr. ad pop. contra Rullum, ait ex copia, atque rerum omnium

affluentia, primò arrogantiam natam fuisse. Cui sententiæ accinit Ouidius Naso. *Vnde orta arrogãtia.*

*Luxuriant animi rebus plerúnque secundis,*
*Nec facilè est æqua commoda mente pati.*

Hinc morum illam licentiam, quę secundis rebus comes esse consueuit vulgo panariam ebrietatem appellant.

*Penuriam multò meliùs feras.*] Id est, ferre quis potest. Dicitur autem penuria, quasi vrens pena, vel quòd penè vrat, vel quòd penè min⁹ sit, quàm necesse est. Significat autẽ rerũ omniũ inopiã, earũq; potissimũ, quę ĩ penu recõdi solẽt. *Feras. Penuria.*

*Nam illa.*] Penuria, & est locus ab effectu.

*Multos cõtinet.*] Artificiosè multos, & cõtinet. Est nẽpe cõtinere quasi repugnãtes tenere. Nemo est aũt qui nõ pinguiorem fortunã sibi sedulò exoptet, nedũ penuria affici velit.

*In officio.*] In eo quod agere, & in quod incumbere vnumquéque oportet, vt ea agat quæ nulli officiãt, prosint omnib⁹. Fit autẽ officiũ, autore Donato, ab eo quod quæritur quid efficere vnũquemque pro suæ cõditione personæ cõueniat: in quo animaduertere oportet quid loco deceat, quid tempori, quid rerum aut personarum dignitati. *Officium.*

*Hæc verò.*] Saturitas, id est, rerum affluentia.

*Ad proteruiam meum perpellit filium.*] Nihil est enim (autore Erasmo) quod magis ferociã pariat, quàm satietas: aut ĩsaniã, quàm imperitia cũ potestate cõiũcta. Tollit animos opulentia, si verò ad ĩnscitiã accedat potestas, iam res ad insaniã vsque procedit. Inde natum prouerbiũ: ferocia mater satietatis est. *Meũ perpellit filiũ.*] Cogit, ĩducit instigat. *Ad proteruiam.*] Proteruia dicitur lasciuia, petulantia, improbitas, superbia: hinc appellata, quòd qui proteruus est alium, proterat. Nam proteruus dicitur, qui dum alius obuius est, proterit, quòd faciunt & tauri in appetitu coitus fœminarum, in quas calent. Sic ferè Donatus. *Ferocia mater satietatis. Perpellere. Proteruia.*

*Quandoquidem.*] Coniunctio rationalis est. Virgil. *Quandoquidem.*

*Quandoquidem Ausoneos non fas contingere portus.*

*Malit errare quolibet.*] More pereuntiũ pecudũ quocũque vagari. A quo errones dicuntur: & erratio, quæ pecudũ est: & error, qui ad animũ & ad locũ in quo errat, referri solet. *Errare.*

*Ex sua libidine.*] Hìc libido pro volũtate hominis incerti ac leuis sumitur. Est enim libido quicquid libet, aut temerè suscipitur. Ex quo quædã dicitur nõ modò turpium, sed *Libido.*

honestarum quoque rerum voluntas. Vnde iram definimus esse libidinem eius puniendi, qui iniuria læsisse videatur: auaritiam, libidinem habendi pecuniam: peruicaciam, libidinem quomodocunque viuendi: iactãtiam, libidinem gloriandi: tyrannidem, libidinem dominandi. Peculiariter tamen libidinis nomen translatum est, ad immoderatum coeundi appetitum. Vnde Lactantius libro sexto: tres, ait, esse affectus, qui homines in omnia facinora præcipites agant, ira, cupiditas, libido.

*Sinu foueri.* *Paterno quàm sinu fouerier amplius.* ) Translatio est de nutricibus, quæ quò blandiùs, amabiliùs, & cautiùs foueant quos susceperunt educandos infantulos, solent eos sedulò in suis amplexibus circunferre.

*Ne.* *Ne.*) Profectò. Est autem Græca particula quum sic cum diphthongo scribitur Terentius in Heaut. Act. 2. Sce. 1. Mihi si vnquam erit filius, næ ille haud facili me vtetur patre.

*Accersere sibi malum.* *Ille haud scit, quàm præsens sibi accersat malum.* ) Præsens malum, siue perniciem suo iumento sibi accersere, est, interprete Erasmo, sibi ipsi mali occasionem ministrare. Mercurius in Amphytrione Plautina: Ipse homo sibi à me malam rem accersit iumento suo. id est, sua opera, & tanquam suo plaustro aduehit. Simile est huic: Sibi ipsi mali fontem aperire, & mouere camarinam, quum quis sibi mali caussam præbet.

*Sed quid.* *Sed quid?*) Eclypsis est, deest enim faciam.

*Regnum.* *Quem destinaueram hæredem regno meo.* ) Quem deputaueram mearum facultatum vnicum fore dominũ. Regnum enim aliquando pro diuitiis ac dominio sumitur, sicut rex pro diuite aut domino, vt infra dicetur.

*Destinare.* Destinare autem, deliberare est, assignare, atque deputare. Virgilius:

*Compositam rumpit vocem, & me destinat aræ.* Iuuenalis:
*Laudo tamen vacuis, quòd sedem figere Cumis*
*Destinet.*

*Id Eubulus forsan meus non suaserit.* ) Coniunctiuum modum posuit pro indicatiuo, vel, vt aliis placet, promissiuo. Sic Terentius in Hecyra, Act. 3. Sce. 4. Denique hercle aufugerim potiùs quàm redeam, si eò mihi redeundum fiet.

*Suadere, & persuadere.* *Non suaserit.*) Suademus facilia, persuademus difficilia. Et suadere, faciẽtis est: persuadere, perficiẽtis. Suademus, quum accommodatis & suauibus verbis hortamur aliquem ad id

quod intendimus. Perſuademus, quum ſuadendo aut diſſuadendo aliquid, hominem in opinionem noſtram inducimus.

*Quo conſule ſemper vſus ſum fœliciter.*) Cuius conſilio adiutus, quicquid vſpiam aggreſſus ſum, ſemper mihi proſperè & auſpicatò ſucceſsit. *Vſus ſum fœliciter.*) Talis hîc Eubulus inducitur, qualis à Terentio Chremes in Act.5. Sce.1. de quo in hunc loquitur modum Menedemus: Ego me non tam aſtutum, neque ita perſpicacem eſſe id ſcio: ſed hic adiutor mens & monitor, & præmõſtrator Chremes, hoc mihi præſtat.

*Quo conſule.*

*Quod meum eſt ingenium.*) Secũdum quod natura eſt mihi ingenita.

*Ingenium*

*Non poſſum quin ſedulò agam.*) Veri amici officium hîc pulcherrimè exprimitur, vbi amicus amico maximo cũ affectu conſilium adfert. Quia quemadmodum ad curſum equus (vt ait Cicero. 2. de Finibus) ad arandum bos, ad indagandum canis: ſic homo ad duas res, intelligendum & agendum natus eſt, quaſi immortalis deus. *Quin ſedulò agã.*] Cogitem, vel aliquid moliar. Virgilius:

*Agere.*

*Id quidem ago, & tacitus Lycida mecum ipſe reuoluo.*

*In officio ſim, pro meo Pelargo.*] Pericula (inquit Cicero. 1. de Finibus) labores, dolorem etiam optimus quiſque ſuſcipere mauult, quàm deſerere vllam officij partem, vtpotè in quo excolendo ſita ſit vitę honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo. Vnde rurſus in Lælio: Nullo, inquit, caſu arbitror hoc conſtanti homini poſſe contingere, vt vlla intermiſsio fiat officij.

*In officio eſſe.*

*Cui ceu Theſeus quiſpiã Herculi coniunctus ſum.*] Hic Theſeus fuit Athenarum rex, AEgeíque & AEthrę filius, quem ferũt robore, fortitudine, & rerum geſtarum gloria vſqueadeò inſignem, vt alter Hercules cognominaretur. Cum penè adhuc adoleſcens eſſet, ab Euryſtheo cum Hercule aduerſus Amazonas miſſus, victor rediit, & Hypolitam Amazonum reginæ ſororem, quæ bello capta, ei in ſortem prædæ conceſſerat, duxit vxorem. Ex quo quidem tanta inter ipſum & Herculem coaluit amicitia, vt neuter ſine altero bellum iniret, ceſſeritque in prouerbium: Coniunctior quouis Theſeo, cum Hercule. Tanta quoque animi cõſtantia Pirithoum dilexit, & ab eo dilectus eſt, vt primi inter

*Theſeus cum Hercule.*

amicorum paria numerentur. Hinc Ouidius:

*Et cum Pirithoo fœlix concordia Theseus.*

*Morum similitudo.* *Idq; ob morum similitudinem.*] Lepidè, nam, teste Marco Tullio in Actione quam pro Cluentio habuit, magnã vim habet ad coniungendas amicitias, studiorum ac naturæ similitudo. Qua fit (quemadmodum rursus ait in Lælio) vt bonos boni diligant, asciscántque sibi quasi propinquitate coniunctos, atque natura. Nihil est enim appetentius similium sui, nihil rapacius, quàm natura. Hinc cõstat bonis inter bonos quasi necessariam beneuolentiam esse.

*Morũ inæqualitas.* *Quæ vt inter nos est ferè consentanea.*] Ferè dixit, quòd vix duos repereris, qui ita sibi mutuum consentiant, id est, inter quos tanta sit rerum communio, tãtáque cogitationum suspicationúmque concordia, vt nil vsquam inter vtrosque diuortij & controuersiæ oboriatur, vt quod vnus velit, velit subinde & alter, iuxta illud Hegionis Terent. Quot homines tot sententię: suus cuique mos. In Phor. Act. 2. Sce. 4.

*Consentaneus.* *Est ferè consentanea.*] Conueniens. Hinc consentaneè, id est, cõuenienter, & consentia sacra, quæ ex consensu multorum sunt statuta.

*Ita mutuum amorem conciliet oportet.*] Nihil est enim quod amorem æquè conciliet, conciliatũ conseruet, & adaugeat, quàm morum æqualitas. Nulla quippe potest intercidere dissensio, quæ amorem dissuere solet, vbi idem animus: neque diuortium, vbi coagmentatio duorum in vnum. Nam, Platone teste, vetus illud verbum, & verè, & eleganter dictum est, æqualitatem amicitiæ authorem esse. Vnde Cicero in Officiis: Omnium societatum, inquit, nulla præstantior est, nulla firmior, quàm cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate coniuncti. Nihil enim amabilius, nec copulatius, quàm morum similitudo. *Ita mutuum amorem conciliet oportet.*] Conciliare, contrahere est, & cõparare: in bonámque, simul & in malam partem sumitur. Dicimus enim, concilio mihi tuam gratiam, & concilio mihi tuum odium, concilio pacem, & concilio inimicitias. Virgilius:

*Conciliare*

*- Tu sceptra, Iouémque Concilias.*

*Hinc adeò nullum elabi diem patior.*] Ecce vetus illa lex iustæ veræque amicitiæ, quam Marcus Tullius pro Plantio describit, nimirum vt idem amici semper velint. Nullum nempe est, inquit, certius amicitiæ vinculum, quàm consen-

ſus continuus ſocietáſque aſsidua conſiliorum & voluntatum. *Elabi.*] Effluere,tranſire,prætergredi.

*Elabi.*

*Meum quin illi deferam officium.*] Deferre officium, obſequium præſtare,& adferre cōmodum ſignificat. Aliàs prodere & accuſare .Hinc delatores, occulti accuſatores & caſúniatores dicũtur.Et delatio,quæ Græcè διαβολὴ dicitur.

*Deferre officium.* *Delatores.*

*Illuc ſcilicet mihi iter eſt.*] Iter eſſe alicui, vel habere iter, aut iter facere,eſt proficiſci,vel iturum eſſe. At viam facere, non eſt iter facere,ſed locum vbi non eſt via & trãſitus aperire:ſicut viam munire,eſt reficere,repurgare: interdum lapidibus ſternere,quod propriè ſternere viam dicimus.

*Iter eſſe alicui.*

*Cuius hic vocem audire videor?*] Principium comicum in iungendis perſonis.Sic Terentius in And.Act.1.Sce.5. Quis hic loquitur?Myſis ſalue.

*Is eſt ipſus.*] Ipſus apud veteres,potiſsimùm apud Comicos,pro ipſe ſcriptũ frequentiſsimè animaduertere eſt. Teren.in And.Act.3.Sce.3.Ipſus mihi Dauos dixit.

*Ipſus.*

*Per tempus aduenit.*] Per tẽpus,ſeu in tempus, vel in tempore,primo quoque tempore,pro tempore,pro die,pro loco,vno tempore, hos & alios dicendi modos, mira elegantiáque varietate perfecta illa latinitas condidit, pro eo quod barbarè diceretur bona hora.Terẽtius in And. Act.4. Sce. 5. O Chreme, per tẽpus aduenis.Et rurſus in Hecyra, Act. 4.Sce.3.Sed video Pãphilum per tempus egredi, id eſt, opportunè,iuxta illud: Amicus magis neceſſarius,quàm ignis & aqua: Plautus in Menechmis : Non potuiſti per tempus magis aduenire,quàm aduenis. Rurſus in Trucul. Per tempus ſubueniſti mihi.

*Per tẽpus.*

*Videón' te Eubule mi.*] Pręnimio amici deſiderio,cum dubitatione loquitur . Sic Clinia ille Terentianus in Heaut. Act.2. Sce.4. Teneóne te Antiphila, maximè animo expectata meo?

*Meo animo maximè nunc expectate?*] Id eſt,ſecundum animi mei ſententiam,& quantum ad animum meum pertinet deſiderate,quòd quæ deſideramus, maxima cum voluptate aſpiciamus. Virgilius in 2.

*Animo expectatus*

*-Quibus Hector ab oris, Expectate venis?*

Rurſus in ſexto:

*Veniſti tandem,tuáque expectata parenti,*

*Vicit iter durum pietas.Datur ora tueri*

*Nate tua, & notas audire, & reddere voces.*

*Eho.* *Eho.*]Admirantis interiectio. Aliâs interrogantis: aliâs ad se vocantis sub incondita voce. Terentius in Heaut. Act.3. Sce.2. Eho quæso, laudas qui heros fallunt? Item in Andr. Act.1.Sce.1.Eho, quid Pamphilus?

*Quid tam quæso tristis es?*] Quid pro cur, vel quare. Terentius in Andr. Act.1.Sce.4. Sed quidnam Pamphilum exanimatum video?

*Haud simplex est malum.*] Videtur alludere ad illud Aristotelicum in septimo Moralium libro: Quod bonum est, inquit, idem semper: contrà quod malum, id varium est.

*Haud simplex est malum.* *Haud simplex est malum.*]Non mediocre, nō paruum, non purum. Vnde simplices homines dicuntur puri, aperti, nihil tectum, nihil simulatum habentes, sed veri ac synceri.

*Sollicitum habere.* *Quod me sollicitum habet.*]Quod me perturbat, quod me anxium mœstúmque reddit, & à mentis statu distrahit: habere hîc pro occupare & tenere sumitur. Terētius in And. Act.5. Sce. 4. At mihi vnus scrupulus etiam restat, qui me habet malè.

*Eubule mi, nihil.*] Lenta quidem & tristis est hæc responsio, & doloris plena: vbi sanè animaduertere est, poëtã has dilationes facere, suspendendi spectatoris gratia, & vt reliqua libentiùs audiat. Sic Terentius in And. Act.2. Sce.6. S. Quidnam est? D. Puerile est. S. Quid est? D. Nihil. S. Quin dic quid est.

*Quin.* *Quin dic quid est.*] Quin hîc corripiendi, vel imperandi vim habet. Terētius in Phor. Act.3.Sce.2. Quin omitte me.

*Quin dic quid est.*] Hoc cum affectu pronuntiandum est. Nam proprium veri amici, est lætari rebus prosperis amici, & dolere aduersis.

*Quid is studet?*] Quid agere conatur? cui rei dat operam?

*Alienum sese facere à patria domo.*] Non à domo mea dixit, sed à patria, quò quid vehementius insinuet, dum nominis paterni meminit. *Alienum sese facere ab aliquo.* *Alienum sese facere.*] Alienum se facit à patre, qui ab eo recedit, & se ab eius imperio, & moribus alienat, subducítque.

*Tuus ne filius?*] Hoc, & quid audio, maximo vehementíque cum stupore efferendum est, quasi aliquid vix posibile audiret.

*Minor natu.* *Minor ille natu.*] Cum his comparatiuis minor vel maior, vel

vel grandior additus ablatiuus natu,vel prouectiorem ætatem,& iam penè senilem significat:vel adolescentiorem, & ferè adhuc puerilem.

*Hanc mihi mouet Tragœdiam.*) Cum in Tragœdia,luctus, exilia,& cædes introducātur,sitque in ea tristis liberorum, fortunarúmque priorum in peius agnitio,atque demum illius proprium sit tristitia , effectum est , vt Tragœdiam pro tristitia accipiamus . Mouere itaque Tragœdiam, est tristitiam excitare. *Mouere Tragœdiā.*

*Qui vtinam ex me natus non esset.* ) Hic paternus adfectus rationis ac temperantiæ limites prætergreditur , dum munere animi,hoc est, ipsa ratione minùs vtitur. Quāuis enim Cicerone teste,parētes charissimos habere debeamus,quòd ab his vita,patrimonium, libertas, ciuitásque tradita sit; ex quo primum ita nos illis natura conciliat, vt per omnia eis obtēperare oportere nos tacitè indicet:si tamen vsu veniat, vt eis quoquomodo obluctemur(vt est ingenium omnium hominum in pessima sequax, & in malum propendens pectore toto) non debēt illi vsque adeò à statu mentis deiici, vt nolint filios ex se natos esse, quorum gratia impelluntur à natura, vt quanuis immorigeros, ament tamen. Id,inquit ille.4.de Finibus,natura tributum est,vt ij qui procreati essent,à procreatoribus amarentur. *Amor paternus.*

*Bona verba.*) Abominantis sermo,non irridētis,quasi diceret:Meliora loquere rogo te . Est autem Charietismus figura , qua duriora re ipsa , gratiosis verbis molliuntur, vbi quis verba malè ominata pronuntiasse videtur . Terent. in And. Act.1.Sce.2.Bona verba quæso.Cicero de Socrate:Bona verba quæso . Perinde ac si diceret de Socrate . Absit vt vera sint,quæ dixisti.Et apud Platonem libro de Republica 1. Sophocles iam senex interrogatus num fœminis etiāmnum vteretur.Bona verba quæso,inquit,ô amice,libentissimè hæc , tanquam furiosum agrestémque dominum effugi . *Bona verba.*

*Sed vnde istuc quæso huic venit in mentem?*) Venire in mentem , est optimus & minimè negligendus dicendi modus, apud optimos quosque authores celebratus,quo veteres,vt ait Donatus,nō recordationis caussa tantum, sed etiam recogitationis,considerationísque vsi sunt. Terent. in Phor. Act.1. Sce.3. Adeon' rem rediisse , vt patrem extimescam, *Venire in mentem.*

*Hic.* vbi in mentem eius aduentus venit? *Huic.*) Hic & is quando demonstratiuè sumuntur, eandem habent significationem. Vergilius:

*Solus.* - *Hic inflexit sensus.*

*Nisi indignis ille abs te sit tractatus modis?*) Id est, nisi quod nimis grauiter nimísque inhumanè de eo meruisti? vel (more Terétiano) nisi quod non humanitus, neque vt animum decuit adolescentuli tractasti, sed vi & via peruulgata patrũ. *Modis indignis.*) Id est, fœdis, crudelibus. Virgilius:

*Modis indignis tractare aliquem.*

*Atque illi miserum in littore sicco*
*Vt venere vident indigna morte peremptum.*

Terentius in Eunucho, Act.4.Sce.4. Etiam nunc non credis indignis nos esse irrisas modis? Rursus in Adelph. Act.2. Sce.1. Iusiurãdum dabitur te esse indignum iniuria hac, indignis quum egomet sim acceptus modis?

*Imò ne nimis dignis vereor Eubule.*) Id est timeo, ne facilitas mea, illius corruperit mores. *Vereor.* Vereor autem à ve, & reor dicitur, quasi valde reor, quòd quæ timemus, multi facere, ac diu cogitare soleamus.

*Qui.* *Qui?*) Pro quomodo, & est sermo comicus.

*Iste.* *Istunc*) Comice, & per contemptum. *Ex me natum.*) Postquam eum genui, & in lucem susceptus est.

*Educere & educare.* *Eduxi.*) Quod nos modo educare dicimus, educere veteres dicebant, quanuis vtrunque aliquando apud probos authores reperiatur. Terentius in Adelph. Act.1. Sce.1. Inde ego hunc maiorem adoptaui mihi, eduxi à paruulo, habui, amaui pro meo.

*A paruulo.* *A paruulo.*) A teneris vnguiculis, ab infantia, ab ineunte ætate, à pueris, iam inde à pueritia, à tenera ætate, ab incunabulis, hæc omnia eundem sensum posſident, significántque à primis vitæ rudimentis. Marcus Tullius, oratoris incunabula, vocat primam illam à fundamẽtis institutionem, vt apud Virgilium:

- *gentis cunabula nostræ.*

*Habere.* *Habui.*) Credidi, duxi, tenui, existimaui: vbi quidem pro meo subaudiendum est bis.

*Amare vt suum.* *Amaui vt meum.*) Benè vt meum, quia & aliena amare poſsumus, sed multò chariùs quæ nostra sunt, potiſsimúmque ea quæ ex nobis genita, nostram præ se ferunt ac redolent imaginem. Amaui igitur vt meũ; id est, tenerè, arden_

ter,maximè,quod & inferius atteſtaturus eſt conſultor Eubulus, cum dicet: Prouiſo quid rerum gerat Pelargus, quo pacto ferat abſentiam gnati,quem tenerè adamat.&c.

*In eo me oblecto.*) Nouè pro eo me oblecto, id eſt, ſolum id mihi charum eſt. Quidam cōtendunt oblecto à licio deduci,alij verò à lacto, quod eſt non ſolùm lac præbere, ſed dulcedine quadam retinere, & ad perſuaſionem inducere. Malim poſterius.Terētius in And.Act.4.Sce.1.Niſi me lactaſſes amantem,& falſa ſpe produceres.

*Oblectare.*

*Illius ſalutem curo.*) Quod eſt pij & cordati patris,cui nihil ita curæ eſſe debet, atque ſuorum liberorum ratio, ne à recto deflectant exorbiténtque tramite.Pietas,inquit Cicero,eſt fundamentum omnium virtutum:quapropter parentem vt deum vereri,atque non multo ſecus ac parentes, liberos amare debemus. Sic Mitio ille Terentianus in Adel. Act.1.Sce.1.Sollicitor,ne aut ille alſerit,aut vſpiam ceciderit,aut perfregerit aliquid. Sic eius frater Demea quāquam ruſticior: Illum curo vnum, ad me attinet. Eadem comœdia,Act.3.Sce.3.

*Curare ſalutem.*

*Pietas.*

*Nihil prætermitto,vt queam prodeſſe.*)Ecce rurſus pij patris ſedulitas, nil elabi patientis, quò vtilitati ſit & commodo ſuo filio.Sic denuò Demea ille apud Terentium,cum de filio Æſchino loquitur:ſit ſedulò,nihil prætermitto, cōſuefacio:denique inſpicere,tanquā in ſpeculum,vitas omnium iubeo,atque ex illis ſumere exemplum ſibi.

*Nihil prætermitto.*

*Studium omne meum illius commodo conſecro.*) Omnē meam operam,omnémque laborem, quantus quantus ſit, ſuæ vtilitati dedico. Sunt autem ij omnes loci,ab educatione, diſciplina,& labore.

*Conſecrare ſuum ſtudium alterius commodo.*

*Denique velut in ſinu meo eum foueo vnicè charum.*) Iterum translatio eſt à nutricum ſedulitate,& obſequiis. *Vnicè.*)Id eſt,ſingulariter,peculiariter,ſuper reliquos eius fratres.

*Vnicè.*

*Nunquam vt meam benignitatem ſenſerit in ſe claudier.*) Ecce beneficentia, & liberalitas paterna. *In ſe claudier.*) Sibi denegari,ſibi obſiſtere.Eſt aūt hîc figura proparalepſis ſiue paragoge,à Latinis dicta præaſſumptio. Comicis quidem, ac Satyricis,Tragœdíſque, perquàm familiaris.Terētius in Eunucho,Act.1.Sce.2. Nuncubi meam benignitatem ſenſiſti in te claudier?

*Claudere benignitatem ſuam in aliquē.*

*Optare quicquid auſus eſt,habuit.*) Hîc denarrat quàm leui

animo passus fuerit filium agere, quæcunque suo animo libitum fuit facere. *Ausus est.*) Temerè præsumpsit. Hinc audacia, pro fiducia, & temeritate. *Optare.*) Desiderare, eligere. Terent. in And. Act. 4. Sce. 6. Quæ se inhonestè optauit parare hîc diuitias potius, quàm in patria honestè pauper viuere. Hinc optio, & optatus.

*Ausus est optare.*

*Frui.*

*Meis bonis voluit frui.*) Frui, inquit Donatus, est fructũ capere, non proprietate potiri. Capitur & pro ali, à frumine, quod summa gula dicitur, per quam cibum lingua demittit in ventrem.

*Recto pede incedere.*

*Voluit recto pede incedere.*) Recto, seu tacito, aut placido pede incedere, est non præcipitanter atque inconsideratè, sed iustè cautim ac pedetentim ad rẽ accedere. Hinc ducta metaphora, quòd quẽadmodum quicquid à nobis fit, à ratione tanquam optima duce manat. Ita quemcunque locum corpus nostrum petit, fit pedum nostrorũ ductu & agitatione, quibus & corpus quoque ipsum velut basi quadam & fundamento stabilitur. Ex quo quidem arbitror (meo quidem iudicio) factũ fuisse vt pes pro itinere. Iter verò & aliquãdo pes pro æquo & iusto interdũ à bonis authoribus capiatur.

*Liberum illi factum est.*) Hæc est ea, qua sumus omnes deteriores, licentia, vnde suprà dixit: Imò ne nimis dignis vereor Eubule.

*Mentem inclinare.*

*Quolibet mentem inclinare.*) Animum flectere. Ducta deflectione à membrorum totiúsq; corporis summissione, atque incuruatione. Iuuen. *Atque ipsos etiam inclinare maritos,*

*Manum extendere.*

*Manum admouere.*

*Quolibet manum extendere.*) Superius diximus manus pro potestate sumi. Manum ergo extendere, explicare est & exhibere potestatem. Non dissimile est huic, manum admouere, quo vtimur, interprete Erasmo, quũ quis sese insinuat in rei cuiuspiam egregiæ communionem. Translatũ vtrunque, à sacris, in quibus nonnunquam fieri solet, vt aliis rem diuinam facientibus, alius aliquis adueniens, admota victimæ manu, fiat & ipse particeps sacrificij.

*Tantum ne rebellaret mihi dedi mandatum.*) Leuis inconstantísque esset patris, ita se facilem per omnia filio præbere, vt prorsus seueritatis obliuisceretur. Permittit itaque illi quod plerique omnes faciunt adolescentuli, nimirum vt animum ad aliquod studium adiungat, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos, instar Simonis il-

lius Terẽtiani.Sed ea nihilominus lege atque omine,vt ſuo iuſſui citra vllã controuerſiã obſequatur,& pareat,quod eſt grauis atq; cordati patris. *Dedi mandatũ.*) Dare mãdatũ mo dus eſt loquendi fœliciſsimi illius temporis, memoriæ cum aliis mandandus,loco quo multi dicũt ineptè,commẽdare. *Dare mandatum.*

*Vbi.*)Non eſt hic loci aduerbiũ,ſed tẽporis pro quando, vel poſtq̃.Terẽ.in An.Act.5.Sce.2.vbi voles accerſe.Virg. *Vbi.*

*Eſt iter in ſyluis vbi cælum condidit vmbra Iuppiter.*

*Deuinctum fore.*) Obligatum,obnoxium.Locus eſt ab iuſto,& æquo. *Deuinctus*

*His ſtudiis.*) Ob hæc tanta in eum collata beneficia,quorum tam ingẽs tãmque efficax:eſt vis,vt iis vel dij etiam capi poſſent. *His ſtudiis.*) Hac tanta liberalitate.

*Euenit.*) Præter ſpem,iuxta illud quod dixit ſuperius: Id quod de ipſo ſperaueram nunquam fore.

*Bonæ conditionis tædium vt acciperet.*)Vt ſe ſuæ fœlicis ſortis tæderet, quod eſt initium huius ſuæ proteruiæ atque rebellionis, ociique ſectandi:quod & in ſubſequentibus explanat apertius. *Accipere tædiũ ſuæ cõditionis,*

*Hinc.*) Ex ſuæ bonæ conditionis tædio atque contẽptu.

*Viam occepit comminiſci.*) Occepit,inquit, quaſi de maximo facinore. Eſt enim occipere velut caput rei alicuius inſtituere.Rectius occepit dixit,quàm incœpit, quia nondum incœperat,niſi ſe tæduiſſet ſuæ præclaræ conditionis:quod planè euenit ex conuictu & contubernio , hortatúque ( vt ferè fit) ſuorum æqualium,tum Philauti potiſsimum.Hinc infrà dicturus eſt Pelargus: Philautus hoc tibi adiutor fuit, vt huc corrueres mali.Nam qui cum ingeniis eiuſmodi cõflictatur,neceſſe eſt tandem ſimilia conſequi conſilia,iuxta illud Menandricum:Bonos mores conuictus inficit improbus. *Viam comminiſci.*)Fallaciã confingere,modum diſquirere,perueſtigare rationẽ.A quo cõmtearij ſiue cõmẽtaria. *Occipere.* *Comminiſci viam.*

*Quæ ſe emancipet paterno iure.*) Se paterno dominio eximat,& manu mittatur. *Emancipare.*

*Philautus eam glaciẽ ſecat.*) Hoc refertur ad id quod prius dixit,occepit.Glaciẽ enim ſecare ſeu ſcindere,eſt interpretẽ Eraſmo,in nondum tentata viam aperire , & in incipiendo negotio priorem eſſe. Tranſlatum à nautis,quorũ vnus aliquis præmittitur , qui flumine concreto , glaciem prærumpat,reliquíſque viam aperiat. *Emancipati.* *Glaciem ſecare.*

*Meditari rationes.*

*Meditatis rationibus.*) Rationes alicuius rei meditari dicitur quis, quum consilia sua propositáq; omnia in eam conductura excogitat, prouidet, & explorat, quò valétius agat. Aliâs meditari, exercere significat. Virgilius in 4.

*Nec iam furtiuum Dido meditatur amorem.* Rursus.

*Syluestrem tenui musam meditaris auena.*

*Recta proficisci.*

*Illinc proficiscitur rectà ad me.*) Quasi parum fuerit proficiscitur, satis mirè additum rectà, quo & confidentiam adolescentis significat, & repentinum impetum. Terent. in Eunucho, Act. 1. Scc. 2. Cur non rectà introibas? Item in Phor. Act. 1. Sce. 2. Postridie ad anum rectà pergit: obsecrat vt sibi eius faciat copiam. Estque figura Mimesis, id est sermonis ac morum effictio.

*Heus tu pater, inquit.*) In hac sua pugnaci contentiosaque oratione Acolastus, deliberatiuo quidem genere, sed affectu vehementer concitato atque perturbato vtitur: quo planè maximè commotum reddit patrem. Argumentatur autem hîc ab ætate, ab animi habitu & natura, à fortitudine corporis, ab æqualibus, ab educatione denique & disciplina.

*Heus.*

*Heus tu.*) Heus interiectio est, vel aduerbium intentionem audientis exposcens.

*Aetas Acolasti qualis.*

*Aetas quæ mea sit ipse vides.*) Argumentum est ab ætate. Vides, inquit, qualis sit mea ætas: non quidem infantilis, quæ ad res agendas minus idonea est & imbecillior, & quæ infantilibus blandimentis in aliquod malum aut dedecus induci posit. Non puerilis, in qua tantum laudatur indoles, & quæ solummodo spem futuræ probitatis prætendit. Sed adolescentilis, pollens quidem virtute & industria, & quæ disciplinæ ac bonarũ artium capax tenáxque esse consueuit, & in qua fructus operum expectatur, hoc est, dictorum factorúmque contextus.

*Agere sub imperio.*

*Satis sub imperio tuo egi.*) Iuuenilem perpende precor arrogantiam, simul & rerum ignorantiã. Satis sub paterna ditione vixisse se adstruit, qui vnum è mercenariis patris fieri paulò pòst omni voto expetet: qui nil operæ quantumlibet sordidæ recusaturus est, vt in eius mancipium adscribatur: qui denique dicturus est, Pater peccaui in cælum & coram te, tuus posthac indignus sum, qui dicar filius.

*Valet iudicium.*

*Valet mihi iudicium.*) Sum plus satis sanæ, perspicacísque censuræ. Est autem locus ab animi habitu & natura.

*Valet ingenij vigor.*] Duo prima genera virtutum sunt, vnũ eorum, quæ ingenerantur suapte natura, ex quo genere est docilitas & memoria: quæ fere omnia adpellantur vno ingenij nomine, easque virtutes qui habent, ingeniosi vocantur.

*Valet ingenij vigor.*

*Meas vires volo experirier.*] A fortitudine corporis argumentum est. Quasi diceret. Operæprecium fuerit periculũ facere quid viribus posim, cùm tanto iudicio, tantóque ingenij vigore præstem.

*Tam grandem detineri me patris iugo, inscitia est.*] Tam grãdem, tanta ætate prouectum. Veteres nimirum non ad corpus sed ad ætatem tantum referebant iam adultam. Plautus in Aul. Virginem habeo grandem, dote cassam, atque illocabilem. Terent. in Adel. Act 4. Sce. 5 An sedere oportuit domi virginem tam grandem? *Inscitia est* ] Ab inscitus participio fit inscitia, quæ ignorantia quædam rerum dicitur. Terent. in Eunucho. Act. 5 Sce. 9. Verum idem si vobis prodest, vos non facere inscitia est.

*Grandis.*

*Inscitia.*

*Aequales, qui sunt mei ordinis.*] Locus est à simili, vel pari. Aequales autem dicuntur similes siue coætanei, seu coæui. Terent. in And. Act. 2. Sce. 6. Quem, inquit, ad cœnam vocabo meorum æqualium? *Qui sunt mei ordinis.*] Meæ conditionis & naturæ.

*Aequales*

*Ad vnum.*) Nemine excepto vel vsque ad vnum. Cicero, de Amicitia verò, omnes ad vnum idem sentiunt. Virg,

*Iupiter omnipotens si non exosus ad vnum Troianos, &c.*

*Ad vnũ.*

*Dudum.*] Hic de longiore tempore dicitur.

*Dudum.*

*Repudium dedisse patribus.*] Suos patres repudiasse, longũ vale dedisse parentibus. Est aut repudiare propriè, ob rem aliquam pudendam repellere. A quo repudium, quod à diuortium sic differt, quod istud sit matrimonij distractio: illud autem fiat inter nondum cõiunctos. Repudiari etiam futurum matrimonium potest: non rectè autem sponsa diuertisse dicitur. Terent. in Phor. Act. 5. Sce. 8. Non est æquũ me propter vos decipi, quum ego vestri honoris caussa repudium alteri remiserim.

*Repudiare*

*Repudiũ & diuortium.*

*Quorum iniustitia.* ] Inclementia, difficultas, diritas. Vel quod contra ius faciant patres, dignitatem suam cuique denegando.

*Iniustitia.*

*Grauis est filiis.*] plus æquo aspera, seuera, nulla gratia cõ-

*Grauis.*

dita,nullis illecebris mutabilis.

*Per me satis sapio.*) Vide quid valeat rerum imperitia. Per me,inquit,ne per alium tuam mihi ostendas sententiam.Sic Clitipho adolescens ille Terentianus in Heaut. Act. 2. Sce. 1.de patre conqueritur.Perij,inquit, is mihi vbi adbibit pl9 paulò,sua quæ narrat facinora!Nunc ait:Periculum ex aliis facito,tibi quod ex vsu siet.

*Nihil custodis egeo.* *Nihil custodis.*)Pro nullo custode,nullo pædagogo,nullo moderatore.

*Volo et nolo* *Proinde volo.*)Conclusio superiorum omnium.*Volo.*)Nolo & volo verba sunt nimis imperiosa nimisque superba. Terent.in And.Act.2.Sce.6. Hodie vxorem ducas, vt dixi, volo. *Proinde volo.*) Non dixit, si tibi patri libitum fuerit & gratum,sed volo,quod est arrogātiæ plenū & imperitię.

*Scribere portionem.* *Debita substantiæ mihi scribatur portio.*) Parum interest ad quod verbum datiuus referatur.*Scribatur.*) Detur. Scribere siquidē aliquādo dare per mēsę scripturā significat Tracta quidē loquēdi formula,Seruio Donatóque authorib9,a pecunijs & rationibus fœneratorum, Horat. Scribe decē Nerio,non est satis? Adde sicutæ Nodosi in tabulas centum.

*Trāscribere* Transcribere quoque(vt idem testatur Seruius) tradere significat. Virgil.

*Turne tot incassum fusos patiere labores,*
*Et tua Dardaniis transcribi sceptra colonis?*

*Rescribere.* Rescribere verò,reddere est.Quoniā(inquit Donatus)ad numerationem pecuniæ antecedit scriptura, ideo scribere dicebant pro renumerare. Terentius in Phor. Act.5.Sce.8. Argentum illud denuo rescribi iube.

*Teneri. Leges.* *Nisi nullis legibus teneri te putas.*)Hic legū terrore nititur patrē in suā sententiā inducere.*Teneri.*)obligari,astringi,deuinciri. *Nisi nullis legibus teneri te putas.*)Sine quibus ciuitas

*Legū appellatione quid cōtineatur.* (vt inquit M.Tul.pro Cluēt.)suis partib9 & neruis,ac sanguine,& membris vti nō plus potest,quam corpora nostra sine mēte.In quib9nimirū fundamētū libertatis,fons æquitatis,mēs,& animus,& cōsiliū,& sentētia ciuitatis posita est.

*Oratio. Luctuosa.* *Hæc illius erat luctuosa oratio.*)Oratio,inquit Donatus,est & in cogitatione,& in prolatu. *Luctuosa.*)Plena luctu, & quæ audientem in lachrymas impulisset. Dicta luctuosa ab eo quod in obitu defunctorum, qui nobis chari fuerunt,lugere, hoc est,animi dolorem cum voce proferre soleamus

Hinc luctuosus habitus, luctuosa seu lugubris vestis.

*Quid tu ibi?*) Eclipsis est, deest enim respondisti, vel locutus es.

*Primum velut attonitus hæsi.*) Propriè attonitum dicimus, cui casus vicini fulminis & sonitus tonitruum, stuporem iniecerit. Ergo attonitus hęsi, id est, perterritus, stupefactus, examinatúsque permansi, perinde quasi tonitruo percussus, aut afflatus essem. Sic Pamphilus ille Terentianus, iussus à patre ducere vxorem quam nō amaret: Obstupui inquit cēsen' vllum me verbum potuisse proloqui, aut vllam caussā, ineptā saltē falsam, iniquā? Obmutui. In And. Act. 1. Sce. 5. *Attonit'.*

*Post.*) Postea, deinde. *Post.*

*Mihi redditus.*) Sibi reddi dicuntur, qui velut mente alienati, animum recipiunt. Sibi quoque redditur, qui amens esse desistit. *Sibi reddi, quid.*

*Adeon' inquam.*) Argumentum ad persuadendum quod animo statueris subtilissimum.

*Vel inhumanus.*) Illiberalis, immisericors, iniustus, inclemens. Non quidē negat aliquid inhumanitatis præ se tulisse pro commissorum obiurgatione, sed nō vsque adeo, vt inde recessus caussam præstrueret. *Inhuman'.*

*Vel durus fui?*) Durus, asper, crudelis, sæuus, immittis. *Durus.*

*Ocij, credo, tibi obrepsit saturitas.*) Hoc sic pronunciandum est quemadmodum solet cum stomacho dici vituperanti cibum: Tu pleno ventrę es. Id enim accidit plerunque, vt quod immodicè concupitum est, spernatur postquā contigerit. Sic Phædria apud Terētium in Phormione, Act. 1. Sce. 3. suo consodali Antiphoni dicebat: Aliis quia defit quod amant, ægrè est, tibi quia superest, dolet. Amore abundas Antipho. Et paulò infrà: ita plerique ingenio sumus omnes, Nostri nosmet pœnitet. *Ocij tibi obrepsit saturitas.*) Tu nimio otio satiaris, tu nimia quiete grauaris. Vel (more Terentiano) nulla adeo ex re istuc fit, nisi ex nimio otio. Ocium propriè, est vacatio à labore: saturitas ocij expletio quietis. Obrepere autem, est lentè, & quasi testudinis passu incedere clam prorūpere, & aduenire. Tractum ab animalibus, quę pedibus carent, sed solo ventre gradiuntur, vt sunt vermes & serpentes, quæ à rependo dicuntur reptilia. Iuuenalis: Obrepit non intellecta senectus. Horatius in arte, *Ocij saturitas.* *Obrepere.*

*Verùm operi in longo fas est obrepere somnum.*

Et obrepere ad honores errore hominum, dixit Cicero in Pisonem.

*Hinc.*] Ex hac nimia ocij abundatia & saturitate.

*Pœnitere se sui.* *Cui te pœnitet.*] Pœnitet se sui, qui sua contẽnit, qui sua parum reputat, nihílque existimat, à quo, penuriã deduci sensit Gellius. Hinc tractum quod in iis quæ nobis aut tædio aut pudori sunt, pœna quædam inesse videatur. Pœnitere enim propriè dicimur, quum quæ ipsi fecimus, aut quæ de nostro arbitrio aut consilio facta sunt, ea tum demum nobis incipiunt displicere, sententiámque in iis nostram demutamus. Terent. in Heaut. Act. 1. Sce. 1. At enim dices, me quantum id operis fiat pœnitet. Id est, parum videtur. Virgil.

*-Officio nec te certasse priorem Pœniteat.*

Cicero: Tantum autem velle debebis, quoad te quantum proficias, non pœnitebit.

*Pigere se suæ sortis.* *Hinc præsentis te sortis piget.*] Suæ sortis dicitur pigere, qui tã prospero tãque fœlici affluit, vt ægre ferat suã cõditionẽ. *Nunc vis conscribi à me substantiam tibi.*] Hoc lentè grauitérque, & cum capitis dimotione digitique extentione pronunciandum est, vt faciunt patres filios cum obiurgatione admonent erratorum.

*Verteresolũ* *Nunc vertere solum vis.*] Vertere solũ dicebantur vrbe cedentes, siue ob decoctam creditoribus pecuniam, siue ob exilium. Liuius lib. 3. Collegæ eorum exilij gratia solum verterunt. Cicero pro Cecin. Qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatẽ, eò solum vertunt. i. locũ mutãt.

*Vide.* *Vide.*] Caue, intellige, specta, animaduerte, considera, prouide. Vtimur namque eo non solũ cum oculi vice sua funguntur, hoc est quum intuentur: sed & in cæteris sensibus, quũ eos ad cognoscendũ intendimus. Neque enim dicimus, audi quã rutilet, aut olfac quàm niteat, aut gusta quã splendeat, aut palpa quam fulgeat. Videri autem dicuntur hæc omnia: quo fit quidẽ vt generalis sensuum experientia

*Concupiscẽtia oculorũ.* concupiscentia oculorũ vocetur. Terẽt. in And. Act. 2. Sce. 3. Vide quo me inducas. Item in Phor. Act. 1. Sce. 4. Recte mihi vidissem, & senis essem vltus iracundiam.

*Quàm pro quantum.* *Ne quàm.*] Quàm pro quantũ: sicque semper positiuo iũgitur, pro valde verò superlatiuo. Cic. Quã morosi sunt qui

amât.Rursus:Cũ quo semper quàm familiarissimè vixerat.

*Tibi istuc sedet cordi.*)Tibi placet,& gratum est.Virgil. *Sedere cordi.*

*Idque pio sedet Aeneæ, probat author Acestes.*

*Tam multum incommodet.*) Tantum damni & incommoditatis adferat.Terent.in And. Act.1. Sce. 1. Magis id adeo operam dabit,mihi vt incommodet. *Incõmodare.*

*Solent enim subita consilia &c.*) Hic generalē inducit sententiā,qua admonet non esse præcipitandū consiliū,neque statim ad primos animi impetus quippiā agēdū : quod prçceps consiliū plerunque inauspicatum esse soleat. Quia(vt inquit Sophocles apud Plutarchū)Cõsilij & cursus nõ est idē exitus.Siquidē in cursu vincit qui celerrimus est,in cõsultando cunctatio tutior est,periculosa celeritas. Vnde cū significamus nos aliquid per ocium deliberaturos,dicimus super hac re indormiam: & , nox dabit consilium. Vnde Cicicero. 2. de Oratore prçcipit, in rebus magnis, memoriaque dignis,consilia primū , deinde acta , postea euentus esse spectādos.Et rursus.1.Offic.Ad rem gerēdā, inquit, qui accedit,caueat ne id modò considerετquàm illa res honesta sit:sed etiam vt habeat efficiēdi facultatē. In quo considerā dum est illi,ne aut temerè desperet propter iguauiam , aut nimis confidat propter cupiditatem.Hactenus ille. *Contanter agendum.*

*Subita consilia.*)Improuisa,non præmeditata. *Subita consilia.*

*Ducere secū.* ) Ducitur quod spōte sequitur:trahitur quod sequi denegat:Fata inquit Seneca volentem ducunt,nolētem trahunt. *Ducere. Trahere.*

*Præsentem pœnitentian.*) Effectum rei pœnitendæ.Præsens autem non significat tantum quod huius temporis est, sed etiam alterius,aut præteriti aut futuri. Horat. *Præsens.*

*Pleraque differat, & præsens in tempus omittat.*

Hoc est, in suum tempus.

*Nō desunt.exēpla quibus quod ago cōprobē*)Quod ago,quod dico,meā p alios ostēdēs sententiā.Terēt.in Adel. Act.1. Est ne ipse,de quo agebā?Rursus in Hecyra, Act.3.Sce.5. Ipsus est de quo agebam tecum,id est,de quo loquebar. *Agere pro dicere.*

*Nisi si patrem non audias, frustra audias exempla.*)Argumētum est à maiore ad minus. Cum duo sint vt ait Marc. Tul. 3. de Orat. quæ nos maximè mouent , similitudo & exemplum,quod id iure fieri putent homines quod exemplo fit: at multò magis vis humanitatis , ac sanguinis communio, *Parentibus obediendū.*

cum alioqui feras inter sese partus, atque educatio, & natura ipsa concilient. Quod perinde est atque diceret: Si parenti non auscultes, aut eius dictis non mouearis, multo minus exemplis, quæ minoris momenti sunt, quàm iussa parentum. Hinc illud Mitionis in Adel. Act. 1. Sce. 1. Qui fallere insueuerit patrem, tanto magis audebit cæteros. Et in Heaut. Act. 1. Sce. 2. Nam quem ferret, si parentem non ferret suum?

*Nisi.*

*Nisi si.*) Nisi pro sed. Est enim coniunctio exceptiua, quæ & pro continuatiua interdum ponitur. Terentius in Adel. Act. 4. Sce. 3. Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant sibi fieri iniuriam, vltro si quã fecere, ipsi expostulant.

*Porro.*

*Porro.*) Deinde. Potest etiã poni pro autem, sicque semper in principio orationis locatur. Quint. Porro qui confessum defendit, non absolutionem sceleris petit, sed licentiam.

*Confidens.*

*Quis tam confidens fuit.*) Tam audax tam effuse petulans tam impudẽs, tam temerarius, tam improbus sicque in malã partem accipitur. Terentius in Phor. Act. 1. Sce. 2. Homo confidens, quòd illum dij omnes perdant. Hinc confidentia, quæ interprete Donato, est audacia cum improbitate. Terentius in And. Act. 5. Sce. 3. O ingentem confidentiam.

*Cõfidentia.*

*Aggredi.*

*Qui te corrumpere sit aggressus?*) Artificiosè aggressus. Aggredi náque interdum dicitur cum quadam calliditate & astutia aliquid fieri. Virgil. Talibus aggreditur venerem Saturnia dictis. *Sit aggressus.*) Incæpit, tentauit. *Corrumpere.*) Contaminare, vitiare, inquinare, perdere, destruere. Plautus in Amphitrione: Tace, ne corrumpe oculos.

*Corrũpere.*

*Odorari.* *Odor.*

*Aut malè odoror.*) Malè sentio, existimo, olfacio. Tractum à corporis sensibus, aut ab odora canum vi. Est enim odorari hac tralatione, rescíscere, & sagaciter deprehensum atque animaduersum cognoscere. Hinc odor, pro suspicione ac rumore sumitur. Cicero: est nonnullus odor dictaturæ.

*Consultor.*

*Aut Philautus consultor fuit.*) Hìc consultor pro eo qui dat consilium sumitur, aliâs pro eo qui accipit. Hinc illud: Malum consilium consultori pessimum.

*Frigidam suffundere.*

*Is frigidem suffudit.*) Subaudiendum est aquam. Est au-

tem frigidam ſuffundere, clanculum inſtigare, vel inflammare. Tranſlatum ab officinis ærariis, vbi fabri ſubinde frigidam in ignem aſpergunt, quò ignis ſit vehementior. Aliam tranſlationem adfert Eraſmus in ſuis Chiliadibus, quam ſi voles ibi legito.

*Strennuus quidem ille, & cordatus monitor.*) Epitheton, ſimul Ironia grauis, & ſimilis mināti cum Iracundia. *Strennuus.*) vigilans, celer, promptus, ſolers. *Et cordatus.*) Inſignis corde, præſtāſque memoria, & multa ſolertia polens & ingenio. *Strennus. Cordatus.*

*Bene ſi quid monet qui te ad ſcopulos & tranquillo inferat?*) Senſus eſt. Cū ſit adeo ſtrennuus ac cordatus monitor, mirum eſt, quomodo ita è placato præſentíque mentis ſtatu, in huius tumultuoſi maris procellas & aufractus, hoc eſt, rebellionem, laſciuiam, & luxum te præcipitet atque deiiciat. *Ad ſcopulos inferat.*) Scopuli, ſunt ſaxa eminentia in mari, nauigantes maxime infeſtantia, à ſpeculando ita vocata: σκοπεῖν namque Græcè ſpeculari ſignificat. Hinc σκοπὸν dicimus locum, in quem ſagittandi & tella dirigimus. *Scopuli. Scopus.*

*E tranquillo.*) E tuto, è procliui. Et bene è tranquillo quia mari ac tempeſtatibus adoleſcentis mobilitas & inſtabilitas comparatur. Tracta eſt autem metaphora à nauigantibus, quibus conquieſcente procella, grata ſolet eſſe tranquillitas. Terentius en Eunucho, Act. 5. Sce. 9. Ego autem Phœdriæ meo fratri gaudeo eſſe amorem in tranquillo. *E trāquillo.*

*Nocens profecto τῆς φιλαυτίας malum.*) Ordo eſt, τῆς φιλαυτίας, eſt profecto nocens malum, in hoc autem Plautum imitatur, qui pleriſque in locis Græcas voces admiſcet Latinis. τῆς φιλαυτίας.) Id eſt, ſemet deperientis ipſum. Philautia quidem Græcæ, Latinè dicitur amor ſui. Quod vitium Plato malorum omnium fontem autumat. Quod & Ariſtoteles nono moralium libro ſatis indicat, cum ait homines ſui ſupramodum amantes, à multitudine malè audire, quippe qui fœdo infamíque cognomine vocentur Philauti. Contrà qui ſibi diſplicent Putiduli vocantur. Martialis: *τῆς φιλαυτίας. Philautia. Philauti. Putiduli.*

*Altera rancidula eſt, altera putidula eſt.*

*Eſt nocens.*) Noxiū, maleficum, id eſt, quid obeſſe ſolet *Nocens.*

hominî qui illo captus eſt,illúdque ſequitur.

*Fucus.* *Quò magis fuco quodam ſuo tegit venenum.*) Hîc fucus pro impoſtura,fraude,& aſtutia ſumitur. Ducta tralatione à colore illo cæruleo,qui medicamentum dicitur,quo mulieres colorãtur, quò vitia corporis inductis colorib<sup></sup>9 tegãt.

*Nocentius.* *Hòc eſt, nocentius.*) Eò magis obeſt, deludítque ſumentem.

*Sarcaſmus.* *Quam blandulus ſiren Philautus à fronte.*) Iocus eſt amarulentus atque hoſtilis deriſio, quàm Sarcaſmum figuram dicimus. *Quam blandulus Siren.*) Siren hoc in loco nõ vnam ex illis virginibus Homericis ſignificat,verũ inſecti

*Siren.* genus,api non diſsimile. Sirenes enim & Cephenes,autore Ariſtotele, imperfectæ apes ſunt, & inutiles operi niſi quod multitudine,quæ ad calorem multum confert, fœtus adiuuant. Quò enim maior eorum turba eſt, eò maior fit prouentus. Hinc natum prouerbium , Siren amicum nunciat apis hoſpitem. Quod explicans Eraſmus, dicitur, inquit,quoties complures eadem de re bene ominantur, aut vbi ſuæ quiſque ſpei blãdiens, ex quamlibet leuibus argumentis diuinat futurum quod optat.

*Frons.* *A fronte.*) Frons hominis eſt eo ingenio, vt vel triſtitiæ,vel hilaritatis,vel clementię,vel ſeueritatis, vel pudoris indicium frequenter præferat,vel ementiatur. À fronte ergo, id eſt,in prȩſentia,palam.

*At poſt.*) Poſtea,à tergo,clanculum.

*Poſt.* *Senſeris veneni aculeum.*) acorem illum mortiferum,quem ſub quadam velut fronte exporrecta blandè occulit,perci-

*Aculeus.* pies. Tranſlatio eſt de apum natura, quæ aculeum ventri inſertum habent, quem in vulnere relinquunt vſqueadeo noxio,vt in exemplis ſit equos ab apibus occiſos.

*Longè hinc fuge mi fili.*) Quod contubernio & familiaritate contrahi plerũque ſolet, fuga tutiſsimè declinatur, iuxta illud Sapientis: Qui picem tetigerit, inquinabitur ab ea.

*Eſſe cordi.* *Si modò tua tibi cordi eſt ſalus.*) Eſſe vel ſedere cordi,placere gratúmque eſſe ac delectare ſignificat,Terent.in And. Act. 2. Sce. 1. Si tibi hæ nuptiæ ſunt cordi. Idem in Phormio,Act.5.Sce.3.Quia vterque vtrique eſt cordi.

*Dixi.* *Sic dixi.*) Hoc verbum in fine additum ſuperiora confirmat , & eſt proprium his qui perorauerint cauſſam.

Tranflatum eft enim de foro & caufidicis. Cicero: Præco dixiffe pronuntiat.

*Quid?*] Inde actum eft,fubaudiendum,vel quid dixit?

*Num his ille quietus redditur?*] Num quietior fit, ob tam præclaram adhortationem? *Quietus reddi.*

*Nihil minus.*] Peruerfi enim difficillimè corriguntur, vt autor eft Salomon in prouerbiis.Et fi quid Ciceroni credimus,difficile eft mutare animum,& fi quid eft penitus infitum moribus,id fubito euellere. *Peruerforũ correctio difficilis.*

*Imo cepit hinc magis atque magis ius fuum vrgere.*] Vrget Ius,qui infiftit toto virium conatu,vt quod vel natura, vel ciuitas, vel populus, vel gens, vel confuetudo debet, fibi detur. Ius alicuius dicitur, non folùm quod illi competit iure communi, id eft, gentium, humanóque, vel Romano: fed etiam quod ex pacto,vel confuetudine illi debet, quẽadmodum dicebat Ariftoteles iuftitiam effe virtutem animi, cuique fecundum merita diftribuentem. Cicero libro Offic. 3. Ius Craffus vrgebat, quod vitium venditor non dixiffet,fciens id oportere præftari. *Vrgere ius. Ius.*

*Et leges bonas inclamare.*] Inclamantur leges cum aduocantur,vel cũ maledictis conuiciifque aliquis eas infectatur ac reprehendit. Plautus: Tuos inclama,tibi delinquunt. Ouidius. *Fit fonus,inclamat comites,& lumina pofcit.* *Inclamare leges.*

*Et leges bonas inclamare.*] Bonæ leges dicuntur, vt medicina dicitur bona,à qua, tefte Cicerone lib.1. de inuentione,nihil oportet putare proficifci, nifi quod ad corporis vtilitatẽ fpectat,quoniam eius cauffa eft inftituta. Sic à legibus nihil conuenit arbitrari, nifi quod reipublicæ cõducat proficifci, quoniam eius cauffa funt comparatæ. Hinc quoque Macrobius Satur,lib.1. cap.17. vetus,inquit, verbũ eft: leges bonæ ex malis moribus procreantur. Nifi enim peſsimis effufifsimífque moribus viueretur, profectò opus ferundis legibus non fuiffet. *Bonæ leges.*

*Quibus contendunt.*] Filij concertant ac digladiantur. *Contẽdere.*

*Ephebiam trafmiffos.*] Qui eam ætatem excefferint, qua pubem primo amiferunt. *Ephebiam tranfmiffos.*] Speciofè ait Tranfmiffos pro tranfgreffos, id eft, qui eam iam tranfegerint ætatem, quæ prima pars adolefcentiæ, & extrema pueritiæ appellatur. Id enim fignificat Ephœbia. Virgil. *Tranfmittere. Ephebia.*

*Tranfmittunt curfu campos,atque agmina cerui.*

*Pulverulenta fuga glomerant.*

*Soluere. Solutus. Ius patriū.* *Solui iure patrio.*) Manumitti. Nam ſoluere, eſt eum qui alligatus ſit, liberum facere: vnde ſolutus is dicitur, cui recedendi eſt libera facultas. *Solui iure patrio.*) Ius patrium, eſt corrigere, obiurgare, admonere, exhortari, & alere filiū. Hoc ergo iure ſolui contendit, iuxta quod prius pater dixerat, ex tædio bonæ conditionis ſuæ, viam occepiſſe comminiſci, qua ſe emancipet paterno iure. Non ſanè leges ideo inclamans, quòd ſit lex aliqua quæ velit filios puberes ſolui nexibus poteſtatis patriæ, niſi, vt autor eſt Papinianus, filium pater indignis modis tractet, aut nimia ſæueritas pietatis paternæ limites tranſgrediatur, & ob hāc rem ex æquitate cogatur emancipare filium. Vt habetur in lege finali, ff. Si quis à parente manumiſſus fuerit. Quod & citaſſe conſtat, ex his quæ prius intulit cum de parentibus loquitur, quorum iniuſtitia grauis eſt filiis. Et eá pater paulò infrà repetens: Adeóne, inquit, vel inhumanus tibi, vel durus fui, vt te mea iniuſtitia eiiciat? Huc autē pertinet inſignis ille grauiſsimúſq; apud Ciceronē locus in Oratione pro Cluentio aduerſus Saſiam eius matrem.

*Conuenire pro paciſci.* *Sed quibus tandem verbis conuenit inter vos?*) Conſtitutum ac pactum eſt, id eſt, in quam ſententiam concurriſtis? Barbarè diceretur, quomodo concordaſtis? Ouidius:

*Non benè conueniunt, nec in vna ſede morantur,*
*Maieſtas & amor.*

*Reſpōdere.* *Hoc tantum reſpondi.*) Reſpondere propriè dicitur, quū lis intēditur. Reſpōdere ſiquidē eſt priorē alloqui, & quaſi verba fundere, & poſteriore loco dicere. Anthor donatus.

*Conſulendū prius quàm rem aggrediamur.* *Me amplius ſuper his deliberare velle.*) Et hoc quidem pulchrè ac ſapienter, iuxta ſententiam Salluſtianam, qua monet conſulendum antequā incipiamus, at vbi conſuluerimus, maturè facto opus eſſe. Maturè nempe (ſi Ariſtoteli credimus Lib. Mora. Eudemiorum, Et 6. Nichomachiorum) facienda quæ decreta ſunt: cæterùm lentè cunctantérque deliberandū. Laudatur hoc nomine Datames apud AEmylium Probum, quod vbi cogitaſſet, facere audebat cogitata, ſolitus cogitare, prius quàm conari.

*Principiò.* *Principiò.*) Quum quippiam prolixius narrare volumus, hāc loquendi formula conſueuimus auditoris inire gratiā, & attentionem parare. Terentius in Eunucho, Act. 5. Sce. 9.

Principiò

Principiò, ego vos credere ambos hoc mihi vehementer velim. Cicero.1.Offic. Principiò, generi animantiũ omni est à natura tributum.

*Quando obstinatè fugam parat.*] Obstinatè, hoc est, firmè, offirmatóque animo. Obstinatè autem aliquid facere, est (vt ait Donatus) in alterius malum cum conatu facere perseueranter, & in alterius perniciem nimis niti. Terentius in And.Act.1.Scę.5. Itane obstinatè operã dat, vt me à Glycerio miserum abstrahat?

*Obstinatè.*

*Fugam parat.*] Conatur à te recedere. Dicitur & fugam ornare apud Terentium in Eunucho, Act.4. Sce.4. Paulucum (inquit Phædria) si cessassem Pythia, domi non offendissem, ita iam ornabat fugam.

*Fugam parare.*

*Memineris hoc vere dictum à Sophois.*] Sophoi sapientes dicuntur. Traduntur autem septem numero fuisse. Thales Milesius, Solon Salaminius, Chilo, Lacedemonius, Pyttacus Mytileneus, Bias Prienæus, Cleobulus Lydius, Periander Corinthius. A quo verò istorum fuerit hæc prolata sententia nescitur: nisi per sophos quoslibet promiscuè sapientes intelligere velis, sitque generalis sententia. Refertur autem à Mimo Publiano.

*Fugam ornare.*

*Sophio.*

*Inuitum si retineas exire incitas.*] Hac sententia obstinatorum scitè elegantérque natura exprimitur, quorum est semper in vetitũ obluctari. Iuxta illud Senecæ: Malè respondẽt coacta ingenia. Quo innuit nõ fœliciter, succedere quod à nolẽtibus extorquetur. Vnde apud Plautũ in Sticho Panegyris patri interminatur, ne se suámque sororẽ inuitas viris collocet: Sultitia est, inquiens, pater, venatum ducere inuitas canes. Additque sententiam, qua metaphoram explicat. Hostis est vxor, inuita quæ ad virum nuptũ datur. Hinc & Horat. in arte. *Inuitũ qui seruat, idem facit occidẽti.*

*Inuitũ retinere, excitare est ad recedẽdum.*

Fertur quoque hoc vulgari paroemia: Nemo cogendus officij caussa. Hoc est, interprete Erasmo, nullus hospes retinendus aduersus animi sententiam, & inuitus, quia vel inde ansam arripit eius, qui illũ in hospitium recepit, infestãdi, vel aliò quopiam diuertendi. Nemo siquidem cogendus est, vt cuiúsque vtatur beneficio, si nolit. Quia fit plerũque vt bonorum lenitas, inuitet malorum audaciam.

*Sine eũ modò suo animo obsequi.*] Suæ voluntati morẽ gerere. Sic Terẽt. in An.Act.1.Sce.1. Sine nũc me meo viuere modo.

*Obsequi suo animo.*

*Vt sibi notior, &c.*] Sensus est, Permitte eum nunc suæ insanæ obstinationi inseruire, quò ex malo hinc accepto, tandem ad mentē redeat, & ob eas in quas delabetur calamitates suā stultitia, de integro se intimius agnoscat, ictúsque piscator sapiat.

*Recurrere sub alas.*

*De hinc tuas sub alas si recurrerit.*] Artificiose recurrerit, vt pullus gallinaceus, cum longè abest à matre, & ab accipitre oberrantéque miluo rapi formidat. Translatio est enim de Gallinarum solertia & amore, qui tantus esse deprehenditur, vt in miluum pro pullis suis depugnent, & eos sub alas congregent, foueant, tutentur, & ab omnium rerum incursu protegant. Qua similitudine vsus est & Christus in euangelicis literis, quum ad hunc modum Iudæis suam ipsorum cæcitatem, peruicaciam, inscitiam, & cor pænitere nescium opprobrat: Ierusalem inquiens Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Mat.23.

*Gallinarū solertia.*

*Admittere in gratiā*

*Atque supplicem in gratiam tum admiseris.*] Nō sunt ita connectenda, vt dicas, supplicem in gratiā, sed supplicē filiū, hoc est, supplicantē. *Admiseris.*) receperis, adsumpseris.

*Alligare.*

*Certè hinc magis tibi filiū alligaueris.*] Obligabis, deuincies. Terentius in Adel. Act.5. Sce.3. Eo pacto prorsus illic alligaueris filium. *Magis ac dudum.*) Quia, vt ait Cicero in Officiis, in collocando beneficio, & in referēda gratia, hoc maximè officij est, vt quisque opis maximè indigeat, ita ei potissimum opitulari, isque opitulanti magis gratus sit ac deuinctus quo indigentior erat & calamitosior.

*Esse præsidio.*

*Sic sentiet, quanto sit præsidio pater ei.*] Quantum adferat auxilium ac iuuamen. Deflectio est à militibus præsidiariis, qui ad tutelam alicuius oppidi, arcis, vel personæ collocati sunt, qui & ipsi præsidia dicuntur. Dictum quidem præsidium (autore Varrone) quòd extra castra præsiderent in aliquo loco, quò tutior esset legio. Vnde iuriscōsulti de re militari, aiunt eum peccatum desertionis incurrere, qui præsidium reliquerit.

*Præsidiū.*

*Qui vel tandem resipiscat perditus.*] Perditus, haud dubiè quin luxu & lasciuia, more illius AEschini, cuius meminit Demea in Adel. Act.4. Sce.7. Est autem perditus, qui vi-

tiis interiit, quique in omne ſcelus ita traditus eſt, vt vix recuperari poſsit, ſicut perditam rem dicimus, quæ amiſſa ſit. Cicero. Sæuum crudelitate, perditum luxuria, vitiis omnibus contaminatum. *Qui vel tandem.*] Bene tandem, quia, teſte eodem Cicerone, humanũ eſt peccare, ſed beluinum in errore perſeuerare. *Reſipiſcat.*) Reſipiſcere, eſt ad priorem mẽtis ſtatum, vel ad meliorem mentem redire: cuius contrarium eſt deſipiſcere.

*Perditus.*

*Reſipiſcere*

*Vt taceam.*] Locus à commendatione virtutis: Eſt & Rhetorica digreſsio.

*Quod bonitas tua.*] Id eſt virtus, honeſtas, iuſtitia, benignitas, clementia. Cicero: Cum enim fidem aliqui, bonitatémque laudant. Terentius in Prologo Phormionis. Quem actoris virtus nobis reſtituit locum, bonitáſque veſtra adiutans, atque æquanimitas.

*Bonitas.*

*Hinc euaſerit longe cõmendatiſsima.*] Fiet digna, quę ſummis laudibus efferatur. Virtus nẽpe quãuis ſit (vt autor eſt Cicero 2. de Oratore) per ſe ipſa laudabilis, & ſine qua nihil laudari poſsit, eſt nihilominis multo laudabilior, ſi ſeſe expandat in indignos. Imo nulla poteſt eſſe virtus niſi gratuita, vt ait 5. Tuſcul. Nam quæ voluptate, quaſi mercede aliqua ad officium impellitur, eá non virtus, ſed fallax & imitatio, ſimulatióque virtutis.

*Lõge cõmẽdatiſsima.*

*Si ſeſe exerat in immerentes.*] In indignos & non merentes ſeſe extendat. Vnde exerti dẽtes, extra os poſiti dicũtur.

*Exerere.*

*Immerentes.*

*Exerti dẽtes.*

*Et facilem.*] Exorabilẽ. Virgil. *Faciles venerare Napaeas.*

*Et piam.*] Miſericordem, benignam.

*Et bonam.*] Beneuolam, humanam, tranquillã. Homines enim, vt ait Cicero, ad deos nulla re propius accedunt, quàm ſalutem hominibus dando. Vnde rectè præcipere videtur, qui monent quanto ſuperiores ſumus, tãto nos ſummiſsius geramus.

*Facilis.*

*Pius.*

*Bonus.*

*Cenſen' igitur numerandã pecuniam?*] Hoc quodã cum ſtomacho & indignatione, quòd quaſi rationi diſſona nunc ſuadere videretur, cuius conſilio ſe ſemper vſum fœliciter dextréque prius dixerat. *Numerandam pecuniam.*] Nũmos illi computandos. Plautus: Age age, abſolue, atque argentum numera, ne comites morer.

*Numerare pecuniam.*

*Qua ablegetur?*] Cuius pecuniæ fretus auxilio, amãdetur, & à me recedat, alióque mittatur? Terentius in Hecyra,

*Ablegare*

Act.3.Sce.3. Aliquo est mihi ablegandus, dum parit Philumena. Plautus in Cas. Hinc adolescentem peregre ablegauit pater.

*Scilicet.* *Scilicet.*) Affirmantis particula.

*Os durum.* *Os durum.*) Hoc dicit, quasi præter omnia hoc esset impudentius, infestiúsque, népe quòd suaderet dare pecuniam filio, qua se à patris ditione abalienaret. Quod penè est ac si diceret, Quàm asperè & impudéter loqueris, atque indigna fido consultore. Est autẽ exclamãtis, simul & indignãtis locutio. Terentius in Eunucho, Act.4. Sce.7. Principio eam esse dico liberam, ciuẽ atticam meã sororem. Respondetur.

*Os infrene.* Os durum. Dicitur & os infrene, pro petulanti & maledico. Sumpta vtrinque metaphora ab equis nullo freno coërcitis.

*Tribus modis viuitur.* *Postulat istud res ipsa, ratio, iuráque publica.*) Hìc à tribus modis sumit argumentũ, quibus viuitur, natura, consuetudine, ratione. A natura quidẽ rei duas ob caussas. Vna, quòd dum retinetur filius ad abeundũ magis excitetur impellatúrque. Altera, quò ex malo accepto se intimius agnoscat, indéque resipiscat ex perdito. A ratione quidẽ, quæ est ordo gerendorũ ex caussa venientiũ. A consuetudine, quia iura publica id requirunt & monent. Quorum tria sunt

*Tria præcepta iuris publici.* præcepta, honestè viuere, alterum non lædere, ius suum cuique tribuere.

*Faciendum est.*) Id nimirum eadem natura, consuetudine, ac ratione, velut quadam imarmeni, necessitate, ac ordine, ad effectum cogentibus.

*Ius esse alicui.* *Non est mihi ius.*) Autoritas, libertas, licentia, copia, facultas. Cicero: Quare suo iure ille Ennius sanctos appellat poëtas, id est, sua licentia, qua summus erat poëta. Est autem hic argumentum à iudicio, & autoritate.

*Retundere.* *Lasciuiam illius retundere?*) Retundere, reprimere siue redarguere significat: à sono, quem percussores vel fabri faciunt. Terentius in Heaut. Act.5. Sce.1. Vt eius animum, qui nunc luxuria & lasciuia diffluit, retundam, redigam, vt quò se vertat nesciat.

*Habere necesse.* *Non habes necesse.*) Non tibi incumbit necessitas.

*Pro imperio agere.* *Pro imperio tuo omnia agere.*) Pro potestate atque arbitratu. Non enim licet patrem in filium sæuire, eóque potissimum quia pater est. Terentius in Adel. Act.1. Sce.1. Non

necesse habeo omnia pro meo iure agere.

*Magis tibi credam quàm animo meo.*) Hoc veri est, synceríque amici, Nimirum alterius sese ita demittere voluntati & arbitrio, vt suum illius post habeat, eíque obsequatur per omnia.

*Sed heus ne sæuius gnatum tractes.*) Hoc dicto docet iuxta sententiam Mitionis, illius Terentiani, pudore & liberalitate liberos retinere satius satius esse quàm metu. Et errat longe (inquit) mea quuidem sententia, qui imperium credat grauius esse, aut stabilius vi quod fit, quàm illud, quod amicitia adiungitur. Et paulò inferius: Hoc patrium est, potius consuefacere filium sua sponte rectè facere, quàm alieno metu. In Adel. Act.1, Sce.1.

*Liberalitas in correptione.*

*Tantum obiurgato amantius.*) Beneuolè argue, increpa humanè, reprehende dulciter. Secus enim agere, irritationem quandam præ se ferret potius, quàm exhortationē, quæ cum iudicij pondere, & mentis moderatione atque trutina fieri debet, Esset & grauiorem ipse morbo medicinam facere.

*Obiurgare*

*Paritérque moueas quid cauere oportet periculi.*) Quod est prudentis circunspectique patris.

*Modò ad ærarium illum expectabo dum redeat.*) Veteres suā pecuniam signatā ex ære habuisse, idonei tradūt scriptores, ex quo ærarium dictum, quod æris repositorium, numorū quoque, ac pecuniæ publicæ, similiúmque rerū preciosarū, quæ reipublicæ vtilitatem erant allaturæ, significat.

*Aerariū*

*Quid tu interim?*) Eclipsis. Deest enim acturus es.

*Eclipsis.*

*Quid quod te oro?*) Desunt duo vocabula agis & ego, vt sit quid agis, quod ego te oro? Modus est autem loquendi, Romani candoris plenus. Cum enim aliquid timentes narrabant, ac deinde ne quid tale eueniret, obsecrabant, Quod te oro dicebant, quod perinde est quasi, quare te oro. Terentius in Hecyra, Act.3, Sce.2. Male metuo, ne Philomenæ magis morbus aggrauescat, quod te AEsculapi, & te Salus, ne quid huius sit, oro. Rursus in Adel. Act.2. Sce.1. Quid quod te oro? Quem locum interpretans Donatus subintelligimus, inquit, in hoc loco, aut si quid, propter quod, vt sit. Quid mihi non respondes de eo propter quod, aut si quid te oro.

*Quid quod te orro.*

*Quid?*) Subaudiendum, times, vel loqueris.

*Consultore carere.* *Vt non sit mihi te consultore diu carendum.*] Vt tuo consilio diu non priuer. In rebus enim anxiis, & maximè perplexis vacilantibúsque, tum vel maximè consilio opus est. Quò fit vt consilium res sacra vulgari prouerbio vocetur, vtpote quo velut sacra anchora in turbulētis periculosísque rebus innitamur.

*Vt, pro quantùm. Sapientis propria.* *Dij boni vt sapit Eubulus, &c.*] Hæc omnia cum admiratione efferenda sunt. Vt enim hic pro quantum, vel pro qualiter sumitur. Terentius in Heaut. Act. 3. Sce. 3. Vt equidem metui, quid futurum denique esset. *Vt sapit Eubulus.*] Hic ad amussim quæ propriè sapientis sunt describuntur, nimirum sapere, consulere prudenter, videre omnia, iuxta Ciceronis dictum, qui in oratione quam pro Cluentio habuit, Sapientissimum appellat eum, cui quod opus sit, ipsi venit in mentem. Et in 3. de Finibus: Quicquid à sapiente proficiscitur, id continuò debet expletum esse suis partibus. Vnde infra dicturus est: Est istuc datum mihi, vt nusquam non rectè consulam, atque videam, non solùm quæ sunt ante pedes obuia, verū & quę procul ventura sunt, prospiciam longius.

*Ianus bifrons.* *Ianum bifrontem hunc vere dixeris.*] Adeò prouidus & circunspectus est. Ianum autem ab hiatu dictum putant detracta aspiratione, quòd fuerit omnium primus, cui velut omnium parenti supplicabant, & à quo rerum omnium factum putabant initium. Etenim

*Chaos.* chaos appellarunt veteres, imprimísque Hesiodus, confusam quandam ab initio vnitatem hiantem, patentémque in profundum, à quo χάσκειν Græci, & nos hiare deduximus, & quod nos hiatum, illi χάσμα dixere. Depingebant autem præferentem geminam faciem, vt quæ ante, quæque post tergum essent intueretur, quod certe ad ipsius prudentiam ac solertiam referendū est. De Iano plura habes apud Macrobiū libro. 1. Saturnaliorum, cap. 9.

*Oculos habere in occipitio.* *Tam in occipitio quoque oculos multos habet.*] Prouerbium est, quod Erasmus de versutis & circunspectis dici solere asserit, quosque neutiquam procliue sit fallere. Quod genus hominum Persius Ianos appellat, O Iane à tergo cui nulla ciconia pinsit. Hoc itaque prouerbio vtimur, cum iudicamus admirabilem rerum omnium cognitionem, aut singularem prudentiam inesse homini, quæ alioqui

constat non præsentiũ modò scientia, sed & memoria præteritorum, & futurorum prospicientia. Hinc fit, quòd Homerus principem postulet à frõte & à tergo oculatũ. Plautus in Aulularia. Quæ in occipitio quoque habet oculos pessima.

*Vt.*) Pro quamuis. Plautus: Vt istuc periculum ingens sit, me tamen non terrefacit.

*Vt, pro quamuis.*

*Ex animo meo.*) Id est, secundum animi mei voluntatem, desiderium, ac iudicium: quod aliquis nouè nec minus ineptè diceret, ad votum. Cicero in Pisonem: Equidem dicam ex animo quod sentio. Idem: Te autem alienum hominem amant ex animo.

*Ex animo.*

*Nunc vt diei gnato dictæ tempus est.*) Priùs dixit, nihil inter se & filium conuenisse, sed hoc tantum illi respondisse, seamplius super his quę poscebat, deliberare velle. Vbi quidem coniicere licet, se illi quoque tempus præstituisse, quo esset super eis responsum daturus, pro consultorum consilio. Vnde hîc illius diei meminit. Est autem diem vel tempus diei dicere alicui, condicere & constituere tempus, quo aliquid agere debeat. Terentius in And. Act. 1. Sce. 1. Hic nuptiis dictus est dies, id est, tempus constitutum, quo nuptiæ fieri debent. Rursus in Heaut. Act. 1. Sce. 1. Sed vt diei tempus est, monere oportet me hunc vicinum Phaniam, ad cœnam vt veniat.

*Dicere diẽ.*

*Rationes omnes concinnabo ad calculos.*) Ad calculos rationes concinnare, est æquas rationis ostentationes aptè conficere, & quasi conuenire facere. Concinnare siquidem, ornatè componere significat. Cicero: Cũ iis, cum quibus concinnabatur, verbis discrepabant. Hinc concinnatores causarum, vel redemptores. Et concinnus, compositus, ornatus, vt concinna oratio, id est, compta, aptáque & ornatè composita.

*Concinnare rationes ad calculos.*

*Concinnatores.*

*Cõcinnus.*

## ACTVS PRIMI, Scena secunda.

ACOLASTVS, PHILAVTVS.

*Trochaici catalectici.*

M*E nisi animus fallit, omnia succedent bene.* PH. *Sed patris*
*Vim & facundiam vereor, vt fortiter feras.* AC. *Egón'?*
*Obfirmato animo meam rem agam.* PH. *Tantum caue suis*
*Ne te sæuis dictis protelet.* AC. *Protelet? Omnia*
*Mea mihi meditata sunt, nihil formidem congredi*
*Vel cū tribus oratoribus.* PH. *At iam credo satis diu*
*Rem tuam deliberasse patrem: Quid respondeat*
*Vise.* ACO. *Aggrediar.* PHI. *Hem, macte animo, i sanè quò tua te vocat*
*Virtus, i pede fausto. Miror si res ex sententia*
*Huic cesserit. Aut fallor, aut repelletur ne causā agat,*
*Tam meas rationes omnes hic Pelargus abiicit:*
*Quare cum illo fatali depugno odio.* ACO. *Philaute mi, heus,*
*Heus Philaute.* PHI. *Quis me?* ACO. *Cor mihi salire iam incipit.*
PH. *Hem, quidum Acolaste?* ACO. *Quia pater ærario aßidet, suum*
*Censum supputans, vt ego opinor. Quare auribus meis*
*Hausi tinnitum, ad fores placidè aßistens nostras.* PH. *Bene*
*Est, tu intro irrumpe ad senem, expectabo te domi mea.*

ME nisi animus fallit.] In hac Scena post vltrò citróq; inter Acolastum & Philautum intra priuatos parietes, vel alibi (vt in procliui colligere est) habitũ colloquium de extorquẽda à patre Pelargo pecunia, Acolastus vafro Philauti consilio simul & cohortatione factus audacior, honestatis ratione posthabita, patrem aggredi deliberat. Ad quod velut calcar addẽs Philautus, ille ad patris ianuam velox conuolat: vbi aliquantisper placidè subauscultans, pecuniæ tinnitum tandem intelligit, quod & consultori refert, insolentius inde exultans. Quo fit vt hic instiget vehementius, & ille confidentius patrem adeat. *Argumentum.*

*Me nisi animus fallit.*] Quod Marcus Tullius quinta actione in Verrem ait, Ita serpere illud insitum in natura malum consuetudine peccãdi libera, finem vt audaciæ statuere ipse homo sibi non possit, hæc scena exprimit. Item illud Plautinum in Curculione, Qui monet, quasi adiuuat. *Doctrina.*

*Me nisi animus fallit.*] Hic dialogismus est acuti ingenij in multa cogitatione versantis. Est enim dubitantis sermo ac perplexi, inq; diuersa distracti animi. Sic Syrus ille Teren. in Heau. Act. 4. Sce. 2. Nisi me animus fallit, haud multum à me aberit infortunium: Ita hac re in angustum oppidò nunc meæ coguntur copiæ.

*Omnia succedent bene.*] Prosperè ac fœliciter euenĩet. Vnde successus pro fœlici & auspicato euentu. *Bene succedere.*

*Sed patris vim & facundiam vereor.*] Acuit animum adolescentis aduersus patrem, cuius etiam nomen graue est. *Successus.*

*Vim.*] Violentiam. *Facundiam.*] A facundus fit facundia, quæ facultas differendi cũ gratia interpretatur. Facundus nempe disertus dicitur, & qui ea quę mente concipit, ad audientes facilè atque ornatè perferre assolet. *Vis. Facundia.*

*Vt fortiter feras.*] Non hoc quidem dicit vt pudore ac verecundia paterna, eum ab instituto abstrahat, & de pecuniæ consecutione faciat ei animum despondere: verum vt acrius in contemptum patris prouocet: & si non insanit satis sua sponte instiget. *Vt fortiter feras.*] Vt, pro ne non posuit, vt sit, vereor ne non fortiter feras vim & facundiam patris. Sic Terentius in And. Act. 1. Sce. 5. Haud vereor, si in te solo sit situm, sed vim vt queas ferre. *Vt, pro ne non.*

*Egon'?*] Hoc summa cum arrogãtia efferendũ, quò ostendat quantum profecerit sub tanto rectore. *Egon'?*] Ego ne? *Egon'.*

habétque emphasin,hoc est,quem oporteat vt pater timeat, & cui non obganniat,sed optata ferat.

*Obfirmato animo rem agere.* *Obfirmato animo meam rem agam.*) Adolescentilem audaciam specta. *Obfirmato animo.*) Id est,constanti,libero, firmóque ac obstinato proposito,citráque vllá vacillationem. Obfirmare siquidem,est sese aduersus aliquem valde firmare.Terentius in Hecyra,Act.3.Sce.5. Certum obfirmare est viam me,quam decreui persequi.

*Tantum.* *Tantum caue,suis ne te seuis dictis protelet.*) Tantum dixit, quasi nō essent alia in patre quæ cauere eum oporteret.Sed ad rem,quam incepturus erat prodigus,respexit, quod peragere non posset citra grauem patris obiurgationem. *Protelet.*) Perturbet,præueniat,exagitet,protrahat.Tractum ab assiduo telorum iactu.Terentius in Phor.Act.1.Sce.4.Hem istuc serua: & verbum verbo, par pari vt respondeas, ne te iratus suis sęuis dictis protelet.Aliàs differre,producere,excludere,perpellere,propulsare significat. *Protelare.*

*Protelet?*) Hoc item cum confidentia pronuntiandum.

*Meditata esse omnia* *Omnia mea mihi meditata sunt.*) Oratoris proprium nimirum vt non nisi paratus,hísque quæ dicturus est suffarcinatus,ad caussam agendam accedat. Sic Geta ille Terentianus in Phor.Act.2.Sce.1. O Phædria incredibile est, quantò herū anteeo sapiētia: meditata mihi sunt omnia mea incommoda. Et rursus Phormio parasitus, Act. 2. Sce.2. Iam instructa sunt mihi corde consilia omnia.

*Nihil formidem.*) Pro formido,vel formidarem.

*Congredi.* *Congredi vel cum tribus oratoribus.*) Translatio est à prælio.Nam & congredi milites & coire dicuntur, quum manus conserunt,ac dimicant. A quo congressio. *Vel cum tribus oratoribus.*) Orator duo significat, vel eum qui caussas agit in iudiciis seu concionibus: vel legatum,quod principis vel reipublicæ mandata peragat. Virgilius: *Congressio* *Orator.*

*Centum oratores prima de gente latina Ire placet.*

*Deliberare* *At iam credo satis diu rem tuam deliberasse patrem.*) Super tuo negotio cogitasse.Ad hoc spectat: hoc tantum respondi,me amplius super his deliberare velle.

*Visere.* *Quid respondeat vise.*) I ad videndum. Est autem propriè verbum officij apud ægros, vt ait Donatus, videre verò, cognitionis, quod alioqui frequentatiuum ipsius declarat,visito.Terentius in Hecyra,Act.3.Sce.2.Non visam *Videre.*

vxorem Pamphili,cum in proximo hîc ſit ægra?Cui à Parmenone reſpondetur,Non viſas, nec mittas quidem viſendi cauſſa quenquam.

*Aggrediar.)* Artificioſè. Prius enim dixerat nihil formidare ſe congredi vel cum tribus oratoribus, quod propriè gladiatorum eſt. Bene ergo ſeruauit tranſlationem ab iiſdem cœptam,cum propriè aggredi ſit gradatim accedere ad dimicandum. *Aggredi*

*Aggrediar.)* Pulchrè aggrediar, quaſi rem arduam, & contra patrem incongruam filio, vel aggrediar, vt patrem circunueniam. Sic Laches ille apud Terentium in Hecyra, Act.5. Sce.1. Videndum eſt, inquit, ne minus propter iram hanc impetrem quàm poſsim:aut ne quid faciam plus,quod poſt me minus feciſſe ſatius ſit.Aggrediar.Bacchis ſalue.

*Hem.)* Hortantis incitantiſque interiectio. *Hem.*

*Macte animo.)* Macte dictio eſt, quæ laudat, ſimul & adhortatur eum, quem vel virtute vel probitate creſcere & videamus, & velimus. Mactare nempe pro magis augere veteres dicebant. Virgilius: *Macte animo.* *Mactare.*

*Macte noua virtute puer,ſic itur ad aſtra.*

Cicero. Macte virtute eſto.

*I ſanè quò tua te vocat virtus.)* I ſecunda perſona eſt imperatiui modi à verbo eo,is. *I.*

*Sanè.)* Sanè pro validè,quia qui ſanus,& validus eſt. Terentius in And.Act.1.Sce.2.Nempe ergo apertè vis,quæ reſtant,me loqui.Reſpondetur.ſanè quidem. *Sanè.*

*Quò tua te vocat virtus.)* Virtus hîc pro animi fortitudine ſumitur.Et ſic dicitur eſſe perferendorum malorum fortis atque inuicta patientia. Quoniam enim fortitudo,cæteris virtutibus antecellit, factum eſt, vt rectè animi affectiones,virtutes appellentur. *Virtus.*

*I pede fauſto.)* Hoc ſermone vtimur, cum rem fœliciter, auſpicatò,hilariter,ac proſperè cadere peroptamus. Ad hãc formam referuntur & illa, bonis auibus, fauſto omine, bonis auſpiciis,fœlicibus auguriis,atque id genus alia,quæ ab augurum arte ſumpta, in communem ſermonem abierunt. Horatius: *Pede fauſto.*

*I bone quo virtus tua te vocat,i pede fauſto.*

*Miror ſi res ex ſententia huic ceſſerit.)* Miror pro neſcio,quia miratio omnis ex ignorantia deſcendit. Et rectè quia in- *Mirari.*

certum inexploratúmque habebat, quonam pacto res succederet, hinc partim dehortatus, quod pater esset ad rem auidior: partim quòd non ignoraret ille harum rerum ipsum caput esse & authorem, cuius rationes prorsus reiiciebat, velut proborum morũ corruptelas quasdam, & certas pestes. *Si res ex sentẽtia huic cesserit.*) Si pro voto, & iuxta quod eius animus sentit, negotium succedet. Vnde & ex animi sententia loqui, quiescere, vxorem habere, euenire, & id genus alia dicimus. Terent. in Phor. Act. 2. Sce. 1. Sed satin' omnia ex sentẽtia?

*Cedere ex sententia.*

*Agere seu dicere caussam.*

*Ne caussam agat.*) Agere seu dicere caussam dicitur, quũ reus quispiam accusatori respondere cogitur. Terentius in Phor. Act. 5. Sce. 5. Te suam rogauit rursum vt ageres caussam, vt pro se diceres. *Ne caussam agat.*) Ne rationes suas adferat & pronuntiet.

*Fatale odiũ*

*Quare cum illo fatali pugno odio.*) Hoc natura insitum est, inquit Cicero pro Sylla, vt quem timueris, qui cum de vita fortunísque contenderis, cuius ex insidiis euaseris, hunc semper oderis. *Cum illo fatali pugno odio.*) Fatale odium dicitur mortale, irrecõciliabile, intestinum, capitale, atque vehementer acerbum. Fit autem a fatum, quod pro morte sumitur: quod nihil tam necessariò homini impendeat, quã mors. Vnde fato concedere, pro mori dicimus. Affine est huic, Odium Vatinianum, odium nouercale. Item, odit cane peius & angue.

*Fato concedere.*

*Heus heus.*

*Philaute mi, heus heus philaute.*) Hoc cum gestu scurrili & affricatione quadam membrorum, & subsultatione pronũciandum venit. Vbi quidem ex argumento videre est, quã parum timeat ille patris sæuitiam. *Heus heus.*) Vox est de longinquo reuocantis.

*Quis me?*) Deest vocat.

*Cor salit.*

*Cor mihi salire iam incipit.*) Hæc locutio prouerbij imaginem habet, qua sanè vtimur, vbi spes est nos lætum quippiã visuros, & vehementer exoptandum. Dicitur &, salit mihi oculus dexter. Est quoque apud Plautum, Supercilium salit.

*Hem.*

*Hem.*) Interiectio perculsi re noua & subita.

*Quidum.*

*Quidum Acolaste?*) Qui pro vnde, vel pro quare. Dum autem parelcon est. Est enim productio, & adiectio syllabę vt adesdum, ehodum.

*Quia pater ærario aßidet.*) Pulchrè hìc ærario aßidere facit patrem,vt quod prius dixit cōueniat,Modò ad ærarium illum expectabo dum redeat. *Aßidet.*)Iuxta ſedet.Plaut. in Rud.vt fortunati ſunt fabri ferrarij, qui apud carbones. aßident.Fit autem a ſedeo,quod quanquam neutrum eſt,Aßideo tamen actiuum eſſe placet Priſciano,nam aßideor facit paßiuum. Salluſt. Amiſſúmque aßideri ſine prælio audiebat. *Aßidere.*

*Suum cenſum ſupputans, vt opinor.*)Cenſus dicebatur æſtimatio rerum ac bonorum facta, ſecundū quam tributa pendebantur. Vnde cenſum agere,eſt recenſere hominum facultates. Hìc autem pro annuo reditu & opibus ſumitur. A quo, qui cētum millia æris in profeßionem detuliſſent, Cenſi vocabantur. *Cenſus.* *Cenſi.*

*Supputans.*) Connumerans *Supputare.*

*Quippe auribus meis hauſi tinnitum*)Eſt hìc figura Pleonaſmos,quæ fit vbi ſuperuacuis verbis oneratur oratio, vt eſt illud apud Terentium,in Hecyra,Act.3. Sce.3. Partim quæ aſpexi his oculis partim quæ accepi his auribus. *Pleonaſmos*

*Hauſi.*) Accepi,audiui. Virg. *Haurire.*

*Vocemque his auribus hauſi.*

Tractum ab aura, quæ humorem omnem extrahit, atque exſiccat. *Tinnitus.* *Tinnire.*

*Tinnitum.*)Tinnitus,ſonus dicitur,quem æs, vel pecunia reddit.Fit autem à verbo Tinnio,quod a ſono cuiuſpiā inſtrumenti ænei,quo populus Romanus lauandi hora vocari ſolebat,deductum eſt.Inſtrumentum autem illud,Tintinabulum vocitabatur. Eſt hìc itaque figura Onomatopeia,hoc eſt, nominis confictio,ſoni imitatione. Cuiuſmodi ſunt,balare, hinnire, glocire, mugire, boare,bombitare, quod eſt apū, vnde bombitatio, ſtruthiſſare ſiue titiſſare, quod eſt paſſerum,& id genus innumera, quæ ſignificandi gratia,pro tempore fingimus. *Tintinabulum.* *Onomatopeia.*

*Ad fores placidè aßiſtens noſtras.*)Placidè,latenter,ſuſpēſo gradu,clanculum, ſedatè. Fit autem a placeo placidus, à quo placidè,quod quæ quieta ſunt,omnibus placeant.Terētius in Phor.Act.5.Sce.6. Hoc vbi ego audiui, ad fores ſuſpenſo gradu placidè ire perrexi, acceßi,aſtiti, animam cōpreßi,aurem admoui. ita animum cœpi attendere,hoc modo ſermonem captans. *Placidè.*

*Irrumpete.* *Tu intro irrumpe ad senem.* ) Metaphora de re militari. Irrumpere siquidem, est propriè impetum facere, quando vel exercitus è castris, vel præsidia ex vrbibus in hostes impetũ faciunt. A quo irruptio. Tale est illud Getæ apud Terent. in Phor. Act. 1. Sce. 4. Nunc prior adito tu, ego in insidiis hic ero succenturiatus, siquid deficies.

## ACTVS PRIMI Scena Tertia.

ACOLASTVS, PELARGVS.

*Trimetri.*

N VNC *quod futurum est colligo, nunquam dabit*
*Pecuniam pater, nisi moneat prius,*
*Vt ne profundam, perdam, confringam malè.*
*Rem omnem, Idque aget verè vultu, tam mihi timet:*
*Sed nescit quàm surdo narrabit fabulam.*
*Ego faciam tamen, vt pulchrè respondeam*
*Illius verbis, alia quàm cogitem loquens,*
*Meus dum dinumeret mihi argentum senex.*
*Sic illudendi sunt patres isti, nimis*
*Rigidi in nos iudices. Sic imperium cadit,*
*Quod vi magis quàm beneuolentia asserunt.*
*Vt sim omnibus gratus, pro frugi nomine,*
*Mihi quod pater inditum voluit, ex re meus*
*Philautus aliud subdidit concinnius.*
*Acolastus siquidem & esse & dici gaudeo,*
*Satis adhuc cessatum est, adire eum volo.*
*Adsum pater, vt quid vel tandem respondeas*

*Audiam. Itan' rationes studiose conficis*
*Omneis, vt portionem conscribas mihi?*
PEL. *Nempe vt ariolare fili.* ACO. *Amo te plurimũ.*
*Et non neglexisse habeo imprimis gratiam.*
PE. *Quod ô cum salute tua fiat.* AC. *Fiet pater,*
*Nequid time. Sed obsecro quantum dabis?*
PE. *Adèon' tibi in pecunia est animus, nihil*
*Vt imperes isti tuæ libidini?*
*Fili, id adeò edico tibi, nisi quieueris,*
*Reducam calculum.* AC. *Rectè pater obsecro*
*Perge.* PE. *Vt pergam? ne me obturbaris peßimè,*
*Concede istorsum aliquantisper, dum te vocem,*
AC. *Faciam. Hem, quid egi? nunc malè metuo miser;*
*Ne non æs omne reddat, vel quòd auidior*
*Est ad rem, vel quòd est commotus. Ineptias*
*Hominis, nescis tractare ægrotum animum patris,*
*Quem debebas meminisse tam irritabilem?*
PE. *Ehodum ad me fili. Nunc vtrùm vis sub meo*
*Præsidio degere, an peregrinari foris?*
*Fac cordatè respondeas.* AC. *Pater foras*
*Me animus vocat.* PE. *Prauus sanè. Quid si sinas*
*Te exorari, vt maneas domi meis bonis*
*Fruiturus perpetuò? certè patrem foris*
*Tu nusquam inuenias gentium.* AC. *Credo pater.*
*Sed proficiscendum est, decretum stat, me feras.*
PE. *Non possum tam blandè mi fili dicere,*
*Vt animum mutes?* AC. *Operam omnem ludis pater,*
*Potius tentabo quid poßim vel legibus*
*(Vt istuc cum tua dicam pace interim)*
*Si quod rogo non impetrem cum gratia.*
PE. *Quando obstinatè operam video te dare, meum*
*Vt tibi iugum excutias alioqui amabile,*

*Age, non libet tecum pugnare, sed tu habe*
*Hanc Zonam tibi, decem talentûm rem tenet:*
*Ea est substantia tua aqua portio.*
*Quid gestis gnate mi? Ah nescis quid gaudeas,*
*Crede hoc mihi, si quid vnquam commonui bene,*
*Acerbius flebis, quod temere niteris.*
*Ego seculum hoc noui quibus sit moribus,*
*Tum te pernoui quo sis ingenio: tuum*
*Si animum vicisti, potius quàm animus te, sine*
*Vt gaudeas. Verum quoniam video secus*
*Te esse habitum, non possum quin deplorem tuam*
*Stultitiam, paritérque doleam te abscedere.*
AC. *Pater obsecro, ne quid te excrucialis mea*
*Caussa, nullam peperero tibi ægritudinem.*
PE. *Vtinam.* AC. *Certè pater. Nunquid me vis?*
PE. *Puer,*
*Hem, ægrè propter me consistis video, pedes*
*Tibi pruriunt, ardéntque fugam. Sed hæc prius*
*A me si imperia capesses, multa in pectore*
*Tuo bona considebunt. Principiò, tuam*
*Mentem fac nullis artibus imbuas, nisi*
*Quarum in me exemplar aduortis, meis item*
*Fac viuas moribus, vt qui pœnitendum habent*
*Nihil. Volo tuo animo haud quaquam seruias,*
*Quem præstat semper habere suspectum. Caue*
*Diuertas ad nequitiam à præceptis meis.*
*Postremò habe hoc tibi monumentum, vt regulam,*
*Ad quam mores, vitam, & mentem instituas tuam.*
*Hæc sedulò verses, hæc mente tractites,*
*Hæc pro Cynosura quapiam limet oculus,*
*Hæc sint tibi ceu lapis lydius, ad quem probè*
*Tete explores, vt qui sis noscas intimè.*

*Ah*

*Ab iis enim si quid vel vita, vel animus*
*Deliret, peccatum id quidem esse memineris.*
AC. *Est praterea quod vis?* PE. *Vt perpetuò benè*
*Valeas.* AC. *Valebis igitur mi parens.* PE. *Vale,*
*Vale, inquam, gnate mi, Gnate, æternùm vale.*
*Quę hæc est miseria? Proh deûm atque hominum*
*fidem.*
*Itan' deuelli à me quod erat charissimum?*
*Oh, quem luctum paras, quas curas iniicis*
*Patri, ipse securus nimis. Pulchrè quidem*
*Tuam rem abiens stabilisti. Sed nescis, ah*
*Nescis, serus quos exitus vesper vehat.*
*Sanè illud demiror, quî fiat vt mihi*
*Quom maximè peccet gnatus, nequeam tamen*
*Acerbiore in eum esse animo. Vt nunc res ferunt,*
*Vtinam, tam possem filij obliuiscier,*
*Quàm ille (ô dementiam) me auersatur libens.*
*Huc huc calamitatis ego scilicet tuò*
*Philaute consilio inferor, ô dolor grauis.*

NVnc quod futurum est colligo.) Hęc scena prodigi abdicationē ac discessum à patre, continet, ad quod vtique pro re comica totius fabulæ spectat argumētum. Et est locus vbi maximè paternus excitatur affectus. In cuius scenæ principio, miro modo pro iuuenili sagacitate & captu, ratiocinatur Acolastus, variis coniecturis colligens, se nūquam extorsurum a patre pecuniam, nisi priùs ab eo pro patris officio admoneatur, ne eam dilapidet, & malè profundat. Quem patrem nihilominus intrepide aggreditur, vt quid vel tandem respondeat, audiat. Qui perpendens filium nec blandimentis nec terroribus ab ingenio reuocari posse, æquam ei portionem substantiæ, quæ eum contingere poterat, dilargitur, idque non sine ingenti cum obtestatione simul & exhortamentis quàm plurimis, ne à paternis & moribus & præceptis ad nequiora deflectat. Exinde

*Argumentum.*

vale dicit patri. Pater nõ mediocri mœrore ob eius diſceſſum conficitur. Hoc eſt ſcenæ præſentis argumentum.

*Doctrina.* *Nunc quod futurum eſt colligo.*) De futuris rebus, etſi difficile eſt dicere, vt ait Marcus Tullius, tamen interdum poſſis cõiectura propiùs accedere, cũ res eſt eiuſmodi, cuius exitus præuideri poteſt. Vnde hic prodigus rationes colligit, & velut in faſciculũ coartat earum rerum, quæ ſibi à patre poſsint obiici, quáſque illi reſpondere habeat, ne cauſſa cadat, & ſub paterna impulſione incautiùs opprimatur, frangatúrque. Vbi quidem exemplum proponitur, nos non debere perperam ac citra trutinam animi res noſtras agere: ſed apud nos perpendere diligentius, priùs quàm eas aggrediamur, quos ſint ſorti turæ exitus.

*Colligere.* *Nũc quod futurum eſt colligo.*) In vnum redigo. Metaphorica deflexio eſt, quũ videlicet vox è propinquo ad rẽ ꝓximã detorquetur, queádmodum video pro intelligo dicimus.

*Profundere* *Vt ne profundam.*) Profundere pecuniam, eſt eam, ſupra modum exponere, dilapidare, diſperdere. Ducta tralatione de aqua, quæ ex rimoſis futilibúſq; vaſis profunditur, id eſt, extra funditur. Terentius in Adel. Act. 1. Sce. 2. Profundat nihil ad me attinet. Hinc profuſus, qui ſupra modum ſumptuoſus eſt.

*Profuſus.*

*Cõfringere malè ſuã rẽ* *Confringam malè rem omnem.*) Cunctã meam ſubſtantiam turpiter, fœdéque conſumam. Tractum ab eo, quod quæ dura ſunt ante frangi ſoleant, quàm apponantur.

*Idque aget vero voltu.*) Ecce quã graphicè paterna ſollicitudo atque amor erga filium, ab hoc prodigo deſcribitur. Cõtrà quã adamantina & ferrea mens filij, qui non eo moueatur. *Idque vero voltu.*) id eſt, ex animo citraque fucum, nõ ſimulatè, non perfunctoriè: quod aliter dicimus vera fronte: cui contrarium eſt à ſummis labris, pro eo quod eſt, non ex animo.

*Vero vultu agere.* *Vero voltu.*) Vultu dicit non forma, vel facie, quod vultus fingi poſsit & moueri: forma verò immobilis ſit & naturalis. Terent. in And. Act. 5. Sce. 1. At vero voltu, cum ibi me adeſſe neuter tum præſenſerat. Cicero de Pet. Con. Vultus ac frons, animi eſt ianua, quæ ſignificat voluntatem abditã ac retruſam: & qui ſermo quidam tacitus mentis eſt.

*Timere alicui.* *Tam mihi timet.*) Timemus alicui ne quid ei mali accidat: timemus aliquem, ne quid nobis detrimenti inferat. Terẽt-

in And. Act.1. Sce.3. Si illum relinquo, eius vitæ timeo, sin opitulor, huius minas.

*Sed nescit quàm surdo narrabit fabulam.*) Quã pro quantũ. Surdo narrare fabulam dicitur, qui frustra suadet vel orat, perinde quasi surdo loquatur. Ortum videtur Erasmo, à ridiculo casu, quo sæpe fit vt hospes incidat in surdũ, quẽ percunctetur multa ridentibus iis qui surdum nouerũt. Terẽt. in Heaut. Act.2. Sce.1. Næ ille haud scit, quàm mihi nunc surdo narret fabulam. Eandem vim habẽt, littori, vento, lapidi, vel parieti loqui, mortuo verba facere. Surdo vel frustra canere, & pleraque id genus alia.

*Quam, pro quantum.*

*Surdo narrare fabulã*

*Ego faciam tamen &c.*) Hoc est, Lenibo dictis, at mens diuersa parabit. Quod profecto vafri ac fraudulenti est. Huiusmodi vulgò bilingues & duplices appellantur, qui videlicet sunt adeo lubrica & insyncera fide, vt aliud quidem in ore promptum, aliud verò in pectore clausum gerãt. Qui probis sermonibus sunt amici, cęterum hostes morib[9]. Qui denique cùm à fronte benè dicant, à tergo mente premunt & volutãt atrocia. Ea erat Philauti disciplina, quam hìc exprimit Acolastus, de quo superius in hunc modum expostulabat Pelargus: Quàm blandulus siren Philautus à fronte, at pòst senseris dulcis veneni aculeum.

*Bilingues & duplices*

*Meus dum dinumeret argentum senex*) Meus senex, Ironicè dixit & contemptim, vt mos est adulescentulorum, qui paterna præcepta, instituta, exempla, atque minas molestè ferunt. *Meus senex*) Vel ex morbo, vt Donatus ait, ęgritudinéque rugosus, vel quia ita videtur ob deformitatem. Sic Syrus cum de hero suo loquitur in Heaut. Act.5. Sce. 2. Seni nostro nihil fidei habeo.

*Meus senex*

*Senex.*

*Sic illudẽdi sunt patres isti.*) Hìc immoderatius sibi gloriatur prodigus ob ingenij versutiam, & animi simulationem, qua patrem decipere contendit. Sic Syrus apud Terentium in Heaut. Act.4. Sce.3. Hic me magnificè effero, qui rem tantã in me, & potestatem habeam tantæ astutiæ, vera dicendo vt eos ambos fallam. *Sic illudendi sunt.*) Irridendi, vel fallẽdi. Aliàs, per ludum nocere est. Virgil.

*Illudere.*

*Neu variæ illudant pestes.*

*Nimis rigidi in nos iudices.*) Nimis asperè inhumanè nos nostraque iudicantes. Vnde rigiditas pro asperitate ac duritia. In hunc modum Clitipho ille Terentianus de patre

*Rigidi Iudices.*

*Rigiditas*

conqueritur: Quàm iniqui ſunt patres in nos adoleſcentes iudices, qui æquum eſſe cenſent, nos iam à pueris ilicò naſci ſenes: neque illarum affines eſſe rerum, quas fert adoleſcẽtia: in Heaut. Act.2. Sce.1.

*Cadere.*

*Sic imperium cadit.*) Ruit, labitur: Dum videlicet & illuduntur, & in nos nimis rigidi fiunt iudices. Nihil eſt enim quod æquè authoritatem diruat aut labefactet, atque poteſtatis contemptus: qui planè vel à ſæuitia nimia, vel à negligentia oriri ſolet. Metui à minoribus tyrannicum eſt: negligentiæ verò ſic agere vt ab eiſdem contemnaris aſcribitur. Immodica ſæueritas, parit terrorem: ſomnolentia, vinolentiáque & incogitantia aut ſimilia gignunt contemptum. Sic ergo temperandi mores veniunt, vt ab inferioribus ameris potiùs quàm timearis ab eiſdem non contẽnaris. Non enim conuenit patrem nimium diligentem filium, eius præterire peccata, ne illius cadat imperium. Contrà iuxta Demeæ illius Terentiani ſententiam facilitate nihil homini eſt meliùs, neque clemẽtia. Adel. Act.5. Sce.4.

*Aſſerere.* *Aſſertor.*

*Quod vi magis, quàm beneuolentia aſſerunt.*) Aſſerere hîc approbare, vendicare, ac defendere ſignificat. Hinc Aſſertor, defenſor dicitur, & qui in libertatem vendicat vel reſtituit. Vnde noſtri memoriam ab iniuria obliuionis aſſerere dicimur, quum aliquid relinquimus dum viuimus, quo nos vixiſſe teſtamur, quando vita functi ſumus.

*Beneuolentia.*

*Vi magis q̃ beneuolentia.*) Tyrannide potius, quàm clemẽtia & liberalitate. Eſt enim beneuolentia, inclinatio animi cum deſiderio benefaciendi.

*Vt ſim omnibus gratus pro frugi nomine.*) Locus eſt ab etymologia & finitionẽ nominis, ipſius cauſas denotante. *Vt ſim omnibus gratus.*) Vt omnibus placeam: vel, vt omnibus oſtendam me haud immemorẽ beneficij accepti: vel, vt omnibus inſeruiam, & obſequar. Id enim conſuetudinis habẽt huiuſmodi philauti, ſibíque plus æquo placentes, vt velint hac via aliorum inire gratiam. Sed plerunque tantum abeſt vt impetrent quod adfectant, vt beneuolentiæ loco, odium incurrant adſtantium. *Pro frugi nomine.*) Pro vtili & neceſſario, vt ſunt fruges. Vel pro modeſto, & temperato. Ex quo frugalitas pro temperantia.

*Omnibus gratus.* *Frugi nomen.*

*Indere.*

*Mihi quod pater inditum voluit.*) Id eſt imponere. Plinius: hoc ei ab adoleſcentia fuit nomen inditum. Aliâs indere,

immittere eſt.Plautus:Dem me & te infœlicem,ſi ego in os meum vini guttam indidi.

*Ex re.*

*Ex reo.*)Ex conditione,ex ſtatu,ex cauſſa,Vnde dicimus ea re,qua de re,quam ob rem,id eſt, ob eam cauſſam : & ab re,ſine cauſſa. *Ex re.*)Ex vtilitate,& vt nomini frugi quod prius dixit, reſpondeat per antiphraſin.

*Meus.*

*Meus Philautus.*)Meus per emphaſim,hoc eſt, qui multò pluribus nominibus patri anteponendus eſt & præferẽdus. Vel meus dixit, blandiendi cauſſa.

*Subdere. Subditus partus. Subditũ teſtamentũ.*

*Aliud ſubdidit concinnius.* ) Subiecit & appoſuit aptius. Vnde ſubditum partum dicimus ſuppoſitum, hoc eſt, ſublatum ab ea muliere quæ peperit,& alteri appoſitũ.Et apud iuriſconſultos ſubditum teſtamentum id dicitur,cum vero teſtamento occultato,aliud clanculum fuit appoſitum.

*Acolaſtus*

*Acolaſtus ſiquidẽ & eſſe,& dici gaudeo.*)Perelegans antonomaſia:Qui prius frugi,hoc eſt,temperatus dicebatur,nũc Acolaſtus,id eſt,decoctor,prodigus, bonorum cõſumptor, ac luxurioſus appellari geſtit. *Acolaſtus ſiquidem & eſſe, & dici gaudeo.*) Malum quod ſic numerari velit, peius offenſiuſque quod re eſſe deſideret.Infame nomen,ſed ſignificationem nominis executioni demandare turpius. Fit autem Acolaſtus ab ἀ priuatiua particula & verbo κολάζω, id eſt, punio , erudio , caſtigo , tempero: ſed quia tales non erant eius mores, ſed incompti inque flagitij genus omne prompti,à re ipſa ἀκόλαστος dicitur.

*Ceſſare.*

*Satis adhuc ceſſatum eſt.*) Ceſſare quis dicitur, cum tardat aliquid celeriter peragere.Ceſſat deſidioſus, requieſcit defeſſus.*Ceſſatũ eſt.*)Imperſonale verbũ præteriti circuitionẽ magna cũ venuſtate linguę Romanę mutuat à priore ſupino,& verbo eſt.Terent.in Adel.act.4.Sce.4. Ceſſatum vſque adhuc eſt,nunc iam porro expergiſcere Aeſchine.

*Adhuc.*

*Adhuc.*) Vſque ad hoc tempus , vſque ad hanc horam, hucuſque. Componitur enim ex particula ad , quæ vſque ſignificat , & huc particula , quaſi vſque modo. Veteres quoque ( vt author eſt Donatus ) eo vtebantur, quando incerti futurarum rerum , ex præſentibus firmè nunciabãt;quod eſt genus certiſsimæ promiſsionis,& cautæ,vt eſt illud in And Act.3.Sc.2.Adhuc Archillis quę adſolẽt quęq; oportet ſigna ad ſalutẽ eſſe,oĩa huic eſſe video.

*Adire.*

*Adire eum volo.*)Quod in præcedẽti ſcena aggrediar di-

xit, hîc pro eodem, adire eum volo, ait. Et bene adire quasi terribilem & pugnatorum verbis, iuxta quod prius intulit Philautus: Sed patris vim & facundiam vereor, vt fortiter feras. Et paulò infra: Tãtum caue ne te suis sæuis dictis protelet. *Adire eum volo.*) Aggredi, adoriri. Quæ tria verba de prælio sumpta sunt. Terent. in Phor. Act. 2: Sce. 1. Sed cessas hominem adire, & blandè in principio alloqui?

*Adsum.* *Adsum pater, vt quid vel tandem respondeas audiam* ) Hoc effert maxima cum arrogantia, & capitis subagitatione, quò patrem terreat, more rebellis, & in perniciem obdurati filij, in hoc vtique militem gloriosum æmulatus. *Vt quid vel tãdem respondeas audiam.*) Receperat enim se pater, super sua petitione aliquantò maturiùs deliberaturum, indéque illi breui responsurum.

*Conficere rationes.* *Itan' studiosè rationes conficis omnes.*) Conficis, expedis, perficis. Et propriè, nam de numeranda pecunia agitur, déque ipsius æqua substantiæ portione illi tradenda, cuius ratio nõ nisi studiosè & maximo cũ examine colligi poterat. Terentius, in Phor. Act. 1. Sce. 1. Erat ei de ratiuncula iampridẽ apud me reliquum pauxillulum numorum, id vt cõficerem, confeci adfero.

*Nempe.* *Nempe.* ) Hoc cum modestia & trepidatione. Est autem confirmantis aduerbium, idem valens ac nimirũ, sed nempe vsitatius est.

*Vt, pro quo modo.* *Vt.*) Qualitatis est pro quomodo. Virg.

*Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error.*

*Ariolari.* *Ariolus.* *Ariolare fili.*) Diuinas, auguraris, rerum coniecturas diligenter & acutè colligis. Hinc Ariolus, qui, vt ait Donatus, diuina mente vaticinatur. Dictus hariolus, quasi fariolus, a fatis, vel a fando, vel ab halando, quod halitu soleãt excludere velut mortalem animam vt diuinam recipiant. Vnde & vocem dabant huiusmodi, quæ est œ, quod œ sonus, exhalandi vim præstat. Hactenus ille. Ariolari tamen apud veteres prouerbio dicebatur (vt author est Erasmus) qui nihil adferret certi, nihílque præsentis emolumẽti: verũ in diem modò pollicitaretur. Ita Dorio leno in Phormione Terentiana, Act. 3. Sce. 2. Adulescenti Phædriæ pecuniam daturum se promittenti, dicentíque, Non mihi credis? respondit, Ariolare. Item Samnio in Adel. Act. 2. Sce. 1. Sed ego hæc ariolor. Sumptum à diuinis, qui prædicunt euen-

tura, quũ futurorũ nulla sit certa cognitio: sed & cæca prorsus est eorũ scientia, nimirũ quum mortalibus multa præter spem frequenter euenire conspiciamus.

*Amo te plurimum.*) Quia pater illi visus fuerat suam cõfirmasse petitionem, votóque suo adiuuisse, nunc blandicellis verbis conatur se amplius in eius gratiam insinuare, quò celerius peragat quod cæptũ est. Plurimũ amat, q; suæ portionis rationes conficiat: gratias agit, quòd studiosè & diligenter. Vel quia condictum non fefellerit. Et id quidẽ rectè. Nam hoc agit redditio vel condictæ rei, vel debiti, vt etiam gratias agamus. Et præsertim (inquit Dauus ille apud Terentium in Phorm. Act. 1. Scen. 2. Vt nunc sunt mores, adeò res redit, si quis quid reddit, magna habenda est gratia.

*Amare plurimum.*

*Et non neglexisse habeo imprimis gratiam.*) Negligimus alicuius gratiam, quum eam contemnimus ac paruifacimus. *Et non habeo neglexisse gratiam.*) Id est, non debeo negligere. Præteritum plúsquam perfectum est pro præsenti, quod Comicis peculiare est ac freguens. *Et non neglexisse habeo gratiam.*) Non est mihi negligenda gratia, hoc est, beneficium. Sic Terent. in Phor. Act. 1. Sce. 2. Amo te, & non neglexisse habeo gratiam.

*Negligere gratiam alicuius.*

*Gratia.*

*Quod ò cum salute tua fiat.*) Seruatur hîc & amor filij, & amoris effectus. Quod, id est, quòd rationes omnes conficio, vt portionem conscribam tibi. O, optandi particula pro vtinam. Qua locutione vsus est Terent. in Adel. Act. 4. Sce. 1. Vtinam quidem, quod cum salute eius fiat.

*O pro vtinam.*

*Fiet pater, ne quid time.*) Verbum est non magnopere suam salutem paternásque exhortationes curantis indicatiuũ. Fieri enim non potest, quin facillimè ad res iniustas impellatur, vt quisque est altissimo animo, & gloriæ pecuniarúmque cupido. Autor Marcus Tull. in .1. Offic.

*Adeon tibi in pecunia est animus?*) Animus esse dicitur in ea re, quam maximè adfectat ac concupiscit. Vnde inferius dicet Pantolabus: Iamdudum est in patinis meus animus.

*Animus in pecunia.*

*Nihil vt imperes isti tuæ libidini?*) Vt nullo pacto modum imponere valeas tuæ prauæ voluntati? vt cupiditatem hanc tuam mitiges? vt hunc immoderatum refrenes cohibeásque affectũ? Cupiditas, inquit Cic. in Vatinianũ,

*Imperare libidini.*

insatiabilis est, immēsa est, incredibilia potest. Ita enim hominum mētes obstrictas tenet, vt eas nullo tempore respirare permittat.

*Adeò.* *Edicere.* *Fili id adeò edico tibi.*] Adeò, certè. Edico, pronuntio. Alias iubere est ac decernere aliquid literis, & propriè magistratuum. Vnde prætoris edicta & interdicta, quibus vetatur aliquid, vel imperantur. Edicimus, quæ iubemus fieri: interdicimus, quæ vetamus. Edicimus quoque, autore Donato, vni generi hominum: Interdicimus diuersis. Terentius in Eunucho, Act. 4. Sce. 7. Miles nunc adeò edico tibi, ne vim facias vllam in illam.

*Quiescere.* *Nisi quieueris.*] Rectè. Nam quiescere ille dicitur, qui est insolens & inquietus.

*Reducere calculum.* *Reducam calculum.*] Calculum reducere, est interprete Erasmo mutare factum, cuius te pœniteat. Aut vertere consilium rei non satis commodè institutæ. Translatum dicit apparere aut à ratiocinantibus: aut, quod est vero propius, à ludo laterunculario. Quæcūque etiam à calculis finguntur metaphoræ, prouerbij speciem habent: vt, ad calculos vocare, pro eo quod est, rationem inire, & æstimare. Ad calculos reuerti, est redire ad rationem, ac respectū, consiliúmque. Mouere calculos, est proponere rationes. Et ponere in vtraque parte calculos, est vtrinque rationes expendere. Tū præterea dicitur, hic calculus accedat, pro eo quod est, hoc momenti adiungatur. Neque quicquam prohibet eadē ratione dici, decedere calculum, & detrahere calculum, aut (vt superius diximus) rationes concinnare ad calculos.

*Ad calculos vocare.* *Ad calculos reuerti.* *Mouere calculos.* *Ponere in vtraque parte calculos.*

*Eclipsis.* *Rectè pater.*] Eclipsis, deest enim loqueris. Hoc autem dixit, vel quòd patrem videret sua causa præpeditum in dinumeranda pecunia, rationibúsque suæ substantiæ conficiendis, ne obturbaretur. Vel quòd reformidaret, ne ille suis verbis pemortus, ex eadem substantia aliquid abraderet, quod & paulò pòst indicat cum ait: Nunc malè metuo, &c.

*Pergere.* *Obsecro perge.*] Perseuera, prosequere quod cæptum est. *Obsecro perge.* Blanditur, cum obsecrat: arrogantius imperat, dum festinare cogit patrem. Obsecrat vt humilis, imperat vt fastuosus & arrogans. Vel patrem vt iratum obsecrat. Obsecrare etenim, obtestari est, ac iratos rogare: rogare verò placatos petere. *Obsecro perge.*) Hoc vultu enū-

*Obsecrare.* *Rogare.*

ciādū eſt.Sic Terēt. in And.Act.2.Sce.2. Rectè dicis.perge, *Vt pergam?* Ob filij verba ſe fore commotum oſtendit. Quò fit vt cum ſtomacho, & infeſtis ardentibúſque oculis in filium, vt ſtudioſum patrem addecet, hoc ſit pronunciandum.

*Ne me obturbaris peſſime.*] Obturbaris per conciſionem pro obturbaueris, id eſt, ne me cōmoueas, perturbes, impedias. Obturbare ſiquidē, eſt propriè ab omni parte turbare. *Obturbare* *Concedere.*

*Concede iſthorſum aliquantiſp.r.*] Eum à ſe abigit, quò agat liberius quæ incœperat. *Concede.* abi, recede. Terentius in Phor. Act.5. Sce.1. Concede hinc à foribus paululum iſthorſum ſodes Sophrona. *Iſthorſum.*] verſus iſtam partē. Aduerbium locale, compoſitū ab iſtic & horſum, ideóque cum aſpiratione, teſte Linacro, ſcribi debet. *Aliquantiſper.* aliquantulum, vel aliquanto tempore. *Iſthorſum.* *Aliquātiſper.*

*Dum te vocem.*] Aliquantiſper & tantiſper, poſtulant particulam dum poſt ſe pro donec, ſiue quandiu. Terentius in heaut, Act.1.Sce.1. Ego te meum eſſe dici tantiſper volo, dū quod te dignum eſt facies. *Dum.*

*Hem, quid egi?*] Hic ſuam inciuilitatem, inuenuſtúmque ac ineptū animū increpat Acolaſt. quòd neſciat tātiſper cōmotum patrem tractare, dum quod poſtulat impetret. *Hem quid egi?*] Hem ſuſpirantis interiectio. *Quid egi?* More timidorum cōſternitur, ne ob ſuam imprudentiā nō aſſequatur, quod vehementer exoptat. Terentius in Eunucho, Act.2.Sce.3. Perij, quid ego egi miſer! *Hem.*

*Nunc malè metuo miſer.*] Malè pro valde, ídque ſemper in malam partem. Terentius in Heaut. Act.4.Sce.1. Quàm timui male, ne nūc animo ita eſſes duro, vt olim in tollenda Chreme. Et in Hecyra, Act.3.Sec.2. Malè metuo, ne Philumenæ magis morbus aggraueſcat. *Malè,*

*Ne nō æs omne reddat.*] Duas cauſſas adfert quare timeat nō dari ſibi à patre æquā, quæ eum contingebat, ſubſtantiæ portionem. Vna quòd auarus, altera quòd iratus. *Ne non.*] Ne pro vt. Cicero: Ne amicis nihil tribuamus, epulemur. id eſt, etiam vt aliquid amicis tribuamus, epulemur. *Ne, pro vt.* *Æs.*

*Omne æs reddat.*) Æs pro pecunia tū quod apud veteres æs eſſet magis in precio, aurúmque iaceret, vt ait Lucretius: tum quòd prima ex ære pecunia ſignata fuerit. Ouidius in Faſtis:

*AEra dabant olim, melius nunc omen in auro est,*
*Victáque concessit prisca moneta nouæ.*

Quidam æs deductum existimant, ab auri similitudine. Alij à Græco diriuāt αἶα, id est, terra. Varro verò, ab asse.

*Auidior ad rem.* *Vel quòd auidior est ad rem.*) Id est, Auarus. *Auidus.* Auidus nēpe is dicitur propriè, qui ob nimiam cupiditatem non videt quid agat. Quod malum, morbus senectutis dicitur à Demea illo Terentiano in Adel. Act. 5. Sce. 8. Vitium, inquit, commune omnium est nostrûm, quod nimium ad rem in senecta attenti sumus. Hanc maculam nos decet effugere. Quod & eius frater Mitio prius in hunc modum protulerat: Solum vnū hoc vitium affert senectus hominibus, Attentiores sumus ad rem omnes, quàm sat est.

*Cōmotus.* *Vel quòd est commotus.*) Ira percitus, perturbatus, conterritus, confusus. Terētius in Phor. Act. 1. Sce. 4. Quidnam ille commotus venit? Aliàs, celerem ac citum significat. Idem in Andria Act. 5. Scena 2. Ego iam te commotum reddam.

*O subintellectum.* *Ineptias hominis.*) Deest hîc exclamantis interiectio, vt sit, ô ineptias hominis. Intermittitur autem, autore Donato maioris stuporis meliorísque soni gratia. Terentius in Eunucho, Act. 3. Sce. 1. Hominem perditum, miserúmque, & illum sacrilegum. Rursus in Phor. Act. 1. Sce. 2. Iocularem audaciam. *Ineptias hominis.*) *Ineptiæ.* Pluraliter dicit ineptias, quasi qui tantis affluat, vt ei vnam dicere non sufficiat. Sic Dauus in And. Act. 3. Sce. 4. Hem astutias, dixit. Ineptiæ autem proprietatem præclarè exprimit Cicero libro 2. de Orat. cum ait. *Ineptus.* Ego me hercle Cæsar ex omnibus Latinis verbis, huius verbi vim vel maximam semper putaui. Quem enim nos Ineptum vocamus, is mihi videtur ab hoc nomen habere deductum, quòd non satis sit aptus: idque in sermonis nostri consuetudine planè patet. Nam qui aut tempus quid postulet non videt, aut plura loquitur, aut sese ostentat, aut eorum quibuscum est vel dignitatis vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere, aut incontinens, aut malus est, is ineptus dicitur.

*AEgrotus & æger.* *Nescis tractare ægrotum animum patris.*) AEgrotum pro ægro dixit. Nam animus æger, corpus verò ægrotum dicitur. Sed deduxit metaphoram ab ægritudine corporis,

quòd qui morbo correptus est, grauius agatur, id est, agitetur. Sic Terentius in And. Act.3. Sce.3. Priusquam harũ scelera,& lachrimæ confictæ dolis reducãt animam ægrotũ ad misericordiã, vxorem demus. Et in Heaut. Act.1.Sce.1. Cæpi non humanitus, neque vt decuit animũ ægrotum adolescẽtuli tractare. Eadem ratione ægritudo animi est, ægrotatio corporis. Cicero: Sed propriè vt ægrotatio in corpore, sic ægritudo in animo nominatur.

*Ægritudo & ægrotatio.*

*Quem debeas meminisse tam irritabilem*) Hoc dicit ad exerationem patris, quem irritari dicit vt canem. Nam irritari propriè canes dicuntur. A quo irritabilis qui facile excitatur in iram.

*Irritari. Irritabilis.*

*Ehodum ad me fili.*) Suarum facultatum ratione confecta pater ad se filium aduocat, duarum conditionũ illi proponens vel manendi vel recedendi delectum. *Ehodũ.*] vocantis particula, ac nutus quidam, intentionem animaduersionémque deposcens eius, cum quo vult loqui. Dum verò, parelcõ est, adiuuans quidẽ ex animo loquentem. Terentius in And. Act.1. Sce.2. S. Ehodum ad me. Quid hic volt? Et in Eunucho, Act. 2. Sce. 3. Ehodum, quid mihi, est ne vt fertur forma?

*Ehodum. Parelcon.*

*Nunc vtrum vis sub meo præsidio degere.*) Instar militum sub Imperatore.

*An peregrinari foris.*) Id est, per aliena loca peragrando proficisci.

*Peregrinari.*

*Fac cordatè respondeas.*) Cordatè, gnauiter, præstanti animo, non oscitanter, non fictè, non hæsitabundè, non tepidè.

*Cordatè.*

*Pater foras me animus vocat.*) Ecce peruicacia, nullo blãdimento flexibilis, nullâque ratione ab animi cõceptu reuocabilis. *Foras me animus vocat.*) Inuitat, inducit. Vnde Vocatores dicti, quibus inuitandi datum est negotium, siue qui per se vocant ad cœnas.

*Vicare. Vocatores.*

*Prauus sanè.*) Subaudiendum es, Sanè pro valde sumitur.

*Sanè.*

*Quid si sinas te exorari, vt maneas domi.*) Non orari dixit, sed exorari. Orat qui caussam agit, exorat, qui impetrat. Ergo exorari, id est, à te orando impetrari: vel, in tuum animum orando induci. Terentius in Phormione Act.3. Sce. 2. Nequeo te exorare, vt maneas triduum hoc?

*Orare & exorare.*

Et in Heaut.Act.5.Sce.5.Sine te exorem.

*Meis bonis fruiturus perpetuò?*] Frui,est fructum ac delectationem capere ex vsu nō proprietate potiri. Sumitur & pro vesci, à frumine(vt ait Donatus) quæ est summa pars gulę, vt superius diximus.

*Certè patrem foris tu nusquam inuenias gentium.*] Conatur filium à sententia abducere, cùm bonorum suorum illectamento, quibus fruendi pro voto liberam illi præbet facultatem, tum subsidij paterni alibi carentia. Est itaque argumentum à necessariò. *Nusquam gentium.*] Gentium in fine, vt inquit Donatus, superflua adiunctio est, sicut cætera loci aduerbia. Dat tamen quandam auxesin pronuntianti. Terentius in Adel.Act.4.Sce.2. Primum fratrem nusquàm inuenio gentium.

*Gentium.*

*Proficiscendum est.*] Cum fastu,quasi necessitate quadam coactus. Nam gerundia in dum exeuntia addito substantiuo verbo,necessitatem quandam & coactionem denotant.

*Proficiscendum est.*

*Decretum stat.*] Decernere propriè, vt author est Donatus, est de rebus magnis certam proferre sentētiam. Et ideo plus est decernere,quàm constituere. Cicero 1.Offic.Quare expectanda quidem magis est decernēdi ratio, quàm decertandi fortitudo.

*Decernere.*

*Decretum stat.*] Deliberatum constitutúmque est apud me ac definitum.

*Me feras.*] Me tolera, me patere. Vide adolescentis ineptiam. Petit à patre tolerari, cuius instituta ac monitiones prorsus contemnit.Petit quod ipse pro filij erga patrē obedientia atque moderatione animi,præstare deberet.

*Me feras.*

*Non possum tam blandè mi fili dicere,vt animū mutes?*) Specta è contrariò paternam clementiam, & quàm breuiter, quàm pudicè, quàm innocenter loquitur peruicaci filio. Exorat,cuius posset pro imperio lasciuiam retūdere. Blanditiis allicit, quem posset pro patris officio seuerissimè obiurgare. Sed verissima stat illa Ciceronis sententia. Nihil videlicet esse laudabilius,nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate,& clementia.Cui accinit & Demea ille Terentianus in Adelph.Act.5.Sce.4.cum ad hunc loquitur modum: Id re ipsa repperi, facilitate nihil huiusmodi esse melius,neque clementia.

*Blandè dicere.*

*Operam omnem ludis pater.*] Specta hìc rursus filij perditi

fastum & arrogantiam. Lusum appellat patris mansuetudinem, qua illum ab errore & contumacia in pristinam mentem reuocare adnititur. *Operam omnem ludis pater.*) Parœmia est, qua (interprete Erasmo) operam inanem significamus, atque illum frustra & inaniter laborare, qui hominem durum & nullis precibus mollescētem exorare, seu aliquid docere conatur. Plautus in Pseudulo: In pertusum ingerimus dicta dolium, operam ludimus. Rursus in Casina: Si me nunc suspendam, operam luserim, & præter operam restim sumpti fecerim. Terētius in Phorm. Act. 2. Sce. 2. In illis fructus est, in illis opera luditur. Affinia sunt hæc, Penelopes telam retexere, harenam metiri, vndas numerare, surdo oppedere, aranearum telas texere, laterem lauare, lapidem elixare, Æthiopem dealbare, arare littus, harenæ mandare semina, in aqua sementem facere, in saxis seminare, & id genus innumera, quorũ originem simul & interpretationem apud Erasmum legito.

*Operam ludere.*

*Potius tentabo quid possim vel legibus.*) Hîc minis, authoritate metúque legum, patrem terrere conatur, vtpotè quibus, vt ait Cicero. 2. de Orat. docemur non solum domitas habere libidines, coërcere omnes cupiditates, sed & nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere. *Potius tentabo.*) Nitar, experiar. Est enim propriè tentare, rem non intellectam atque incertam aggredi, hoc est, experiri, vel diligenter atque accuratè inquirere. Tractum (vt quidã existimant) à tendo: quòd qui tentat, quasi manum tendat, aut aliam corporis partẽ in id quod experiri vult & exquirere.

*Tentare.*

*Vt istuc cum tua pace dicam interim.*) Hæc per dialysin legi debēt: possunt enim abradi incolumi sensu. *Cum tua pace.*) Hic pax pro venia. Aliàs trãquillam libertatem significat. Terentius in Eunucho, Act. 3. Sce. 2. Quæso hercle, vt liceat (pace quod fiat tua) dare huic quæ volumus.

*Pax.*

*Si quod rogo non impetrem cum gratia.*) Impetrem, extorqueam, perficiam: dictum à patrando, quod verbum, authore Donato, ad ardua negotia, résque quæ plus iusto differuntur commodari solet. Terētius in And. Act. 2. Sce. 5. Facis vt te decet, quũ istuc quod postulo, impetro cum gratia.

*Impetrare.*

*Quando.*) Pro quoniam, vel pro postquam.

*Quando.*

*Obstinatè operam video te dare.*) Hîc pater filij peruicacia victus mauult iuxta Eubuli hortamentum nunc illius ani-

mo obſequi,quàm longiori concertatione, cum eo contendere, vtpotè qui perpenderet operam ſuam inaniter conſumere. *Obſtinatè operam video te dare.*)Dare operā,impendere operam,nauare operā alicui rei obſtinatè,eſt perſeueranter ac firmè in aliquam rem agēdam incumbere,& ſtudium laborémque obfirmato animo impendere. Terent.in And, Act.1, Sce,5. Itáne obſtinatè operam dat,vt me à Glycerio miſerū abſtrahat? vnde dedita opera dicimus de, induſtria, quaſi cura adhibita,& labore impenſo.

*Dare operam.*

*Dedita opera.*

*Excutere iugum patris.* *Meum vt tibi iugum excutias.*) Excutere iugum alicuius, eſt ab eius ditione & imperio reſilire, ducta locutione ab laſciuis & indomitis bubus agricolis,quū laſciuientes paulò aſperiùs cuſpidibus puncti, inſtrumento illo ruſtico quo iuncti ſunt,ſeſe eximunt. Iugum verò ea ratione pro poteſtate & imperio ſumitur, quòd id eſſet antiquitus ſub quo ignominiæ gratia victi hoſtes mitti. ſolerent. Vnde ſubiugare,pro debellare atque imperio ſuo ſubiicere vſurparunt Romani.

*Iugum pro poteſtate.*

*Subiugare*

*Alioqui.* *Alioqui amabile.*) Emphaſis eſt ampliſsima. Nam alioqui,præter hoc,vel etiam ſignificat. Quod perinde eſt ac ſi diceret:Præter hoc quod meum iugum haud ægrè ferre deberes, hoc eſt,tu filius mihi patri per omnia etiam dura imperāti morem gerere:at nunc multò alacrius amabiliúſque id facere debes, quum ſanè quæ impero leuia ſint ſimul & lenia,ob ídque toleratu facillima.

*Age.* *Age.*)Hortantis aduerbiū,ferè ſemper numero gaudens ſingulari, aliquando tamen & plurali,vt: vos age,funereas ad littora voluite ſyluas. Agite plurali, agedum vtroque.

*Non libet tecum pugnare.*) Nempe quòd fruſtra ſit tempus conterere,obſtinatum admonere. *Non libet.*)Non placet. A labendo,authore Varrone,deductum,quod quæ placent,in mentem prolabantur,ac defluant.

*Libet.*

*Zonam habere.* *Sed tu habe hanc zonam tibi.*) Zona propriè,eſt cingulum quo cingimur. Sed hic Gnapheus Caſtrenſi vocabulo vſus eſt per Synecdochen,alludens quidem ad militum conſuetudinem,qui quicquid habent,in zona ſecum portare aſſolent. Vnde eſt apud Lampridium in Alexandro: Miles non timet, niſi veſtitus, calceatus,armatus, & habens aliquid in zona. Itaque hîc zona pro crumena & marſupio ſumitur. Quo cōtrà dicitur zonam perdidiſſe,qui nihil habet num-

*Zonam perdidiſſe.*

morum. Horat. *Ibit eò quò vis, qui zonam perdidit*, inquit. Item Gracchus apud Gelliũ: Cum Romam profectus ſum, inquit, zonas quas plenas argenti extulit, eas ex prouincia inanes retulit. Plautus in Pænulo: Tu qui zonam non habes, quî in hanc veniſti vrbem? aut quid quæritis?

*Decem talentûm rem tenet.*) Id eſt, ſex milia aureorum. Talentum per concìſionem pro talentorum. Sic Terentius in Phor. Act.2.Sce.3. At ſi talentûm rem reliquiſſet decem, primus eſſes memoriter progeniem veſtrã vſque ab auo, atque atauo proferens. *Decem talentûm rem tenet.*) Res, inquit Donatus, tria notat, imperium ſiue diuitias, litem, & venerem. Hic pro facultatibus & patrimonio. Talenta verò apud veteres ad numũ collata diuerſi ponderis fuerunt, ſicut & variam ſortita ſunt appellationem, ob hoc ſanè quòd pondo apud alios maius, apud alios minus extitit. Minimum libris quinquaginta, maius ſeptuaginta duabus, maximũ ducentis & viginti velint. De quo plura apud Budæũ, libro quem de Aſſe ſcripſit.

*Syncope.* *Res.* *Talẽtum.*

*Quid geſtis gnate mi?*) Geſtire propriè eſt finitore Donato, motu corporis monſtrare quid ſentias, quod fit lætitiæ, ſeu voluptatis nimiæ cauſſa. Conſtat autem à pecudibus ad homines eſſe tranſlatum. Cicero 1.Offic. Aut voluptate nimia geſtiunt, quorum omnium vultus, voces, motus, ſtatúſque mutantur. Hic ergo ſignificatur filium præ votorũ con ſecutione geſticulationẽ quandam oſtendiſſe, & aliquantò indecentius præ ſe tuliſſe, quod & ſubnotat pater, & inde illum obiurgat.

*Geſtire.*

*Ah.*) Lugentis interiectio. *Ah.*

*Neſcis quid gaudeas.*) Deeſt propter, vt ſit, neſcis propter quid gaudeas.

*Crede hoc mihi.*) Deeſt quoque hic particula in, vt ſit crede in hoc mihi. vbi quidẽ & authoritas dicentis, & contemptus oſtenditur audientis. Sic Cicero Cæliũ Exagitans: Magna ſunt mihi crede, noli hæc contemnere.

*Acerbiùs flebis, quod temerè niteris.*) Id eſt, aſperiùs, infeſtiúſque dolebis aliquãdo, quàm nunc gaudeas quòd in futurum non prouides, ſed adeò ſtultè inconſultéq; agas. Alludit autem ad illud euangelicum: Vę vobis qui nunc ridetis, quia plorabitis. Momentaria nanque fluxáq; gaudij voluptas: perpetuus verò ex voluptate dolor. Cuius rei nobis

*Acerbius fletur, quod temerè incipitur.*

*Pirausta.* ob oculos ponit exẽplum Pirausta, quæ lucernis aduolans, quandiu est in igne viuit: quum euasit longiore paulò volatu, exustis alis, concidit, & moritur. Hinc Demea ille Terentianus de filio suo cum fratre Mitione quẽ illi adoptandum dederat expostulat, quòd futura minus prouideret, præsentibus interim affatim indulgẽs: Iste tuus, inquit, ipse sentiet posterius, nolo in illum grauius dicere. In Adel. Act. 1. Sce. 2.

*Ego sæculum hoc noui quibus sit moribus.*) Duabus inductionibus filium à stultitia nititur auocare, primum peruersi sæculi exemplo, à quo summopere cauendum dicit: deinde à filij natura, quam ad quoduis malum propensissimã ac maximè flexibilem nouerat. *Ego sæculum hoc noui.*) Id est, huius ætatis homines. Hoc enim modo sæculum aliquãdo accipi solet. Sic Plautus in Trinum. Noui ego hoc sæculum

*Sæculum.* moribus quibus sit, malus bonum malum esse vult, vt sit sui similis: turbant, miscent mores mali, rapax, auarus, inuidus, sacrum prophanum, publicum priuatum habent.

*Pernoscere.* *Tum te pernoui.*) Hoc est, intus & in cute, ex assiduo videlicet & commercio & conuictu. Quò contrà dicitur Menedemo à Chremete illo Terentiano in Heaut. Act. 1. Sce. 1. Verum neque tu illum satis noueras, nec te ille. Hoc ibi fit, vbi non rectè viuitur.

*Vincere animum.* *Tuum si animum vicisti, potius quàm animus te.*) Vincit animum suũ, inquit Erasmus, qui proficit in melius: at suo animo inferiorem euadere, est deteriorem reddi. Hinc Plato de legibus. 1. Si quis ipse seipsum vincit, omnium victoriarum tum prima, tum optima est. Rursum ipsum seipso inferiorem esse, omniũ & turpissimum est, & grauissimũ. Plautus in Trinum. Act. 2. Si animus hominem perpulit, actum est, animo seruiuit, non sibi. Si ipse animum perpulit, dum viuit, victor victorẽ cluet Tu si animũ vicisti potius quàm anim⁹ te, est quod gaudeas. Nimio satius tui opus est, te ita esse, quàm vt animo lubet. Qui animum vincũt, quàm quos animus, semper probiores cluent.

*Qualis ludus & voluptas permitti debet iuuentuti.* *Sino vt gaudeas.*) Concedo vt eundem animum expleas, ea nimirum lege, quam in Officiis præscribit Cicero: nempe vt ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate, in aliquam turpitudinẽ delabamur. Detur (inquit ille in oratione pro M. Cælio) aliquid ætati, sit adolescentia liberior, non omnia voluptatibus denegentur, non semper superet

vera

vera illa & directa ratio, vincat aliquando cupiditas voluptásq; rationem: dum modo illa in hoc genere præscriptio moderatióque teneatur: parcat iuuentus pudicitiæ suæ, ne spoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne fœnore trucidetur, ne incurrat in alterius dānum atque famam: ne probrum castis, labem integris, infamiā bonis inferat: ne quem interimat, ne intersit insidiis, scelere careat: postremò cum paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum ætatis, atque ad inanes hasce adolescentiæ cupiditates, reuocet se aliquādo ad curam rei domesticæ, rei forensis, reipublicæ: vt ea quæ ratione antea non prospexerat, satietate abiecisse, experiendo contempsisse videatur. Hactenus ille.

*Verum quoniam video secus te esse habitum.*) Aliter affectū, dispositum, hoc est, te tuas sequi concupiscentias, quum te sequi deberent. Sic Terentius in Heaut. Act. 2. Sce. 4. Imò vt patrem tuum vidi esse habitum, diu etiam duras dabit. *Habitus.*

*Non possum quin deplorem tuam stultitiam.*) Deplorare hîc, plorando lamentari significat. Aliàs est plorandi finem facere. Vnde deplorata cadauera dicebantur, quibus vltimus luctus persolutus esset. Et rempublicam deploratam dicimus iam euersam, atque conuulsam. *Deplorare.*

*Ne te excrucaris mea caussa.*) Meo nomine tete affligas, torqueásve. *Mea caussa.*

*Nullam pepero tibi ægritudinem.*) Aegritudinē, pro animi molestia accipit. Parere autem quanuis sit propriè fœtum emittere (quod & peculiariter fœminarum est) hîc tamen per translationem, adquirere seu comparare significat. Sic Plautus in Trinum. Neu tibi ægritudinem pater parerem, parsi sedulò. *Aegritudo.* *Parere.*

*Nunquid me vis?*) Sermonis breuitas & præcipitantia, satis arguunt, quàm nihili paterna instituta monitionésque penderet. *Nunquid me vis?*) Discedentis verbum, & eclypsis, deest enim aliud facere, aliud in mandatis dare. Estq; hic apud veteres loquendi modus quàm elegantissimus. Plautus in Aulul. Ibo igitur, parabo, nunquid me vis? Item in Trinummo: Nunquid vis? Respondetur: Cures tuam fidem. Terentius in Eunuc. Act. 2. Sce. 3. Rogo nunquid velit. Rectè inquit. Et paulò infrà. Nunquid me aliud vis? Rursus in Phor. Act. 2. Sce. 4. Nunquid nos vis? Respondetur: Fecistis probè, incertior sum multò quàm dudum. *Nunquid me vis.*

*Hem.* *Hem.*) Suspirantis interiectio, vel reuocantis, quum discedentis verbo vsus esset prius.

*Aegrè cō sistere.* *Aegrè propter me consistis video.*) Molestè stas, & moraris hic diutius.

*Pruriunt pedes.* *Pedes tibi pruriunt.*) Peturūtur libidine discedendi. Plautus in Amphit. Dentes pruriunt. Est tamen propriè prurire, vri scalpendi ardore.

*Ardere fugam.* *Ardéntque fugam.*) Optant fugere, quòd quæ ardēt caleant, & in proxima quęque ferantur. Virgilius:

*-Patriaq; mori pro mœnibus ardent.*

Sumitur & pro festinare, quòd quæ ardent celeriter absumantur. Idem. *Instant ardentes Tyrij.*

Interdum pro patienter amare. Idem.

*Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.*

*Sed hæc prius à me si imperia capesses.*) Capies. Virgilius:

*Capessere.* *- Mihi iussa capessere fas est.*

Aliâs recipere se, significat. Plautus in Amphit. Nūc pergam heræ imperium exequi, & me domum capessam.

*Multa in pectore tuo bona considebunt.*) Simul sedebūt, con*Considere.* sistent, requiescent, locum habebunt. Hinc consessus, quod *Consessus.* non confessionem, sed homines simul sedentes in vno loco significat: quemadmodū conuentus non conuentionem *Conuētus.* denotat, sed homines, qui in vno loco cōuenerūt. Sic Plautus in Trinum. Act. 2. Hisce ego te artibus gratiā facio, neu colas neu imbuas ingenium, meo modo & moribus viuito antiquis, quæ tibi pręcipio, hęc facito. Hęc tibi si mea imperia capesses, multa bona in pectore consident.

*Principio tuam mentem fac nullis artibus imbuas.*) Non satis suo muneri respondisset pater, nec sui Eubuli cōsilio dignè satisfecisset, ni filio æqua substantiæ, quę illum contingere poterat, portione tradita, ei pariter ostēdisset non tanti fluxa hæc fortunæ bona, quanti interna illa animi ducen*Fac.* dā esse. *Fac.*) Da operam, nitere, conare. *Tuam mentē nul-* *Imbuere.* *lis artibus imbuas.*) Cū imbuere, sit propriè inficere seu immergere, per translationem nihilominus pro instituere, vel erudire sumitur, ídque cùm in bonam, tum in malam partē: hinc imbutum literis, imbutum bonis moribus, id est, præditum & ornatum dicimus. Imbutum vitiis, imbutū scelere, hoc est, inquinatum. Cicero: Plerūque autem parentū præceptis imbuti filij, ad eorum consuetudinem moréſque do-

dúcuntur. Sallust. Auaritia pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupiuit, ea quasi malis venenis imbuta, corpus animúmque virilem effœminat.

*Nullis artibus imbuas.*) Est ars quæ in speculatione tantũ, alia quæ in actu, alia quæ in affectu consistit. Postremæ hîc meminit, nempe quę operis quod oculis subiicitur consummationem non finem accipit, & sic definitur recta ratio rerum faciendarum. *Ars.*

*Nisi quarum exẽplar in me aduertis.*) Nullum, inquit Cic. Philipp. 9. monimẽtũ pater clarius relinquere potest, quàm effigiem morum suorum, virtutis, constantiæ, pietatis, ingeniíque filium. Licet itaque (vt rursus 1. Offic. ait) patri apud filium gloriari, ad quẽ hæreditas suæ huius gloriæ & factorum imitatio pertinet. Contrà destomachari in filiũ, qui ab iis degenerat. *Nisi quarum exemplar.*) Specimen, argumentum, probatiohẽ. *Aduertis.*) Cõsideras, perpẽdis, perspicis. *Exemplar.*

*Meis item fac viuas moribus.*) Mira est elegantia, pœnitiórq; sensus in hoc aduerbio item, quàm nostrę ætatis scriptores animaduerterint, quod aliquãdo significat idẽ quod ita, quandóque quod autem, quandóque quod similiter. Plaut. in Aulul. Venit hoc mihi in mẽtem Megadore, te esse hominem diuitem, factiosum, me item esse hominẽ pauperum pauperrimũ. Terent. in And. Act. 1. Sce. 1. Sed postquam amans accessit ad eam, precium pollicens, vnus & item alter. Cicero: In libra seruauit, in libro non item. *Item.*

*Vt qui pœnitendum habent nihil.*) Nihil habent vnde meritò pœnitẽtia duci possit, quum eos expresseris. Quemadmodum autem pœnitet me dicimus, id est, pœna tenet: Ita pœniteor passiue, hoc est, pœna teneor, vt illic nominatiui, hîc ablatiui sit casus. A quo fiunt participia pœnitens, pœniturus, & pœnitendus. Actius: Neque te, neque quenquam arbitror pœniturũ tuæ laudis. Collumel. lib. 2. Itaque hic ager siue exercetur, siue cessat, colono est pœnitendus, ac tanquam pestilens fugiendus. *Nihil habere pœnitendum.* *Pœniturus* *Pœnitẽdus*

*Volo tuo animo haudquaquã seruias.*) Seruit suo animo, qui suæ prauæ voluntati obsequitur: qui suam concupiscentiam sequitur, quoquo trahat gẽtium: qui denique suis affectibus se submittit, quos nihilominus pro conditione decet esse famulos. Vnde diuus Paulus Romanis in hæc verba scribit: Non regnet peccatũ in vestro mortali corpore, vt obedia- *Seruire suo animo.*

tis concupiſcentiis eius. Rom.6. Et Marcus Tullius 1. Offic. Appetitus, ait, omnes contrahendi, ſedendíque ſunt: excitanda quoque eſt animaduerſio & diligentia, vt ne quid temerè ac fortuito, inconſideratè, negligentérque agamus. Et item permulta in hanc ſententiam, cap. Duplex eſt enim.

*Decet ſemper animũ habere ſuſpectum.* *Quem præſtat ſemper habere ſuſpectum* ) In quem tantò vtilius eſt prudenter & circunſpectè intendere, quàm in corpus, quanto animus corpore excellentior eſt & nobilior, atque grauius ægrotat. Errat, inquit Cicero, qui vllum aut corporis aut fortunæ vitium, animi vitiis grauius exiſtimat. Morbi enim pernicioſiores, pluréſq; ſunt animi, quàm corporis. Corpora curari poſſunt, animorũ nulla medicina eſt. Hæc ille.3. Tuſcul. Rurſus.2. de Legibus: Cum multùm animus corpori præſtet, obſeruetúrque vt caſta corpora adhibeantur, multò eſt in animis id obſeruandum magis: Nam incœſtum vel aſperſione aquæ, vel dierũ numero tollitur: animi labes nec diuturnitate euaneſcit, nec manibus vllis elui poteſt. *Quem præſtat ſemper habere ſuſpectum.* )Erat quoque in ea ſententia Panætius, qui dicebat vitam hominum ex improuiſo aſsidua & prope quotidiana pericula ferre, ad quæ cauenda oportere animo ſemper eſſe intẽto, vt ſunt Athletæ. Sicut enim illi in certamine Athletico, caput manibus oppoſitis, quaſi vallo præmuniũt. Ita animus ſapientis aduerſus petulantias iniuriarum ictúſque fortunæ debet eſſe erectus, arduus, ſeptus, ne qua in re repentina incurſio, imparatis improtectíſque nobis oboriatur.

*Diuertere.* *Caue diuertas ad nequitiam à præceptis meis.* ) Diuertas, deflectas, exorbites, oberres, deuies. Ducta tralatione à viatoribus, à recto itinere in deuium ſiniſtrúmque incõſultò deflectentibus. A quo diuerſio, & diuerticulum, de quibus dicetur inferius.

*Poſtremò habe tibi hoc monimentum.* ) Quia memoriam filij nouerat labilem, ob hoc vel maximè quòd libidini prauæ intenta potius eſſet, quàm inſtitutis quæ illi ſuggerebat, ei Bibliorum codicẽ tradit: quò ſi vel tandem paterna præcepta memoria exciderent, eius lectione fulciretur.

*Monimentum.* *Poſtremò habe tibi hoc monimentum.* ) Monimentum, authore Varrone, à monendo deducitur, ſignificátque quicquid nos monet ſiue monere poteſt quid ſit illud in quod intenditur, vt tituli, ſepulchra, ſtatuæ, templa, porticus, car-

mina, historiæ, documenta, doctrina, libri, cæteráque quæ nos alicuius rei præteritæ moneant. Virgilius:

*- Veterum monimenta virorum.* Idem:

*Nostri monumentum & pignus amoris.*

*Vt regulam.*] Hîc regula, iuxta iurisconsultorum finitionem, significat breuem rerũ præceptionem. Est tamen propriè norma, qua lineæ diriguntur. *Regula.*

*Ad quã instituas.*] Excolas, instruas, doceas. Seneca: Sunt non modo literis, sed etiam bonis moribus instituẽdi adolescentes. *Instituere.*

*Mores.*] Viuendi rationem, institutúmque animi, quod sequi debeas pro consuetudine. *Mores.*

*Vitam.*] Vita, inquit Donatus, significat mores, animam, alimentũ, spatiũ viuẽdi, & fortunã, quæ viuentibus accidit. *Vita.*

*Mentem.*] Dispositionem & consilium. Est tamen propriè mens, altior animi pars, qua etiam diuina percipimus. Ouidius de Pythagora: *Mens.*

*Mente deos adiit, & quod natura negabat,*
*Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.*

*Hæc sedulò verses.*] In his assiduus esto. Horatius:

*Vos exemplaria Græca* *Versare.*
*Nocturna versate manu, versate diurna.*

*Hæc mente tractites.*] Frequẽtius mediteris, euoluas, quòd quæ mente sæpius recolimus, frequẽter tangere videamur. *Tractitare.*

*Hæc limet oculus.*] Id est, in ea penitus oculum defige. Metaphora est à nautis, qui cynosuram limare dicuntur, quum eam obliquis velut in angulum retorquentibus denotant oculis. Vnde & qui obtortè ac transuersè aspiciunt, limis oculis aspectare dicuntur. Et quum dissimulant homines se videre quod vident, & non recta facie, sed trãsuersa intuẽtur, limes dicuntur aspicere. Vnde & limen dicitur, quod egrediẽtibus exeuntibúsque trãsuersum sit. Aliàs limare, polire est, ac superflua detrahere. Significat & eradere seu auferre, à quo limaces dicũtur, qui exquirũt vt aliquid auferãt. *Limare.* *Limes aspicere.* *Limen.* *Limaces.*

*Pro cynosura quapiam.*] Cynosura, canis vra, hoc est, cauda, & maior vrsa dicitur. Sunt nempe duæ stellæ, quæ Septentrionali Polo nixę vehuntur, Arctico circulo clausę, & ita collocatæ, vt vtraque resupinata, alterius cõtegat caput: sed caput eius quæ superior est ad caudam inferioris cõtendat. Alteram maiorem vrsam, siue Elicen: alteram minorem *Cynosura.*

vrsam, siue Græcorũ lingua Cynosuram, hoc est canis caudam nominant. Illam populi Græciæ notare soliti: Hanc Sydonij aspicientes continuè nauigant. Ouidius:

*Esse duas arctos, quarum cynosura vocatur:*

*Sydonius Elicen Graia carina notat.*

*Lydius lapis.* *Hac sint tibi ceu lapis Lydius.* ] Lydius lapis dicitur (authore Theophrasto, lib. de natura lapidũ) cuius attritu, auri atque argenti experimentum fit. In eo quippe ductũ ac perfricatum aurum signum facit, per quod statim quantũ in eo sit argenti vel æris scrupulari differentia, atque mirabili ratione non fallente comprehẽditur. Quidam hunc lapidem *Coticula. Index. Heraclius lapis.* Coticulam vocant, quidam indicé, quidam verò heraclium ab heraclea Lydiæ ciuitate. Hic lapis quõdam, vt meminit Plin. lib. 33. cap. 8. nõ nisi in flumine Tmolo (ab aliis Ocho scribitur) quod in Indiæ montibus ortum Archaniam perfluit, reperiri solebat. Nunc verò passim reperitur, modicus quidem, & raro quaternas vncias longitudinis, binásque latitudinis excedens. Pars verò quæ cælum spectat melior est, quàm quæ terram. Ex hoc autem lapide ortam parœmiam recenset Erasmus, dictúmque putat in eos qui vehementer acri exactóque sunt iudicio, queádmodum si quis alicui diceret; In pensitandis æstimandísque ingeniis, emũctissimæ naris es, ac prorsum lydius, vt aiunt, lapis. Vel sic ad ré trãsferendo: adolescentium ingenia libertas aperit, viris commissum imperium, lydius, quod aiunt, lapis est.

*Explorare se.* *Ad quem probè tete explores.* ] Probes, examines, metiaris. Cicero in Catone: Quis est tam stultus, quanuis adolescés, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum?

*Vt qui sis noscas intimè.* ] Alludit ad Delphicũ oraculum, quod cuidam consulenti, quonam itinere posset ad fœlicitatem *Seipsum nosse.* peruenire, responsum est ad hunc modum. Si teipsum cognoueris. In quo profectò (vt author est Erasmus) modestiæ mediocritatísque cõmendatio est, ne nobis vel maiora, vel etiam indigna sequamur. Nam hinc omnis vitæ pestis oritur, quod sibi quisq; blãditur, & quãtũ aliis præter æquũ detrahit, tantum sibi Philautiæ vitio præter meritũ tribuit.

*Delirare.* *Deliret.* ] Deflectat, exorbitet. Translatio est ab agricolis, qui à liræ signi celestis similitudine lirare dicuntur, quum crate dẽtata, vel tabula aratro adnexa, quasi lyræ testudine operiunt semina. Delirare verò, quũ non recto sulco tegẽdo

ſemen incedunt. Deinde per metaphoram ad inſaniam hoc vocabulum tranſlatũ eſt. Vnde & deliri inſani appellãtur, delirare inſanire,& delirè inſanè,& deliramentũ, ipſa deliratio. Terent.in Phorm.Act.5.Sce.9.Delirat miſer timore *Deliri.*

*Aeternùm vale.*) Verbum ter repetitum maximam patris mœſtitiam denotat ex filij diſceſſu.

*Aeternùm vale.*) AEternũ pro eternè poſint,ſicut ſempiternè pro in perpetuum dicimus *Aeternũ vale.*

*Quæ hæc eſt miſeria?*) Deeſt quã patior & quaſi comploratio quædam eſt flebilis, poſt filij diſceſſum. Sic Syrus ſeruus apud Terentiũ in Adel.Act.4.Sce.2.Quæ hæc eſt miſeria?

*Proh deûm atque hominum fidem.*) Proh aduerbium admirantis, connexum accuſatiuo, ſignificat implorationem vt hoc in loco: vbi quidem vim magnam doloris oſtendit cum deorũ implorat fidẽ,quaſi in hoc negotio nihil poſſit humanũ conſilium.Teren.in And.Act.1.Sce.5. Proh deûm atque hominũ fidem,quid id eſt, ſi non hæc contumelia eſt. *Proh.*

*Itan' diuelli à me quod erat chariſsimum?*) Eclipſis valde dolentibus accommoda in qua ſupprimitur verbum oportuit. *Itan'.*) Ita ne. *Diuelli.*) Proprio vſus eſt verbo,tanquã à pertinaciter retinente. Hinc illud quod ſupra intulit Eubulus conſultor: inuitum ſi retineas, exire incitas. Hîc quoque annotandum verbum actiuum diuello, in præterito apud bonos authores diuelli, non diuulſi habere, vt quidam recentiores voluerunt. Cicero in Verrem: Gorgonis os pulcherrimum centum anguibus reuellit atque abſtulit. *Eclipſis.* *Diuelli.*

*Oh.*) Lugẽtis interiectio. Aliàs ea vtimur, vbi ex interuallo notos videm⁹, vt apud Ter.in Ad.A.5.Sc.6.Oh, quî vocare? *Oh.*

*Quem luctum paras.*) Paras, preparas, exuſcitas, inuehis. Terent.in Hecyra.Act.2. Sce.1. Filio luctum paras. Fit autem paro a pario, quòd quæ paramus, quodammodo parere & proferre videamur. *Parare luctum.*

*Quas curas inicis patri.*) Immittis. Plautus: Iam pol huic aliquem in pectus iniiciam metum. Sic Terentius, Iniicere ſcrupulum dicit in Adel.Act.2.Sce.2 *Iniicere curas.*

*Ipſe ſecurus nimis.*) Nihil formidans. Securus nãque, quaſi ſine cura, vel ſeorſum à cura dicitur. Vnde ſecuri dicuntur, qui periculum non timent, etiam ſi periculo obnoxij ſunt. Tuti è contrario, qui periculo obnoxij non ſunt, etiam ſi ſecuri non ſunt, ſed periculum timent. *Securus.* *Tuti.*

*Pulchrè quidem tuam rem abiens stabilisti.*) Ad hoc pertinet quod prius dicebat Acolastus: Omnia mihi meditata sunt, nihil formidem congredi vel cum tribus Oratoribus.

*Stabilire rē suam.* *Rem tuam abiens stabilisti.*) Stabilem fecisti, firmasti, disposuisti. Plautus in Capt. Ego rem meam constabiliui, quum illum emi de præda ab quæstoribus. Terētius in Adel. Act. 5. Sce. 1. Dis quidē esses Demea, ac tuam rem constabilisses.

*Sed nescis, ah nescis.*) Dolenter hoc, & comminabundè. Vtimur autem hac voce, quū ob insolentiam alicuius & arrogantiam, illi fortunæ commutationem minamur. *Sed nescis, ah nescis.*) Verbi repetitio, vehementem patris dolorem, quē tum ob filij discessum, tum ob ipsius inscitiā, indéque adeo perditionem capiebat, plus satis arguit.

*Nescis quos exitus vesper vehat.* *Serus quos exitus vesper vehat.*) Prouerbium est, quo interprete Erasmo, admonemur, ne præsentium successuum prosperitate sublati, futuri curam abiiciamus. Neque vlla de re securi simus, prius quàm exitum viderimus. Idem hodie quoque vulgò dicunt, diem nondum ad vesperam decurrisse, cum significant diuersum exitū posse accidere. A Varrone, A. Gellio, Macrobio, atque Marone citatur. A Marone quidem in Georg. in hunc modum:

*-Denique quid serus vespervehat.*

Eadē fere vsus est sententia. Salomon in lib. Prouerbiorū: Nescis quid superuentura pariat dies. T. Liuius: In secundis rebus inquit nihil in quemquam superbè ac violenter consulere decet, nec præsenti cedere fortunæ, quum quid vesper ferat incertum sit. Marcus quoque Tullius. 2. de Finibus: Nemini, inquit, exploratum potest esse, quomodo sese habiturum sit corpus non dico ad annum, sed ad vesperum.

*Demirari.* *Sanè illud demiror.*) Demiror pro nescio posuit, quòd authore Donato, admirationem ignorantia faciat.

*Quî.* *Quî fiat*) Quî pro quomodo, vel vnde.

*Acerbior.* *Acerbum* *Nequeam tamen acerbiore in eum esse animo.*) Specta hîc cōmendabilem pietatem patris, in peruicacem filium. *Acerbiore.*) Asperiore, infestiore. Est tamen propriè acerbū quod coctum non est, sed immaturum. Hinc acerbum vulnus, & acerbam mortem robustorum iuuenum dicimus, eo quod magna cum difficultate moriantur. Tractum a pomis, quæ immatura, non nisi difficulter ab arboribus diuelluntur.

*Vt, pro secundū quod* *Vt nunc res ferunt.*) Vt, id est, secundum quod. Quinti-

lianus: At vero orator vt est semper ad docendum paratus, id est, secundum quod est ad docendum paratus. *Vt nunc res ferunt.*) Res ferebant vt non minorem ille filij obliuionem caperet, quàm filius patris: sed tantus inerat amor patris in filium, vt eius obliuisci neutiquam pateretur.

*O Dementiam.*) Grauis exclamatio est, & cum indignatione & acrimonia, quæ fit plerunque cum maximum animi angorem ob emergentia incommoda sentimus. Vel, cũ impotenter commoti, non habemus animum in nostra potestate, sed ferimur affectuum arbitrio. Sic Cicero: O variam, volucrémque fortunam. O insignem impudentiam. O me miserum, ô infœlicem. O tempora, ô mores, ô patrui generis oblite, materni vix memor.

*O demẽtiã.*

*Me auersatur libens.*) Incertũ si hoc ad dementiam, vel ad filium sit referendum. Auersari autem detestari est & abominari, iungitúrque accusatiuo, quod fit quoties ab aliqua re, quam odio prosequimur, vultum auertimus, vt illã repellere videamur. Vnde auersus pro irato. Virg.

*Auersari.*

*-Iamdudum auersa tuetur.*

Nam si intuetur, quomodo auersa? nisi iratam intelligas.

*Auersus.*

*Me auersatur libens.*) Libens pro libenter, id est, volens, pro libidine pro voto, pro arbitrio, cùm nihil sim commeritus, hoc est, nihil offenderim.

*Libens.*

*Huc huc calamitatis ego scilicet tuo philaute consilio inferor.*) Philauto ascribit quicquid suffert mœstitiæ & doloris. Nec id quidem immeritò, nempe quod àuthor esset & velut stipulus omnis proteruiæ, in quam prolapsus erat filius. Tam est enim in vitio qui ad malum propellit & instigat alium, quàm qui malum ipsum perpetrat. Hic extruit, ille suppeditat materiam. Hic fundamenta iacit, ille addit operi coronidem. Hic parit oua, ille excludit pullos. *Huc huc calamitatis inferor.*) Ad hanc calamitatem deportor, vel in hac calamitate concludor. Propriè autẽ calamitatem rustici grãdinem appellant, quòd comminuat conterátque calamum, hoc est, culmum ac segetem. Hìc pro miseria sumitur.

*Huc calamitatis.*

*Calamitas.*

*O dolor grauis.*) Pulchrè dolor, quia ex miseria descendit: iracundia vero, ex iniuria.

*Dolor.*

## ACTVS PRIMI
## Scena Quarta.

ACOLASTVS, PHILAVTVS.

Scazontes.

NVM *quis me viuit fortunatior? Num quis*
*Fortunæ filius dici magis debet*
*Ex merito, quàm ego cui contigere pro voto*
*Omnia?* PH. *Quis hîc beatum venditat sese? hem*
*Aurum ne habes Acolaste ?* ACOL. *Habeam rogas? Zona*
*Vide vt tumeat.* PH. *Hò, hò. Talenta quot?* ACOL. *Decem.*
PH. *Hui tantam ne auri vim?* ACOL. *Tantam.* PH. *Vnde, quæso te,*
*Patri ista largitas?* AC. *Quia arte tractabam*
*Virum doli ignarum.* PH. *ô lepidum caput, laudo,*
*Præsidium expugnasti hodie forte: quid restat*
*Nisi vt triumphum agamus intus?* AC. *Accedo*
*Tua sententia.* PH. *Sed quid libri hîc gestas?*
AC. *Id pignoris pater mihi relinquebat.*
PH. *Phy, Bibliorum codex est, valeat, insiste*
*Tuas tibi res curare. Nempe, quo pacto*
*Iter tuum instituas, peregre profecturus,*
*Codex non æquè inimicus, atque hic est nobis.*
*Ego tibi mox alia instillaro præcepta.*
AC. *Sed mihi grauiter pater est interminatus, ne*

*Hæc à me amitterem.* P H. *Istæc verba sunt, mitte.*
*Quin concedimus intrò?* A C. *Impera, & puta factum.*

Num quis me viuit fortunatior?) Hęc scena gaudium cõtinet vtriusque personæ Acolasti, & Philauti. Acolasti quidem immoderatius exultantis ob intentam patri fallaciam, & arte subdola ab eodem extorsum argentũ. Philauti verò eam ob caussam ei congratulãtis, & pro more dehortantis ab optimis institutis, illicientis autem ad nequiora. Vbi quidem imago præfertur, quàm dulcis sit iunioribus assentatio, & quàm ingrata censura.

*Argumentum.*

*Num quis me viuit fortunatior?*) Nihil tam esse contrariũ rationi & constantiæ, quam secunda fortuna, hac scena docetur. Vnde à Marco Tullio non solum cæca esse describitur, sed eos etiam plerunque efficere cæcos, quos complexa est. Hinc vulgò iactatur prouerbium, nihil insipiente fortunato intollerabilius.

*Doctrina.*

*Num quis me viuit fortunatior?*) Hîc prodigus admodum feruens est gaudio, vt adulescentulorum est in rebus prosperis. Sic Chęrea apud Terentium ob suam Pamphilam ciuem inuentam, in Eunucho. Act. 5. Sce. 9. O populares, ecquis me viuit hodie fortunatior? Nemo hercle quisquam: nam in me planè dij potestatem suam omnem ostendere, cui tam subitò tot congruerint commoda. Et Pamphilus in Hecyra. Act. 5. Sce. 4. Quis me est fortunatior? venustatisque adeò plenus?

*Quis me viuit fortunatior.*

*Num quis fortunæ filius dici magis debet.*) Hoc fastuosè & arroganter pronunciandũ est, Fortunæ nẽpe filius prouerbium est, quod de iis dicitur, qui vbi fortuna secundior, hoc est, euẽtus prosper illis affulserit, animos vsqueadeo efferũt, vt cõfidẽtius gerãt sese. Hîc illud: fortuna reddit insolẽtes.

*Fortunæ filius.*

*Ex meritò.*) Vide quanto fastidio efferatur, quum ex merito dicit. Eo enim vocabulo, se id meritum fuisse quod fortunę filius dici debeat, innuit.

*Ex meritò.*

*Cui contigere pro voto omnia.*) Pro voto, ex animi sententia, pro desyderio. Votum enim propriè, promissio deo facta dicitur. Sed quia valde desideramus, quæ voto à deo poscimus, fit vt aliquando votũ pro voluntate & desyderio sumatur. Hinc voti compotem dicimus eum, qui desyderiũ suum assecutus est.

*Pro voto.*
*Votum.*
*Voti cõpos.*

*Quis hic beatum venditat sese?*) Phrasis comica in iungendis personis. *Venditat.*) Sese iactat, effert, ostentat. Frequētatiuum est à vendo. Hinc lingua venditaria apud Plautū.

*Venditare.*

*Hem.*

*Tumere.*

*Hem.*) Interiectio læti, siue re noua & subita perculsi.

*Zona vide vt tumeat.*) Ordo est, vide vt zona tumeat. Id est, infletur, pecuniis turgeat. Hinc tumor, inflatio, & metaphoricè superbia: & tumidus pro superbo.

*Tumor.*

*Tumidus.*

*Hò, hò.*

*Hò, hò.*) Admirantis exclamationes, cum Philauti gesticulatione.

*Eclipsis.*

*Aposiopesis.*

*Talenta quot?*) Apta eclipsis gestienti. Deest habes, vt sit, quot habes talenta?

*Hui.*

*Hui, tantam ne auri vim!*) Est hîc aposiopesis, simul & Philauti admiratio ob largitatem ac munificentiā Pelargi: cum interim sub quadā & pronuntiationis & personæ, & rei naturę ironia taxans stoliditatis qui tantam auri copiam dederit adolescentulo, eādem fœdè consumpturo. *Hui.*) Hui, inquit Donatus, interiectio mirantis est, gestui seruili ac leuiori personæ congrua.

*Tantam.*) Subaudiendū, dedit auri vim quantam cernis.

*Vide, quæso te, patri ista largitas?*) Deest verbum fuit. Est autem largitas humanitatis, largitio ambitionis. Largitas rationabilis, ac definitus liberalitatis effectus. Largitio verò expensa quæ fit ad aucupandum fauorem in concionibus pro magistratibus declarandis. Capitur tamen hic largitas pro profusa prodigaliqueprofusione, vt apud Terētiū in Adel. Act. 5. Sce. 9. Quæ isthæc subita est largitas?

*Largitas.*

*Largitio.*

*Ars.*

*Quia arte tractabam virum doli ignarum.*) Arte, haud dubiè quin subdole, hoc est, astutia arte, virtute, iuxta illud: Nihil formidem congredi vel cum tribus oratoribus. Ars nempe dicitur ἀπὸ τῆς ἀρετῆς. ἀρετὴ autem virtus est. Virtutis verò quatuor generales sunt partes, Prudentia, iustitia, fortitudo, & temperantia. Ergo totum dicit ad suæ personæ commendationem, cum depresione patris. *Quia arte tractabam virum.*) Sic Terentius in Heaut. Act. 2. Sce. 3. Hęc arte tractabat virum.

*O lepidum caput.*

*O lepidum caput.*) Caput per sinecdochem pro toto homine posuit. Nemo enim ore contempto, ex aliis membris hominem velit significare. Vsurpatur à Terentio in Phor. Act. 3. Sce. 3. Et in Adel. Act. 5. Sce. 9. Vtrunque per diminutionē dicit in Eunucho, Act. 3. Sce. 3. O capitulum lepidis-

ſimum. Cui contrariũ eſt ridiculum caput. *O lepidũ caput.*) Lepidus dicitur, in quo leporis eſt plurimum. Donatus tamen ait ſignificare politum à λέπις Græco vocabulo, quod eſt lamina, ſiue ſquamma. Plinius. Excutiuntur velut milij ſquammę, quas vocant lepidas. *Lepidus.*

*Laudo.*) Blandientis vox eſt. Quaſi diceret: Neutique parui eſt momenti quod egiſti, ſed quauis laude celebrandum. *Laudo.*) Deeſt te, vel laudo tuum lepidum caput. *Laudo.*

*Præſidium expugnaſti hodie forte.*) Trãſlatio eſt ab expeditis militibus, quũ virtute ſua oppida, caſtra, naues, cæteráq; huiuſmodi pugnando vincũt. Id enim propriè expugnare eſt. *Præſidium fortè expugnaſti hodie.*) Fortè dicit, quaſi inuincibilis ac inacceſsibilis fere ante hac viſus fuiſſet pater. Hinc illud: Sed patris vim & facundiã vereor, vt fortiter feras. Et rurſus: Tãtũ caue ſuis ne te ſæuis dictis ꝓtelet. *Præſidium expugnare*

*Quid reſtat niſi vt triumphum agamus intus?*) Rectè, nam præſidium fortiſsimũ expugnauerat, quo fiebat vt pro obtenta victoria triumphandum eſſet. Alludens quidem ad morem illum apud Romanos fieri ſolitum, redeuntibus in vrbem cum victoria. *Triũphũ agere.*

*Accedo tuæ ſententiæ.*) Adhæreo tuæ opinioni tanquam bonæ. Vbi quidem adoleſcentiũ in quidlibet audendi pronitatem perſpicere licet. *Accedere ſententiæ alicuius.*

*Sed quid libri hîc geſtas?*) Reprehenſio eſt cum cõtemptu, minus enim dixit quid libri, quam ſi dixiſſet quem librum. Quia Donato autore, per genitiuum caſum, iniurioſè dicitur: per nominatiuum aut accuſatiuũ honorificè. Sic Thais apud Terentium, cùm de Eunucho loquitur: Quid hominis illic eſt? *Geſtas.*) Continuè ac ſedulò geris? *Quid libri geſtas.* *Geſtare.*

*Id pignoris pater mihi relinquebat.*) Rurſus hîc genitiuus apponitur per contemptum. *Id pignoris pater mihi relinquebat.*) Caius de verborum ſignificationibus ait à pugno pignus deriuari, quòd res quę pignori dantur manu tradãtur. Eſt autem pignus propriè quod creditori datur, vt ſit ſecurus. Hoc verò ſæpe dicitur, quum aut munus noſtrum, aut aliquid ſimile, pignus eſſe amoris ac beneuolentiæ volumus, vt hîc & apud Virgilium: *Pignus.*

*Iſte puer dextram Anchiſes haud multa moratus,*
*Dat iuueni, atque animum præſenti pignore firmat.*) Id eſt. Securum perinde facit, ac qui daret pignus.

*Phy.* *Phy.*] Execrantis seu detestantis interiectio. Aliàs mirantis. Terentius in Adel. Act.3. Sce.3. Phy, domi habuit vnde disceret.

*Biblion.* *Bibliorum codex est.*] Biblion Græcè vel potius Biblia, orum.plu.nu. libellum Latinè significat, quo nomine libri sacri per excellentiam appellantur, à quo Bibliopola, & Bibliotheca.

*Valeat.* *Valeat.*) Cum dedignatione & contemptu pronunciādum. Est enim, autore Donato, renunciationis & imprecationis verbum. Quasi dicat, abeat, recedat, pereat: quia & discedentibus & mortuis vale dicitur. Virgil.

*Salue æternùm mihi maximè Palla,*

*-Æternúmque vale.*

Terentius in And. Act. 4. Sce.2. Valeant qui inter nos dissidium volunt.

*Tibi.* *Insiste tuas tibi res curare.* Tibi, id est, in tuum commodum, quasi Bibliorum codex esset illi detrimento ac perniciei. *Insiste.*) Da operam.

*Insistere.*

*Instituere.* *Quo pacto iter tuum instituas.*) Instituas, ordines, vel incipias. Et propriè de ludis, de orationibus, de moribus hominum dicitur. *Instituas.*) Benè instituas, quo verbo quies ostenditur cogitatiuæ mentis, quæ nunc obstante hoc volumine non adesset. Vnde animum ad cogitandum instituere ait Terentius in Phor. Act. 2. Sce.1. Rursus in And. Act.1. Sce.1. Optime vitam instituit.

*Æque atque.* *Codex non æquè inimicus, atque hic est nobis.* Vtpote prauis moribus obluctans, quibus vtique prodigū imbuere cupiebat. *Aequè atque.*) AEquè, obtinet post se elegantissimè has particulas, ac, atque, vt, & quàm. Terentius in And. Act.4. Sce.2. Quis miser æquè ac, ego? Plautus in Aulul. Pumex nō æquè aridus, atque hic est senex. Idem in Sticho: Ridiculus æquè nullus est, quàm dum esurit.

*Instillare.* *Ego tibi mox alia instillaro præcepta.*) Vide magistrum ad nequitiam improbum, quo pacto animum huius adolescētis ægrotum, ad deteriorem partem applicare conatur. *Alia instillaro præcepta.*) Instillaro per concisionem, pro instillabo posuit. Est autem tralatio de humore illo, qui ex herbis guttatim profluit, & paulatim emittitur, cùm in capsella distillantur. Fit autem ab in intentiua particula, & stillo, idem significans, quod intro stillare. Id verò est ac si

diceret: Pater tuus te hoc bibliorum codice, pignoris loco donauit, quò eius præceptis tuos mores instituas, vitámque commutes in melius, sed cum illa meis omnino dissideant, alia ab his longe discrepantia dabo.

*Sed mihi grauiter pater est interminatus.*] Vide quomodo nemo fit repente turpissimus. Licet enim inobsequens foret patri per omnia, non adeò tamen virtutis igniculi à natura illi inditi extincti erant, vt pudoris ac verecūdiæ prorsus obliuisceretur. *Est interminatus.*] Minatus est, vel prohibuit, vt apud Terentium in And. Act.3.Sce.2. Interminatus sum, ne faceres. *Intermi-nari.*

*Grauiter.*] Magnopere, multum. Cicero: Nec verò audiendi, grauiter qui inimicis irascendum putant. Aliâs, aspere, malè. Terent. in And. Act.1.Sce.2. Omnes qui amant, grauiter sibi dari vxorem ferunt. Rursus in Heaut. Act.1. Sce.1. Sæpe eadem, & grauiter audiendo, victus est. *Grauiter.*

*Ne hæc à me amitterem.*] Dimitterem. Nam quod nos dicimus dimittere, antiqui etiam dicebant amittere. Virgil. *Amittere*

*Quisquis es, amissos hinc iam obliuiscere Graios.*

Terentius in Heaut. Act.3.Sce.1. Et prius pecuniā omnē, quàm abs te amittas filium. Sícque fere semper cum ablatiuo construitur, addita præpositione. Aliâs perdere significat. Interdum etiam adimere. Plautus in Asin. Cur ergo minitaris te tibi vitam esse amissurum?

*Isthæc verba sunt.*] Sermo est quo vti solent ij qui aliis metum, quem mente conceperunt ex maioris interminatione & præscripto, adimere volunt, atque illos securos facere. Sic Terentianus ille Dorio in Phor. Act.3.Sce.2 Isthęc verba sunt. Quasi dixerit: Hæc nihil in se momenti aut efficaciæ continent, sed tantum ad terrorem tibi incutiendum à patre prolata sunt. *Verba sunt*

*Quin.*] Cur non. *Quin.*

*Concedimus.*] Imus, Terentius in Hecyra, Act.4. Scé.1. Hìc video me esse inuisam immerito, tempus est cōcedere. *Concedere.*

*Impera & puta factum.*] Vox est, sese omnino ad alterius submittentis arbitrium. Sic Thais apud Terentium in Eunucho, Act.3.Sce.2. Vbi vis, non moror. *Impera, & puta factū.*

# ACTVS SECVNDI, Scena Prima.

PANTOLABVS, PAMPHAGVS.

*Octonarij omnes.*

NAI miser ego sum, qui quid edam quaero, & id aegre inuenio, gulam
Habeo extrema fame pene strāgulatam, venter inedia
Exhaustus est, stomachus latrat, tum pendulae marcent genae,
Pol dentes pruriunt, me nullus est ieiuniosior.
Neque magis vllus effractus fame, scabri rubigine
Dentes, labiáque incana situ loquuntur me famelicum:
Quare, hunc haberem praesentem deum, placaret qui mihi
Ventrem iratum. Parasiticae artis gnarum optem dari obuiam,
Quem sectari liceat, postquam in fumum cinerémque versa sunt
Quae possedi omnia. Vel è flamma nō grauarer impiger
Cibum petere: O fortuna, vt nunquam perpetuò bona es. Sed hic
Ne est Pamphagus, meo quem iuui beneficio toties? is est.
PAM. Quis hic nouus subsistit hospes? Pantolabus est. Insolens
Istuc quidem facit. Non possum quin salutem & colloquar.

O salue

*O salue plurimùm merito tuo vir optime.* PAN. *Pamphage,*
*Salue plus millies.* PAM. *Quid hìc negotij tibi? An venis.*
*Obsonatum ad forum Cupedinis? Atqui ea est prouincia*
*Parasitorum.* PAN. *Memini. Sed eò res rediit, vt transcursu opus*
*Mihi sit ad ordinem vestrum.* PAM. *Ad nostrum ordinem! quid audio?*
PAN. *Sic fors fert.* PAM. *Sed turpe est nimis à bubus ad asinos transcendere.*
PAN. *Vt sit. Durum telum necessitas.* PAM. *Nihilne est amplius*
*Rei?* PAN. *Nihil quicquam. Abligurivi omnia, Hinc memet foro*
*Subducens lateo domi hunc totum mensem: ibi vapam bibo, panem*
*Atrum voro, inedia ringor, cochlearum instar viuens miser.*
PAM. *O me tam fœlicem, cui tam acre bellum cum Penia haud fuit,*
*Qui suetus sum, vt mures, alienum semper arrodere cibum.*
*Quid? an non te piget tam acerbæ sortis?* PAN. *non tãtum quidem*
*Pigeret, si modò tuam disciplinam nunc sectarier*
*Liceret.* PAM. *Forsitan liceret, si potis esses assequi.*
PAN. *Conarer vt possem Pamphage, venter magister ingenî*
*Meos conatus iuuerit.* PAM. *Sed nescio quàm fœliciter.*

PAN. *Hem, me vide, vt prolixè agis? Rape me sodes, collegio*
*Tuo inauctorandum rape, pòstquàm nullam planè artem calleo,*
*Qua poßim viuere* οἰκόσιτος. PAM. *Au. non sunt illotis sacra hac*
*Manibus tractanda.* PAN. *Satis ne lotus sim, qui corruger fame?*
PAM. *Specimen tuæ des artis oportet, dehinc nostris comitiis.*
*Indictis, si voles, nomen dabis cum plausu & gloria.*
PAN. *Ea lege, obsecro, me discipulum habe tibi, cui profui*
*Re salua sæpe, nisi immemor es beneficij accepti.* PAM. *Immemor?*
*Age, suscipio te parasitastrum.* PAN. *Habeo pol gratiam, quid est*
*Quod me nunc vis facere?* PAM. *vt me obserues sedulò.* PAN. *Quidum?* PAM. *Seria*
*Curanda sunt.* PAN. *Quid seria? securus quonam ferer pede?*
*Seria curaui nunquã, nisi seria ventris negotia*
*Appellites.* PAM. *Scilicet.* PAN. *Istuc persuadeas Catonibus,*
*Rigidisque Sophois, si quid vales oratione.* PAM. *Pro suo*
*Illi sapiant ingenio, non equidem inuideo, nobis item*
*Palatum neutiquam desipit. Hic & nos Philosophi sumus*
*AEsopici, Gnathonicique, cuius secta plurimos*
*Clientes in forum producimus.* PAN. *Quibus sed ducibus*

*Freti?* PAM. *Magnis, Epicuro, Aristippo, Catis, & Apiciis.*
PAN. *Duces illi haud sunt pœnitendi per Genium, perdoctus es,*
*Laudo. Sed ad seria redi.* PAM. *Rectè. Nescis quæ viderim*
*Insomnia?* PAN. *Falsa?* PAM. *Non opinor. Post medium noctis ferunt*
*Vera esse somnia, quùm sumus purgatiores scilicet.*
PAN. *Intelligo. Sed narra somnium.* PAM. *Hodie constrato in thoro*
*Videbar ad mensam plenam, lautúsque vnctúsque accumbere,*
*Cerealem dixisses cœnam, hinc velut è pleno cornu datum,*
*Et quod ederem, & quod potarem. Inde adeò, in digitos pedis, mihi*
*Standum erat, vt de summo quicquam peterem. Vis dicam? Dis quidem*
*Videbar, cui adfluerent, bonæ vndique deliciæ.* PAN. *Tam grata sunt*
*Quæ memoras, vt dentes ventérque hinc gestiant mihi. Vigilans*
*Vix ausim optare, dormiens quæ somnias.* PAM. *Tùm nescio*
*Quid visus talorum iactus portendat ominis boni.*
PAN. *Vah somniũ hominis: quæ narrat!* PAM. *quid hoc? satin' tibi placet?*
PAN. *Vereor ne læuus hic augur sis.* PAM. *Nihil credis, nisi quòd vides?*
*Abi in malam crucem, dignus quem nunquam sancta Saturitas*

*Beet, cum isthac tua incredulitate.* PAN. *Obsecro famelicum.*

*Meum ventrem fac somniis tuis satures, siquid habeant*

*Rei.* PAM. *Irrides?* PAN. *Non irrideam, quod carbonarias opes*

*Pro germanis ostentes, somniis fœlix? Ridiculũ.* PAM. *Agè,*

*Ridiculum sit, quando ita lubet. Porro, quàm non sim stultulus*

*Vates, videbis, dum fiam hinc cellarius cuiuspiam.*

*Nummatioris domini, opulentia cuius construxero*

*Tam largum ventri commeatum, vt si regum sim maximus.*

PAN. *Hic, credo, vigilans somniat. Pamphage, beatum me in tuo*

*Regno tum quæso facias.* PAM. *Vel primus eris apud me, si probè*

*Aduleris.* PAN. *Sed vnde plebiscita ordinis nostri petam?*

PAM. *Vnde rogas? à Terentiano illo Gnathone principe*

*Viro.* PAN. *Hic te opus fuerit interprete optimo, nemo artifex*

*Nascitur.* PAM. *Operam meam tibi dico.* PAN. *Age doctoris suscipe*

*Partes.* PAM. *Nolo arbitrum quẽquã esse nobis, sed ponè fabricam hanc,*

*Tutus locus est, ibi elementa dabo, fac te docibilem probes*

*Discipulum.* PAN. *En aurem vtramque surrigo ad magistri dogmata.*

*Ne miser ego sum.*] Hæc ſcena mirandum in modum facetа eſt,& venuſtis diſtincta ſalibus,duorum lurconũ continens colloquium. Vnius quidem ſcurræ,qui abligurita re adeo prorſus ad inopiam redactus erat, vt illi ad paraſitorum ordinem tranſcurrere opus eſſet. Alterius paraſiti, Gnatonicos mores adprimè præ ſe ferentis. Is beneficiorum à Pantolabo quondam acceptorum nõ immemor, quanquam primum grauiter & hæſitabundè, eum nihilominus tandem obnixè rogantem, in paraſitorum clientelã, ingẽti cum plauſu & gloria,ſuſcipit. Quo ſuſcepto,ac iuſiurando ad hoc congruenti præſtito, quæ paraſiti ſunt, illum velut huiuſce artis inſcium docet,quæ curanda ſint pro eorum facultate atque officio obiter proponens. Subindę quibus ipſorum ſecta ſuffulciatur Philoſophis, ediſſerit. Poſtremò quid ominis portendat ſomnium,quod paulò antę viderat, ſimul & talorum iactus, denarrat. Hæc ſumma eſt huius ſcenæ. *Argumentum.*

*Ne miser ego sum.*] Sub iſtorum paraſitorum perſonis, quę hîc inducuntur, meritò reprehenduntur,qui relicta honeſtatis decoriſque via, in rem tam humilem tamque contemptam ſuas omnes cogitationes abiecerunt, vt ſe totos aſſentationi ac blanditiis emancipare non vereantur. *Doctrina.*

*Ne miser ego sum.*] In hac ſcena non ſtans,ſed quaſi ambulans perſona inducitur intuens tamen ſpectatores dum ſecum loquitur. *Ne miser ego sum.*] Vide initium conueniẽs famis miſeria & calamitate affecto. Miſer enim dicitur,cui animæ miſeria eſt. *Ne miser ego sum.*] Nę hoc pacto cum diphthongo ſcriptum Græca vox eſt, ſignificãs idem quod valde.Terentius in Adel. Act. 4.Sce. 2.Næ ego ſum infœlix. Et in prologo Andriæ: Faciunt nę intelligendo,vt nihil intelligant. *Miser.* *Ne.*

*Qui quod edam quaero.*] Artificioſè quæro. Nam illud quæritur,quod difficile reperitur. *Quaerere.*

*Et id ægrè inuenio.* AEgrè, cum difficultate. Aliâs moleſtè: Vnde ægrè ferre dicimus,hoc eſt,moleſtè. *AEgrè.*

*Gulam habeo.*] Collum duas partes habere tradunt, qui corpus humanum intimius inſpexerunt. Anteriorem vocant Gulam,qua videlicet,cibus potúſque deuoratur: tendit autem hæc ad ſtomachum,deinde ad vẽtrem.Poſterior, arteria ſiue Ceruix adpellatur. Ea eſt, quæ ad pulmonem *Gula.* *Arteria siue ceruix.*

ducit,tegitúrque epiglosi,quam & minorem linguam vocant ne si potus cibusve in epulando voce illac meante, in alienum deerrauerit tramitem,torqueat.

*Strangulata* *Extrema fame penè strangulatam.*) Enectam,suffocatam.

*Extrema fames.* Extrema fames dicitur vehemens, & intoleranda inedia: quamuis sit inter vtrumque aliquid discriminis,vt fames sit

*Fames & inedia.* cum appetitu edendi: inedia etiam siue appetitu, quemadmodum vsu venire solet ægrotis. Vnde propriè inedia dicitur,abstinentia,vel impotentia comedendi.

*Exhaustus* *Venter inedia exhaustus est.*) Exhaustus, prorsus euacuatus. Aliâs finitum significat. Virgil.

*Heu quibus ille*
*Iactatus fatis quæ bella exhausta canebat!*

Hinc inexhaustus pro infinito.

*Stomachus latrat.* *Stomachus latrat.*) Id solet famelicis ac ieiunis accidere, nempe vt eorum ventrieulus, hoc est, ciborum receptaculum ob nutrimenti euacuationem, vocem quandam edat, cum cibus deest qui conficiatur. Vnde à Macrobio paterfamilias dicitur,quasi omne animal solus gubernans. Nam si ægrescat inquit vita in ancipiti est, titubante alimoniæ meatu, cui natura tanquam rationis capaci velle ac nolle contribuit. *Stomachus latrat.*) Latrare propriè canum est, cum vocem emittunt. Hinc latratus, vox ipsa canum.

*Latrare.*

*Genæ.* *Tum pendulæ marcent genæ.*) Genæ propriè dicuntu partes illæ à cilio ad vniuersam partem illam oculis subiectam, quę barba vestitur, quas radi in fœminis duodecim tabularum interdicto antiqui vetuerunt,pudoris sedes esse arbitrati, quòd ibi maximè ostendatur rubor. Dictæ genæ à gignendo, quod in his pili gignantur. *Pendulæ.*) Pendentes. *Marcent.*) Attenuatæ sunt, vel putrescunt. Deductum à macie, quòd quæ macie attenuata sunt, facile putrescant.

*Pendulæ.* *Marcere.*

*Dētes pruriunt.* *Pol dentes pruriunt.*) Prurire dentes dicuntur, cum præ famis angustia, comedendi libidine ardescunt. Est autem verbum Plautinum. Sunt enim apud eundem hæc non semel obuia: Prurit mihi tergum,pruriunt pugni. Et, vtrum dentes tibi pruriunt an malæ?

*Ieiuniasior.*

*Effractus fame.* *Me nullus est ieiuniosior.*) AEquè ieiunus & cibis vacuus. *Neque magis vllus effractus fame.*) Plus fractus. Sic Plau-

tus in Cap. Neque ieiuniorem, neque magis effractum fame vidi. Effringi autem propriè dicitur (authore Varrone) cum glebæ grandes prima aratione excitantur. *Effringere*

*Scabri rubigine dentes.*) Id est, rubiginosi. Dentes enim & vngues scabri dicuntur, qui sordidi sunt, etiam si non sint asperi tactu. Virgilius: *Scabri rubigine dẽtes.*

*Exesa inueniet scabra rubigine pila.*

Est autem propriè rubigo, quæ in metallis situ quodam contrahitur, arida & rubra ipsum metallum paulatim absumens. *Rubigo.*

*Labiáque incana situ.*) Incana, valde cana dicuntur, id est, senescentia præ fame. Ouidius 8. Metamor. de fame: *Incana.*

*Hirtus erat crinis, cana lumina, pallor in ore,*

*Labra incana situ, scabri rubigine dentes.*

Vbi quidem præpositio in adauget dictionem, sicut incuruus apud Terentium pro valde curuus: & infractos dicit Virgilius, pro valde fractos. Fit autem incanus ab incaneo, vel incanesco, idem quod canus fio significãs. Quidam tamen existimant canus à candeo dici, quòd vetustate canescamus. Vnde Virgilius canam fidem, pro antiquam dixit. *Canus.*

*Situ.*) Situs (vt ait Donatus) est corruptio ex humore & diuturnitate contracta, qua deteriores fiunt species vno loco, & prolixo tempore cõstitutæ. Ergo incaua situ labia dicuntur, quasi nihil agendo corrupta. Est quoque situs in vultu, capite, totóq; corpore & habitu, præsertim inopum, qualem describit Lucretius: *Situs.*

*Fœda situ macies.*

*Loquuntur me famelicum.*) Prosopopœia est, qua rei mutæ sermo tribuitur, sicut etiam tacere accõmodatur rei, quæ sine voce est. Virgilius: *Prosopopœia.*

*Quin tacet omnis ager.*

*Loquuntur me famelicum.*) Ostendunt me non mediocri fame laborare. Fit autem famelicus à fame & edendo, quasi famedicus. Author Donatus. Terentius in Eunucho, Act. 2. Sce. 2. Ille vbi miser famelicus videt me esse in tantum honorem, &c. *Loqui.* *Famelicus*

*Quare.*) Collectiua, vel illatiua, seu (vt Prisciano placet) rationalis particula est, qua nimirum consequi aliquid ea quæ proposita sunt, significamus. *Quare.*

*Hunc haberem præsentem deum.*] Deest hîc optantis parti-

*Hunc.* cula, vtinam. *Hunc deum.*] Hunc pro aliquem posuit, non ausus vtique quenquam deorum nominatim appellare, cuius opera illi succurratur in tā vrgenti famis angustia, conferatúrq; quod sua ingluuie ac flagitio absumpserat. *Hunc haberem præsentem deum.*] *Præsentes dij.* Præsentes dij, inquit Donatus, dicuntur, qui statim præstant, vel qui coluntur & videntur, vt Sol, Luna. Alij præsentē deum pro potentissimo accipiunt, vt apud Virgilium:

- *Quo non præsentius vllum.*

Terētius in Phor. Act. 2. Sce. 2. Hęc cum ratione ineas, quàm sint suauia, & quàm chara sint. Ea qui præbet, nō tu hunc habeas planè præsentem deum?

*Iratus venter.* *Placaret qui mihi vētrem iratum.*] Probè iratum ventrem dicit hîc, qui prius famelicum se professus est, ac fame effractum. Irascitur itaque venter, cùm nihil adest vnde placari possit. Placatur, cum dapes illi offeruntur libantúrque. Hinc vulgari fertur prouerbio, ventrem improbum interpellatorem esse. Nō enim finit vnquam quempiam obliuisci sui, etiam si valde animo crucietur quis, & angat pectora mœror. *Placare.* *Placaret.*] Mitem ac placidum redderet.

*Parasiticæ artis gnarum optem dari obuium.*] Ex vētris prolixiori conquestione nihil auxilij prouenire cōsiderans, ad parasitorum abiectissimam, eámque sordidissimam conditionem confugere statuit. *Optem.* *Optem.*] Pro opto. *Gnarus.* *Parasiticæ artis gnarum.*] Scium, peritúmque artis, quæ à parasitis exercetur. Terentius in Heaut. Act. 2. Sce. 1. Habet benè ac pudicè eductam, gnaram artis meretriciæ. *Dari obuiam.* *Dari obuiam.*] Obuium fieri, offerri, obiici. Terentius in And. Act. 5. Sce. 5. Sed quem ego potissimum exoptem nunc mihi, cui hæc narrem dari?

*Sectari.* *Quem sectari liceat.*] Sectari, continuè sequi: & id quidem propriè. Nam & sectæ philosophorū ab eo dictæ sunt. Sectari autem alium dicimur, quum eum in sermonibus, sententiis, disciplinis, & reliquis eius actibus sedulò perpetuóque sequimur, ac imitamur. Terentius in Eunucho, Act. 2. Sce. 2. Ibi homo cœpit me obsecrare, vt sibi liceret discere id de me: sectari iussi, si potis est.

*In fumum & cinerē versa sunt bona.* *Postquā in fumū cinerémque versa sunt, quæ possedi omnia.*] Hoc prouerbio se ad summā rerum inopiam redactum significat, suásque omnes opulētas facultates inaniter, fœdè,

ac prodigaliter consumpsisse. Nam fumus initio quidē magnum quiddā videtur, verùm euanescit ilicò. Vnde & præstigiosam rerum magnarum spem atque ostentationem, fumum ac nebulas vocamus. Horat. epist. lib. 1. *Fumus.*

*Mœuius idem quicquid erat nactus prædæ maioris,*
*Vbi omne verterat in fumum & cinerem.*

*Vel è flamma non grauarer impiger cibum petere.* ] Hoc est, quiduis cibi caussa paterer, facerémque vel, nullum recusarem periculum, modò voti cōpos fierem. Per flammam enim nemo currere potest, sine vitæ discrimine. Terentius in Eunucho, Act. 3. Sce. 2. Nam qui huic animum assentiri induxeris, è flāma te petere cibum posse arbitror. Vetus quoque adagium est: De fumo tendere ad flammam, quod significat ire in periculū. Marcus quoque Tullius ait in Bruto, Galbam eripuisse sese de flamma iudicij, cùm significare vellet eum liberatum esse à periculo iudicialis damnationis, cuius veluti flamma ac incendio semiustulatus esse videbatur accusante Catone. *Cibum è flamma petere.* *De fumo tendere ad flammam.*

*O fortuna, ut nunquam perpetuò bona es.* ) In fortunam inuehitur, quòd nūquam illi visa sit fida, quemadmodum nec omni hominum generi perpetuò dextra est, & propitia. Estque verbum Terentianū in Hecyra, Act. 3. Sce. 3. Sic Virgil. *Fortuna nunquam perpetuò bona.*

*Fortuna immeritos auget honoribus,*
*Fortuna innocuos cladibus afficit,*
*Iustos illa viros pauperie grauat,*
*Indignos eadem diuitiis beat:*
*Nec quos clarificat, perpetuò fouet:*
*Nec quos deseruit, perpetuò premit.*

*Quis hîc nouus subsistit hospes?* ] Progressio est loquentis ad interrogandū, atque significatio peregrinantis. Sic Virg.

*Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes?*

*Nouus.* ] Inopinatus. *Subsistit.* ] Substat. Vnde & stupore affecti, subsistere dicuntur, dum terrore quodam illius præter spem subruente, stant muti. *Nouus. Subsistere.*

*Insolens istuc quidem facit.* ] Insolens, insuetus, insolitus, præter consuetudinem. Terentius in And. Act. 5. Sce. 4. Andrium ego Critonem video? & certe is est. Saluos sis Crito, Quid tu Athenas insolens? Aliàs insolens, arrogantem significat. *Insolens.*

*Non possum quin salutem & colloquar.* ] Sic Terentius in *Salutare & colloqui*

And.Act.3.Sce.3. Operiar hominem hîc, vt salutem & colloquar.

*Merito tuo.* *O salue plurimũ merito tuo vir optime.* ] Beneuolentia à meritis, vt parasitorum est proprium, quò blandius ad se bene merentes alliciant, & foueant gratius.

*Quid negotij tibi est?* *Quid hîc negotij tibi?* ] Perelegans ac venustus dicẽdi modus, pro eo quod barbarè diceretur, quid habes agere in hoc loco. Sic Terentius in And. Act.5.Sce.2. Quid istic tibi negotij est?

*Obsonari.* *An venis obsonatum.* ] Id est, ad res necessarias emendas, quò obsonetur? Est autem obsonari, idem quod conuiuari. Plautus: Argento parciolo obsonato ampliter. Terentius in And. Act.2. Sce.6. Vix drachmis obsonatus est decẽ. Fit autem obsonor siue obsono (vtroque enim modo dicitur) ab

*Obsoniũ.* obsonium, quæ Græca quidẽ vox est, idem significans quod quicquid in cibo præter panem & vinum adiicitur.

*Forum Cupedinis.* *Ad forum Cupedinis?* ] Forum Cupedinis, macellum dicitur, quod Symmachus forum cupedinariũ adpellat, fortassis à cupiditate, vel quòd ibi fuerit domus Cupedinis Romani equitis. Alij forum Cupedinis volunt dici, in quo

*Cupes & cupedia.* *Cupedinarij.* veneunt cupedia. Cupes enim & cupedia, antiqui lautiores cibos nominabant. Vnde Cupedinarij dicti, qui esculenta & poculenta vendunt, ab eo quidem, quòd alimenta rebus Cupedinis præbeant.

*Atqui.* *Atqui.* ] Certè. Aliâs imo. Terent. in Hecyra, Actus primi, Scena secunda. Atqui ea res multò maximè disiunxit il-

*Prouincia* lum ab illa.

*Tradere vel capere prouinciam.* *Ea est prouincia Parasitorum.* ] Prouincia, onus dicitur cuiuscunque rei gerendæ. Hinc tradere, vel capere prouinciã, figura prouerbiali dicuntur, qui negotium aliquod curandum committũt, vel rei cuiuspiam curandæ onus in sese recipiunt. Tracta metaphora à Romanorũ consuetudine, apud quos qui magistratum gerebant, prouincias alias longè ab Italia bello acquisitas, alij sortiebantur. Terent. in Heaut. Act.3.Sce.2. Est ille Cliniæ seruus tardiusculus, idcirco huic nostro tradita est prouincia. Rursus in Phorm. Act.1.Sce.2. O Geta, prouinciam cœpisti duram.

*Res rediit* *Sed eò res rediit.* ] Propriè res rediisse dicitur, cum aliquid peius expectatione contigit. Terentius in Heaut. Act.1.Sce.1. Postremò adeò res rediit, adolescentulus sæpe eadem, &

grauiter audiendo, victus est. Item in Phormione, Act. 1. Sce. 2. Adeò res redit, si quis quid reddit, magna est habenda gratia.

*Vt transcurso opus mihi sit.*) Transcurso dixit, non cursu, vt inopiæ angustiam ac famis vim ostenderet. Terentius in Hecyra, Act. 3. Sce. 4. In arcem transcurso opus est.

*Transcurso opus est.*

*Transcurso.*) Pro transcurrere. Quemadmodum opus est facto, dicit Salustius, pro oportet facere. significat autẽ transcurrere idem quod currendo transgredi, vel vltra currere.

*Transcurrere.*

*Ordo.*

*Ad vestrum ordinem.*) Ordo, vt ait Donatus, vel bonorum vel malorum dicitur, & grauium, vt equester ordo, senatorius ordo, consularis ordo, prætorius ordo, & huiusmodi. Grex autem, vel bonorum, vel malorum, & leuium, vt Cicero: In his bonis gregibus, omnes aleatores, omnes impuri, impudicíque versantur. Ergo ad vestrum ordinem, cum honore & grauitate efferendum est. Vel allusio est, ad dispositionem gradúsque militaris aciei, vbi pedites, vbi alę equitum, vbi signa ex vtilitate distribuuntur.

*Grex.*

*Quid audio?*) Mirãtis est, non interrogantis. Quasi diceret: Fieri ne id potest, vt pridem adeò locuples, eò nunc sit redactus inopiæ, vt ex necessitate illi incũbat Parasitorum abiectissimam conditionem sequi, & cibum ab aliis quærere?

*Quid audio?*

*Sic fors fert.*) Mirè hîc meritum culpæ suæ ad fortunam retulit. Fors enim, quæ & fortuna, à ferendo dicta est, quòd temerè & sine ratione feratur. Dicitur autem accidentium rerum subitus, atq; inopinatus euentus. Terentius in Phormione, Act. 1. Scena secunda. Quod fors fert, feremus æquo animo.

*Fors fert.*

*Sed turpe est nimis à bubus ad asinos transcendere.*) Id est, à conditione lautiore, ad abiectiorem deuenire: ab honestioribus studiis ad inhonesta sese conuertere. Quò contra extulit Plautus in Aulul. Hoc magnum est periculum ab asinis ad boues transcendere, pro eo quod est, ex humiliore conditione, ad ditiorum partes transire. Item ab asino delapsus dicitur, authore Erasmo, in eos, qui inconsultè quippiam agunt, & imperitè: aut in eos, qui à præsentibus commodis, quibus ob inscitiam vti nesciunt, excidunt: vt sunt qui multis diuitiis affluunt, aut qui magistratibus perfunguntur.

*A bubus ad asinos trãscendere.*

*Ab asino delapsus.*

*Vt pro quãuis.* *Vt sit.*)Subaudiendum,turpe a bubus ad asinos transcendere. *Vt sit.*)Vt pro quamuis.

*Durũ telũ necessitas.* *Durum telum necessitas.*)Prouerbium est,vt idem ait Erasmus,quod de re ineuitabili dicitur. Liuius:Necessitate,quæ vltimum & maximum telum est,superiores estis.Ducta forsan metaphora à venantibus,qui telo appetunt,quod capere volunt. Huic confine est & illud: Aduersum necessitatẽ, ne dij quidem resistunt.Poëtę namque Necessitatem deam faciunt, Parcarum matrem,quæ & ipsæ ineluctabiles atque inexorabiles vocantur.

*Abligurivi omnia.*)Hoc dicit,quasi alludens ad illud:Ex immolata victima,nisi solus venter & lingua superest. Et eleganter ex persona parasiti non culpatur, quod bona sua comederit. *Abligurivi omnia* Abligurire (vt ait Donatus) est escis esculentis bona cõsumere.Terẽt.in Eunucho. Act. 2.Sce.2.Itidem patriaqui abligurierat bona.Ligurire vero, est eleganter & more senũ multo fastidio suauiora quæque degustare. Hincliguritor, & liguritio.

*Ligurire.*

*Subducens.* *Hinc memet foro subducens.*)Præ verecundia & rubore.Est autẽ subducere, idẽ quod subripere,submouere.Forũ quoque hîc non pro negotiationis loco quo venalia feruntur, vt superius accipitur:sed pro eo in quo iudicia fieri,cum populo agi, & conciones haberi solent.Sic vtique dictũ,quod ibi iudicia & controuersiæ ferantur.

*Forum.*

*Vespertiliones.* *Lateo domi.*) More vespertilionis,ne à creditoribus appeller. Huiusmodi enim ære grauati alieno, vulgò vespertiliones dicuntur quòd nunquam nisi noctu prodeant.

*Vapa.* *Vbi vapam bibo.*)Vapa acetosum vinum appellatur, & quod in imo est dolij feculenta impuritate permixtum, ac misellum. Vel vile vinum,quod de feceexprimitur cum aqua.Hoc ab aliis posca, à Plinio vero ac Varrone, Lora dicitur.

*Vorare.* *Voraces.* *Vorago.* *Ater panis.* *Panem atrum voro.*)Non comedo dixit, sed voro, quod propriè est agitatorum famis rabie,& gulosorum.Nam vorare, cibum non confectum deglutire est. A quo voraces, & vorago, id est,aquæ barathrum, quod in eam cadẽtia nõ emergãt,sed deuorari videantur.*Panem atrum.*)Ex antiquitate mucidum, vel nigrum durũmque. Ab atterendo dictũ, quod quæ atteruntur, liuorem contrahãt.Vnde ater color, atræ vestes, & fuscæ appellatæ.Et atrati,qui lugubri habitu

induti sunt. Terent. in Eunucho, Act. 5. Sce. 4. Quo pacto ex iure hesterno, panem atrum vorent.

*Inedia ringor.*) More canum præ fame rostrum torqueo: quod maximè famelicorum est.

*Ringi inedia.*

*Cochlearum instar viuens miser.*) Aiunt Cochleas per æstũ intra testam contractas, vtcunque succo suo ali, donec acciderit pluuiã. Hinc victitare succo suo dicuntur, vt author est Erasmus, qui si quando contigerit cæna lautior, ingurgitant sese. Rursus vbi nulla arridet spes cænatica, coguntúrque icositi viuere, fortiter ferunt inediam & in cõuiuij spem durant. Abiit inde in prouerbiũ, Cochleæ vita, quod de iis dicitur, qui parcè paruóque viuunt, aut contracti à negociis, lucéque forensi semoti, veluti si quis alteri homini diceret: Tu tantum molestiarum sustines, turbans te ipsum, vt ob parsimoniam Cochleæ vitam viuas. Exactè Plautus in Captiui duo, hanc parasitorum vitam in hunc modum describit.

*Cochleæ vita.*

*Cum res prolatæ sunt, cum rus homines eunt,*
*Simul prolatæ res sunt nostris dentibus.*
*Quasi cum caletur, cochleæ in occulto latent;*
*Suo sibi succo viuunt, ros si non cadit,*
*Itidem parasiti rebus prolatis latent,*
*In occulto miseri victitant succo suo.*

*O me tam fœlicem.*) Pamphagus audita sui commilitonis calamitate & inopia, suaque sorte longè fœliciore hinc inde prospecta, in immoderatam animi lætitiam fertur, instar Terentiani illius Gnatonis: qui cum sui loci atque ordinis hominem in maximam pauperiem redactum vidisset, se verò ditiores quo sque assentatione ac blãditiis aucupari, Ego inquit, illum contempsi præ me, & item reliqua quæ in Eunucho habentur, Act. 2. Sce. 2.

*O me tam fœlicem.*

*Cui tam acre bellum cum Penia haud fuit.*) Alludit ad illud Plautinum in Sticho: Ita ingenium meum est qui cum viris depugno multò facilius, quàm cum fame. Est enim Penia dea famis & penuriæ. Nam quod Græcis Penia, Latinis est paupertas.

*Penia.*

*Tam acre bellum.*) Tam fortè, tam vehemens, tam asperum, tam sæuum: Idque metaphoricè, quia acre propriè ad vinũ, acetum, & huiuscemodi pertinet. Nã saporis acetositatem significat.

*Acre bellum.*

*Vt mures alienũ arrodere cibum.* *Qui suetus sum, vt mures, alienum semper arrodere cibũ.*) Plautus sic habet in Captiuis duo: Quasi mures semper edimus alienum cibum. Quæ profecto sententia in parasitos iactatur, quibus iucundum est aliena viuere quadra. Sic Gnato in Eunucho Terentij, Act.2.Sce.2. Viden' otium, & cibus quid faciat alienus? Est autem mus, exiguum animal incola domus nostræ, rosor omnium rerum. Vnde a sono, quem rodendo facit, Latinè etiam sorex dicitur. A quo natum Terentianum prouerbium in eos, qui ipsi se produnt: Egomet, inquit Parmeno, meo indicio miser, quasi sorex, hodie perij In Eunucho, Act.5.Sce.7. Quod autem non conueniant, nec in vna sede morentur libertas & cibus alienus, eleganter indicat Apologus AEsopicus, de mure syluestri, & domestico.

*Mus.*

*Quid.* *Quid?*) Cum insultatione pronunciandum.

*Quid?*) Deest dicis.

*Pigere & pudere.* *An non te piget tam acerbæ sortis?*) Pudet & piget ita distinguit Donatus, vt pudere sit ab his quæ turpiter fiunt: pigere ab his, quę cum malo damnóque. Pudere ad dedec⁹, pigere ad dolorem referatur. Pudet enim eius, quod turpe est: piget eius, quod dolet ac molestum est. Pudere, verecũdiæ est: pigere pœnitentiæ. Terent. in Adel. Act. 3. Sce. 3. Fratris me quidem pudet pigétque. Sallust. Nam posteaquã fecerit, incertum habeo pudeat an pigeat, magis.

*Si potis esses assequi.*) Potis esses posses. Fit autem potis à possum (licet quidam contrarium existiment) nempe quod possum à potis & sum componatur. Virg.

*Potis.* *Nec potis Ionios fluctus æquare sequendo.* Idém.

*At non Euandrum potis est vis vlla tenere.*

*Pote.* Dicitur & pote neutraliter. Persius.

*-Qui pote vis dicam?*

Id est, quomodo possibile est.

*Venter magister ingenij.* *Vẽter magister ingens meos conatus iuuerit.*) Hoc prouerbiõ innuit ignauam esse opulentiam: inopiam verò multarum artinm repertricem. Virgil.

*- Labor omnia vincit.*

*Improbus, & duris vrgens in rebus egestas.* Ouid.

*Ingenium mala sæpe mouent.* Persius.

*Quis expediuit psittaco suum Chere?*

*Coruos quis olim concauum salutare,*

*Picásque docuit verba nostra conari?*
*Magister artis, ingeníque largitor, venter,*
*Negatas artifex sequi voces.*

Plautus in Sticho. Paupertas fecit ridiculus forem. Nam illa omnes artes perdocet, vbi quem attigerit. Et vt vulgare fertur prouerbium: paupertas sapientiam sortitur. Quod enim suadet oratione sapientia, quæ circa doctorem contigit, ad hoc re ipsa compellit paupertas. Hinc illud Mimi Publiani: Hominem experiri multa, paupertas iubet.

*Sed nescio quam fœliciter.*) Deest fieri poterit, vt nostram disciplinam assequaris. Et vide quàm scitè parasitorum morem exprimit. Primum quidem tergiuersatur, fingens rem non esse parui momenti atque molis, verùm ingentis mysterij in suam disciplinam admitti. Subinde ex filo corporis ac ingenio, more Pythagoreo, ipsum metitur, suis technis subindicans illum ad hoc parum idoneum. Quasi dixerit. Assequi non valeo, quonam modo id commodè ac beatè fieri posit, vt in nostrum suscipiaris contubernium, cùm alioqui te conspiciam ad hoc parum accommodum, & habilem.

*Fœliciter.*

*Hem.*) Stomachantis interiectio. Potest etiam esse demonstrantis aduerbium: Aspiratum autem amplioris soni gratia.

*Hem.*

*Me vide.*) Me habe, me respice. Terẽt. in And. Act. 2. Sce. 2. Atque istuc ipsum nihil pericli est: me vide.

*Me vide.*

*Vt prolixè agis.*) Vt pro quantum. *Prolixè.*) Remissè, oscitanter, languidè.

*Vt prolixè agis.*

*Vt prolixè agis.*) Vox est destomachantis, aut potius indignantis in eum, qui rem cunctantius demandat operi

*Rape me.*) Rapere propriè, est cum impetu quodam & violentia auferre, trahere, euellere. Terẽtius in Phormione Act. 5. Sce. 6. Hem quin ego? Rape me, quid cessas? Hìc itaque Pantolabus cum festinantia se recipi in parasiticam disciplinam exoptat, ad hoc vtique vrgente famis angustia pressus, quod & bis repetitum verbum satis arguit. Sic fere, sed aliquãtò modestiùs Gnato ille apud Terentium in Eunucho. Actus, 5. Scena, 9. Vnum etiam hoc vos oro, vt me in vestrum gregem recipiatis: satis diu hoc iam saxum voluo

*Rapere.*

*Sodes.*) Si audes, vt sis pro si vis, ilicò ꝑ in loco. Id quidẽ

*Sodes.*

ex istimant hortantis aduerbium esse, precationem, vel exhortationem denotans. Priscianus contrà esse verbum autumat.

*Inauctorare.* *Auctorare.* *Auctoramentum.* *Exautorare.* *Exautorati.* *Collegium.* *Collegæ.*

*Collegio tuo inauctorandum rape.*) Hic præpositio in, cum verbo auctoro composita, solemnitatem quandam importat quemadmodum in verbo indico, cis, quod ritu solemni aliquid promulgo, aut iubeo significat. Est autem auctorare, aliquem aut sacramento, aut præmio obligare, siue subiicere. Hinc auctoramentum, quod est obligatio nexúsque, ac veluti stipendium alicuius militiæ, pugnæ, aut actionis. Vnde Marcus Tullius. 1. Offic. ait mercedem esse auctoramentum seruitutis. Et Seneca non minus sententiosè quã eleganter ait nullũ sine auctoramento malum esse. Ab hoc fit exautoro, & exautorati milites, qui missionẽ habuerũt. *Collegio tuo.*) Scitè collegio dixit pro congregationi, vel ordini, vel gregi, quod vnà cum parasitis velut sui ordinis hominibus colligi velit. Collegium nempe à collega dicitur. Collega verò à legẽdo, quod vnà electi sint. Sunt autem collegę, qui in legatione aut magistratu socij sunt, eãdem potestatem habentes. Collegium verò societatem ipsorum collegarum significat. *Collegio tuo inauctorandum rape.*) Hic mihi quoque videtur alludere ad morem illum antiquum, quo in collegium virginum olim asciscebantur vestales virgines, quæ obseruationi ignis perpetui & cultui diuæ Vestæ à primorib⁹ patrum electæ præficiebãtur: quarum negligentia si forte sanctus ignis restinctus esset, flagris à pontifice maximo cedi iubebantur. Quas quidem ab eodem pontifice velut ab hostibus capi moris fuit.

*Callere.* *Callus.* *Callidus.*

*Postquàm nullã planè artem calleo.*) Calleo, scio, nosco. Terent. in Heaut. Act. 3. Sce. 2. Etenim quo pacto id fieri soleat, calleo. Et in Adel. Act. 4. Sce. 1. Ego illius sensum pulchrè calleo. Fit autem à Callus, qui est cutis labore viæ pedibus aut alio quopiam opere manibus densior facta. Sed quemadmodum ex longo itineris labore pes callum obducit: ita mens longa experientia facit habitum quendam rerum, in quibus versatur. Hinc callidus, astutus, Calliditas, astutia, & Callidè, astutè.

*Qua possim viuere οἰκόσιτος.*) Id est, alì domi gratis, A nomine οἶκος, quod domum significat, & σῖτος, frumentum.

*Au.*

*Au.*) Silentium iniungentis interiectio. Terentius in Eunu-

nucho, Act. 4. Sce. 3. Aù obsecro mea Pythias, quid istucnã monstri fuit?

*Non sunt illotis sacra hæc manibus tractanda.*) Pamphagus more parasitico atque adulatorio, quæ parasitorum sunt, sacra adpellat, quasi contactu illicita: alludens ad veterũ ritum, apud quos multum erat discriminis inter res hominum, atque res deorum. Adeò vt Homerus etiam vocabula discernat, quibus dij cõsueuerũt vti à vocibus humanis. Et Pythagoras à quibusdam iusserit abstineri, quod numinibus essent consecrata. Vnde qui nihil habent pensi, quíque nihil non audent, miscere dicuntur sacra prophanis.

*Sacra.*

*Illotis manibus.*) Prophanè, & irreuerenter. Quod enim nimis confidenter, nimísque stolidè fit, id illotis manibus seu pedibus fieri dicitur. Translatum quidem, vt ait Erasmus, à sacrorum ceremoniis, in quibus omnia pura lotáque iubebãtur exhiberi. Gellius in Noct. Illotis (quod aiũt) pedibus & verbis reprehendit doctissimi hominis orationem.i. parum verecundè, nimísque procaciter & petulãter.

*Illotis manibus.*

*Satis ne lotus sim, qui corruger fame?*) Rectè: Nam venter, qui auribus carere dicitur, parum curat, quibus manibus pedibúsve sibi sacra fiant, id est, quo iure quaque iniuria, aut puritate, illatis aut acquisitis cibis, modo iisdem placetur iratus. Vbi enim de pastu agitur, non admittuntur honestæ rationes. Qui vẽtris addictus est voluptatibus, nihil recipit quod ventri nõ sit amicũ. Venter (inquit Seneca lib. 3. Epist. 21.) præcepta nõ audit, poscit, appellat. Nõ est autẽ molestus creditor, paruo dimittitur, si modò das illi quod debes, non quod potes. *Qui corruger fame.*) Corrugari, est rugas cõtrahere. Hinc corrugata, cõtracta, obducta & caperata frõte alius alium alloqui dicitur, vbi quid illi molestum est.

*Venter auribus caret.*

*Corrugari fame.*

*Specimen tuæ artis des oportet.*) Translatio est de tyronibus, aut de iis qui aliquod opificium profiteri volunt, a quibus solet argumentum, probatio, & exemplar artis in qua se exercere volunt, expeti ab eiusdem artis præfectis, quò videatur si ad illam sint idonei, aut perdidicerint an non: ne quod ex hinc intertrimentum aut fraus oboriatur.

*Specimẽ dare suæ artis*

*Dehinc nostris comitiis indictis.*) Id est, postquam nostros conuentus aduocauerimus. Comitia etenim appellamus populi conuentum & coitionem ad magistratus creandos, legésque ferendas, à simul stando sic appellata.

*Indicere comitia.*

*Dare nomẽ* *Nomen dabis cum plausu & gloria.*) Dare nomẽ, est in albo
*Dare man'* ascribi, profiterique nihil se facturum quidpiã cõtra volũtatem illius, cui se subiicit. Dare manus verò, est se fateri victum. Nã qui se victori dedunt ne interimantur, vltro manus ad vincula offerunt. Horat.

*Iamiam efficaci do manus scientiæ supplex.*

*Ea lege.* *Ea lege.*) Ea cõditione. Terent. in And. Act. 1. Sce. 2. Ea lege, atque omine, vt si te inde exemerim ego pro te molam.

*Re salua.* *Re salua.*) Integra, incorrupta, ac nondum abligurita. Sic Gnato apud Terentium in Eunucho. Act. 2. Sce. 2. Quibus & re salua & perdita profuerim, & prosum sæpe.

*Ingratitudo.* *Immemor.*) Tanta est ingratitudinis nota, vt contra parasitorum inuiolabilia decreta, malit Pantolabum in suam ipsorum disciplinã suscipere, quàm committere vt beneficio accepto non dicam indignus sed ne victus quidem videretur. Vtpote quòd nihil sit tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm gratiarum immemorem præstare se, aut quouismodo inueniri. Omnes enim beneficij immemores oderunt, si quid Marco Tullio credimus.

*Parasitaster* *Agè, suscipio te parasitastrum.*) Parasitaster, non paruus parasitus dicitur, sed parasitorum imitator. Parasitastrũ ergo suscipit non parasitum, quia comitia nondum indicta fuerant, quò altius promoueretur, & gradum susciperet parasiticum.

*Agere gratias.* *Habere gratiam.* *Referre gratiam.* *Habeo pol gratiam.*) Qui habet apud se gratiam, nondum retulit. Retulit, qui desistit habere. Agimus itaque gratias, quũ verbo nos ostendimus memores esse beneficij accepti. Habemus gratiam, quum animum & mentem gratã habemus. Referimus gratiam, quum facto beneficiũ aut iniuriam acceptam compẽsamus. Terentius in Eunucho, Act. 4. Sce. 6. Et habetur, & refertur à me Thais tibi, ita vt merita es, gratia.

*Obseruare* *Obseruãtia* *Vt me obserues sedulò.*) Obseruatio, vt ait Donatus, duplex est, vna captionis, altera obsequij. Hic ergo obseruare venerari significat, & cum quodam cultu atque admiratione suscipere, audire, honorare: hinc obseruantia, hoc est, venerationis exhibitio. Aliàs, est custodire aliquid oculis animóque, in modum speculatoris. Terẽtius in And. Act. 1. Sce. 1. Nunc tuum est officium, vt filium obserues quid agat, quid cum illo consilij captet.

*Quidum?*)Id eſt,quod barbarè diceretur, Et quomodo? Dũ enim expletiua particula eſt,vt ĩ agedũ, adeſdũ ehodũ. *Quidum.*

*Seria curanda ſunt.*)Hoc eſt,incumbere oportet in res minimè friuolas, inanes, & fruſtraneas, ſed graues ac minime iocoſas.Terentius in Eunucho.Act.3.Sce.3.Ait rem diuinã feciſſe,ſe & rem ſeriam velle agere mecum. *Seria curare.*

*Securus quónam ferrer pede?*)Hæc lectio poteſt interrogatiuè, vel ſine interrogatione legi. Si abſque interrogatione legas, ſubaudiendum erit verbum neſcio, vt ſit, Securus quonam ferrer pede neſcio. Alludit autem per emphaſim ad præcedens verbum curanda ſunt. Nam ſecurus dicitur, qui ſine cura eſt,quaſi ſeorſum a cura. Quaſi diceret. Qua itineris parte deferri valeo, ſine cura & animi anxietate,cui præ fame in pedes decidit animus? *Securus.*

*Niſi ſeria ventris negotia appellites.*) Vide quàm appoſitè pro paraſitorum more loquitur, quorum hac ſola tendit ſollicitudo,vt ventrem expleant.

*Scilicet.*)Confirmantis aduerbium quaſi ſcire licet. *Scilicet.*

*Iſtuc perſuaderes Catonibus.*) Quaſi arduum ſit tetricis ac ſeueris hominibus perſuadere ventris negotia, ſeria appellanda eſſe,cũ illi ad res animi potiſsimum illa retorqueant.

*Catonibus.*) Duorum Catonum,ſenioris,cui nomen cenſorio,& minoris,cui nomen Vticenſi,grauitas pariter atque integritas tãtá quondã celebritate viguit,vt è cœlo demiſsi dicerẽtur,qui bellũ cũ vitiis gererẽt. Quo factũ eſt, vt tertius Cato, aut ſapientũ octauus iactetur ironicè, in homines tetricos, alienęque vitę cenſores: aut in eos qui ſibi non parum tribuunt in ſapientia. *Catones.*

*Rigidiſque Sophis.*)Septem apud Græcos numerantur ſapientes,quorum Apophthegmata oraculorũ vicẽ celebrãtur,rigidi quidem illi & ſcelerum acerrimi cenſores. Horũ primum ferunt Pythagoram,qui ad olympiacum certamẽ accedens, interrogatúſque à Leonte Sycioniorum tyranno,quo nomine vocaretur, cùm ſolum deum ſapientẽ eſſe prædicaret,philoſophum ſe eſſe reſpondit,hoc eſt, ſapientiæ amatorem. Etenim vſque ad id tempus omnes qui circa rerum occultarum ſpeculationem verſabantur, Sophi, hoc eſt,ſapientes vocati fuerãt:hinc philoſophi nomẽ habuere. *Sophi.* *Pythagoras ſolum deum ſapiẽtem dicebat.*

*Si quid vales oratione.*) Id eſt, oris ratione, vel ſermone. *Oratio.*

*Pro ſuo illi ſapiãt ingenio.*)Rectè ſapiũt à paraſito prolatũ, *Sapere.*

nempe in rem suam, hoc est, in ventris negotia illud retorquens, alludénsque ad condimentum quod gustu ac saporē temperant coci. Hinc illud Plautinum in truculento militi atrociter minitanti respondetur à parasito: Sis tu in legione bellator si vis, & ego in culina Ares. *Pro suo ingenio.*) Pro vi naturali sibi ipsis insita: vel pro naturæ acumine sibi ingenitæ.

*Pro suo ingenio.*

*Desipere.*

*Nobis item palatum neutiquā desipit.*) Sapere, rectè sentire aut gustare significat, desipere contrarium. Est ergo sensus. Si illi pro suo ingenio sanam opinionē de rebus seriis habent, non obest, quin & nos pro nostro quoque licet ab eorum decretis ac dogmatibus diuersam, integrā nihilominus ac synceram habeamus. Incumbunt illi, pro decem sectarū suarum diuersitate, rerum aut diuinarum aut humanarum scientiæ. Nos saporum decem generibus quæ seria nostro more vocamus, vtputa dulci, suaui, pingui, amaro, austero, acri, acuto, acerbo, acido, salso, operam damus. Illi sæpe falluntur, & plerunque insaniunt mole scientiæ oppressi. Nos in re culniaria apprimè edocti, haud quaquam fallimur, sed in dies doctiores euadimus nisi aliquando plus iusto, potu circunuenti. Illi mente vigent, nos palato. Illi torquentur animo nos egregiè indulgemus genio. Hæc autem à Syro apud Terentium in Adel. Act.3. Sce.3. quàm exactissimē exprimuntur, quæ prolixitatē deuitantes, cōsultò omittimus.

*Saporū decem genera.*

*Hîc & nos philosophi sumus.*) Non solum se magnis illis philosophis opinione & sapientia æquiparat, sed & dogmatum ducibus, & asseclis. Vt quemadmodum erant variæ philosophorum sectæ, dictæ quidem ab iis, quorum illi sectabantur dogmata: ita parasiti habeāt quos ęmulētur, nēpe Aesopū & Gnatonē illū insignē heluonē Terētianū. Quorū ille fuit fabulator clarissimus: hic verò sūmus assentator à Terētio inducitur. Vnde apud eūdē in Eunuc. Act.2. Sc.2. hoc pacto de se prædicat. Tāquā philosophorū habēt disciplinę ex ipsis vocabula, parasiti itidē vt Gnatonici vocētur

*Aesopus Gnato.*

*Cuius secta plurimos clientes in forum producimus.*) Nota hîc & clientes, & producimus. Persistit enim in arguta imitatione allusionéque suæ artis ad philosophorum greges & sectas. *Producimus.*) Protrahimus, porro dicimus. Hinc productores dicuntur, qui virgines abducunt, eásque ad quęstum exponunt. Terentius in Heaut. Act.1. Sce.1 Omnes produxi

*Producere.*

*productores*

ac vendidi. Et in Adel. Act. 3. Sce. 3. Qui egomet produxi.

*Plurimos clientes.*) Id est, sectatores. Quanquam sit propriè cliens qui sub tutela & patrocinio alterius est. A quo clientela, quod modò multitudinem clientum modò eorum officium erga patronos significat.

*Cliens.* *Clientela.*

*Quibus sed ducibus freti?*) Nulla secta conflata est aliquãdo, quæ suos duces nõ habuerit, quibus niteretur Academica, suum habuit Platonem: Cyrenaica, suum Aristippum: Eliacis, suum Potiõnem: Megaricis, suum Euclidẽ: Cynica, suum Antisthenẽ: Erectricis, suum Menedemũ: dialecticis, suum Clitomachũ: Peripatetica, suum Aristotelẽ: Stoica, suũ Zenonẽ, Epicurea, suum Epicurum. Nã hæ sunt potissimũ philosophorũ sectæ, & earum duces quibus innitũtur illi.

*Decẽ philosophorũ sectæ.*

*Magnis.*) Et authoritate, & sapientia. *Magnis.*) Magnos appellat sectæ parasiticæ duces ac suffraganeos, quò facilius Pantolabus iam recens sacris parasitorũ initiatus, & idcirco adhuc omnino rudis & imperitus, illis fidem habeat.

*Magni.*

*Epicuro.*) Epicurus homo voluptuarius (quẽ alioqui perfricti oris adpellat Cicero 3. Tuscul.) eum solum esse beatũ contendebat, qui præsentibus voluptatibus frueretur, confideretque se fruiturum, aut in omni, aut in magna parte vitæ, dolore non interueniente: aut si interueniret, si summus foret, futurum breuẽ: si productior, plus habiturum iucundi quàm mali. Hæc cogitantem fore beatum, præsertim si ante perceptis bonis contentus esset, nec mortem, nec deos extimesceret. Ea sunt verba Ciceronis ex libro supra aduocato exprompta, quibus formam beatæ vitæ, verbis Zenonis expressam denarrat. Rursus ille Epistola ad Papirium Petũ: in Epicurei inquit nos aduersarij nostri castra coniecimus. Hec secta sectatores habet infinitos, vtpote delicata & amabilis: quum homines illuc libentissimè concurrant, vbi audiunt laudari voluptatem, quærẽtes libidinibus suis patrocinium aliquod, & velamentum. Tradunt autẽ Epicureos philosophos annua febri quo die nati fuerãt correptos, qua quidẽ & mortui sunt, atq; eodẽ etiã die de quib9 Sidonius:

*Epicurus.*

*At Epicureos eliminat vndique virtus.*

*Epicurei oĩs febre mortui sunt eo die quo in lucẽ prodierunt.*

Tu plura apud Horatium & Iuuenalem legere poteris.

*Aristippo.*) Aristippus Socraticus fuit, illustris conditor Cyrenaicæ philosophiæ, summus assertor voluptatis, in ea summũ bonũ collocans, & è regione dolorem summũ ma-

*Aristipp9.*

lum ex consequentia contrariorum,esse decernens. Si voluptas,inquit,est summũ bonũ, consequens est vt dolor sit summũ malũ. Ad quã quidẽ eneruatã muliebrẽmque sententiam,satis docilem se Epicurus prębuit. Post hunc Rhodius Hieronymus dolore vacare summũ bonũ dixit, tantũ in dolore duxit mali. Cæteri præter Zenonẽ, Aristonẽ,& Pyrrhonẽ idem fere cẽsere.Stoici siquidẽ nihil præter dedecus in malis ducebant,sicut nihil in bonis præter virtutẽ. Dolorẽ dicebant asperum quidẽ esse,molestum , odiosum, contra naturã,difficilẽ toleratu: sed quia nulla sit in dolore nec fraus,nec improbitas,nec malitia,nec culpa,nec turpitudo,non esse illud malum.Contrà vero Aristippus, cæterique Cyrenaici philosophi voluptatem lenem motũ , dolorem asperum motum adpellabant. Hinc Horatius:

*Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor.*

Hic dicere solebat lautiorem victũ, nulli esse impedimẽto ad bene viuendum. Et vt præsentibus voluptatibus libẽter fruebatur, ita & absentes facilè cõtemnebat.Tradunt quoque Platonem dixisse, soli Aristippo & chlamydem & pãnum fere datum esse. Horat.

*Omnis Aristipum decuit status,& color, & res.*

Catij. *Catiũ.*) Catius(a quo Catij philosophi ) fuit quoque Epicureæ sectæ assertor diligentissimus,qui & summum bonum in voluptate constituit,hoc futili inaníque argumento suam detestandam opinionem cõprobans : Nempe maximo impetu vltro ad voluptatem rapi homines: ad virtutem verò vix cogi posse. Item , Naturam maximè appetere conseruationẽ sui,voluptatẽ autẽ cõseruationẽ esse naturę, virtutem vero destructionẽ.Rursus,finẽ debere esse vltimũ, in quo natura acquiescit,nec aliud requirit præterea.Naturam adeptã virtutẽ recto legitimóque appetitu , adhuc nihilominus appetere voluptatẽ,hoc est,incolumitatẽ & cõseruationẽ.Ideo virtutem non esse vltimũ bonorũ. Sed facillimè hęc diluuntur refelluntúrque à Christiana fide imbutis.Est autẽ hic Catius de quo meminit Horat. Saty. 4. libri.2.Item Cicero libro familiarium Epistolarũ.15.Epist. 16. Scripsit quatuor libros de rerum natura , & de summo bono,de quo Quintilianus.In Epicureis leuis quidem,sed non iniucundus tamen author est Catius.

Apicij. *Apicius.*) Marcus Apicius (à quo Apicij philosophi di-

cti) inter gulæ proceres maximè insignis fuit, altissimúsque nepotum omnium gurges à Plinio seuerissimè adpellatus. Hic Romæ (ex qua aliquando Philosophi huiusmodi velut corruptores iuuentutis abire iussi sunt) scientiam popinæ professus, disciplina sua seculum infecit. Adeò vt ab ipso propagatum in cocos cognomentum, vt Apiciani, siue Apicij dicerētur, quadam Philosophorum imagine. Cū in Alexandria astacos, squilásque, quibus auidè vescebatur, magna conquisisset cura, & non reperiens audisset in Lybia capi prægrandes, ne diei quidem vnius moram sustinens, in Aphricam confestim transmisit. Quod vbi falsum comperit, execratus prouinciam & incolas, ita regredi instituit, ne vnquam eas terras attingeret. Postremò cum sestertium millies in culinā cōgessisset, cum tot congiaria principum, & ingens capitolij vectigal singulis comessationibus hausisset, ære alieno oppressus, rationes suas tum primū coactus inspexit, superfuturum sibi sestertiûm cēties computauit: & velut in vltima fame victurus, in sestertio centies si vixisset, veneno vitam finiuit. Author Cęlius Rhogidinus. Erasmus quoque libro de Ciuilitate morum puerilium, ita de huiusmodi inquit: Illud in vniuersū tradi potest Apiciorū esse ōni ex parte, quicquid palato blāditur, abradere.

*Duces illi haud sunt pœnitendi per genium.*) Eleganter Pantolabus audito catalogo eorum, quibus parasitorū secta innititur, & quorum dogmatibus maximè capiebatur, in eorum laudes extollitur, per Genium, cui summopere indulserunt illi, & idem facere suis decretis docuerunt, deierans. Apud veteres autē cum sanctè & religiosè deieraretur, aut per Iouem lapidem dicebant, aut per caput illius, quem charissimum habebant, aut per Genium suum siue illius cum quo sermo erat, & aliquando principis. Terentius in And. Act. 1. Sce. 5. Quod ego per hanc te dexteram oro, & genium tuū, per tuam fidem, pérque huius solitudinē te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras. *Haud sunt pœnitendi.*) Non sunt cōtemnendi. Quasi diceret: Eos tales esse existimo, vt nulla à quoquam pœnitentia duci iure possit, qui illos secutus fuerit, eorúmque disciplinam adeptus.

*Per geniū.*

*Non sunt pœnitendi.*

*Rectè.*) Subaudiendum dicis.

*Nescis quæ viderim insomnia.*) Omnium quæ videre sibi dormientes videntur, quinq; tradūt principales diuersitates

*Insomnia.*

& nomina. Somnium, viſio, oraculum, inſomnium, & phã-taſma, quod Cicero viſum appellat. Fit autem inſomniũ, quotie[illegible]i animi corporiſue, aut fortunæ incommodis, qualis [illegible]em fatigauerat, talem ſe ingerit dormiẽti animus. Læt[illegible] enim læta videt, mœſtus mœſta, aut deceptus in ſomno contraria, ſic aliis corporis qualitatibus. Nã cùm cibo aut vino grauati ſumus, aut ſuffocari, aut exonerari videmur: ſi inanes cibo potúve ſimus, aut deſiderare, aut inueniſſe nobis videtur. Fortunæ etiam potentia aut minui, aut augeri putamus. Sed hæc híſque ſimilia, quoniã ex habitu mentis (vt autor eſt Macrobius) quietem ſicut præuenerãt, ita & turbauerant dormientis, vnà cum ſomno aduolant, & pariter euaneſcunt. Dicitur nempe inſomniũ, non quia accidat per ſomnium, ſed quia in ipſo ſomnio tantum eſt.

*Quomodo fiat inſomnium.*

*Falſa?*) Rectè an falſa ſint interrogat, Nam ea plerumque plus vánitatis adferre ſolent, quàm diuinitatis, iuxta illud Maronis. Sed falſa ad cælum mittunt inſomnia manes. Vbi quidem cœlum viuorum regionem vocat, quòd ſicut dij nobis, ita nos defunctis ſuperi habeamur. Idem: Anna ſoror, quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent? Quinq; ſunt ergo viſionũ ſpecies, quarũ duæ inſomniũ & phãtaſma falſæ ſunt: oraculũ verò, viſio & ſõniũ veræ. Vnde ſubiicit.

*Inſomnia falſa.*

*Poſt medium noctis ferunt vera eſſe ſomnia.*) Id fieri putant quidam non ſolùm ea de cauſſa, quòd percocta ciborum mole, ſedátaque paulùm vaporum ac extrenarum rerũ cura amplius ſobrij ſimus. Sępius enim cibo inanes quietẽ petimus, neque tamen cõtingit viſionũ perſpicuitas. Sed eo itẽ nomine quòd & Solis Phœbique vatis (vt veterũ more loquar) acceſſu roborari vaticiniũ ſolet. Sanguinei quoque ſpiritus, igneique ea hora dominãtes claritate ſua, ſomniali conferunt claritati. Accedit id euidens quoque, quòd obuerſantia expergefacti mox conſequentium imaginum turba, non confundimus. Hinc ſermonum primo. Horat.

*Quomodo verò fiant ſomnia.*

*Atque ego cùm Græcos facerem natus mare citra*
*Verſiculos, vetuit me tali voce Quirinus:*
*Poſt mediam noctem viſus, cùm ſomnia vera.*

*Hodie conſtrato in thoro.*) In lecto ornato atque compoſito. Vnde ſtratum mare dicimus. complanatum, & ſtratas vias, quæ lapidibus tectæ ſunt. Virgil.

*Stratum.*

*Et omne ſtratum ſilet equor.*
Idem. *Miratur portas, ſtrepitúmque, & ſtrata viarum.*

*Conſtrato in thoro.*) Thorus à tormine morbi genere, ſeu ab intoratis herbis dicitur. *Thorus.*

*Accumbere.*) Nã veteres in lectis edendo ſolebãt iacere. Virgil. *Tu das epulis accumbere diuûm.* *Accumbere.*

*Lautus.*) Ablutus, mundatus. Terentius in Phor. Act. 2 Sce. 2. Tene aſymbolum venire vnctum, atque lautum è balneis, otioſum ab animo, quum ille cura & ſumptu abſumitur? Aliâs copioſum, magnificum, abundantem ſignificat. Quod tractum à lauatione conſtat. Non enim apud veteres erant elegantiæ, quas apud Romanos fuiſſe tradunt hiſtoriẹ, raro namque lauabantur. Hinc lautitia, epularum magnificentia dicitur. *Lautus.* *Lautitia.*

*Vnctúſque.*) Nitidus, ſplendidus. Fiebat nempe apud eos commiſtio quædam diuerſorum odorum addito oleo, aut balſamo, aut aliquo pingui, quod vnguentum vocant, ad vngenda corpora, priuſquam accumberent, deliciarum ac luxuriæ cauſſa. *Vnctus.*

*Cærealem dixiſſes cœnam.*) Cærealis cœna, pontificia cœna, dubia cœna, his modis conuiuium opipare, ſumptuoſe, & eleganter apparatum ſignificamus, atque extructum. Peniculus in Menechmis Plauti: Cæreales cœnas dat, ita mẽſam extruxit. Tantas patinarias ſtruices concinnat. Standum eſt in lecto, ſi quid de ſummo petas. Legimus & Adipales cœnas, & Odipoſas, & Adiiciales. *Cæraleis cœna.*

*Hinc velut è pleno cornu.*) Id eſt, abundè, affluenter, copioſè, quod aliter dicimus plena manu. Cicero Attico: At hercle alter tuus familiaris, quàm plena manu, quàm ingenuè, quàm ornatè noſtras laudes in aſtra tulit. Dicitur verò prouerbium (vt ait Eraſmus) de his qui rerum omne genus domi conditum habent, & à quibus quiduis poſsis petere. Plautinus paraſitus epiſtolam cornucopiẹ adpellat. Et A. Gellius, Pleniúſque teſtãtur, autores nõ nullos, id tituli ſuis commentariis indidiſſe: tanquam in eis nihil non contineretur, omniáque inde petenda eſſent. *Pleno cornu.* *Plena manu.*

*Inde adeò in digitos pedis, mihi ſtandum erat.*) Oportebat me erigere ſuper pedes. *Stare in pedes.*

*Vt de ſummo quicquam peterem.*) Petimus precario, Poſcimus imperioſè, Poſtulamus iure. *De ſummo.*) De *Petere, poſcere, poſtulare.*

summitate, de altitudine, de sublimitate mensæ sic extructæ. Summum enim significat, quod est omnium altissimum Cicero: Summam aquam attinget, enectus siti Tantalus. Aliâs significat extremum. Quandoque gloriosum, laudabile.

*Summum.*

*Dis.*

*Dis quidem videbar.*] Dis à diuitiis deducitur, quod nomen Plutoni dederunt, ob id sanè quòd πλοῦτον Græci diuitias dicant. Quò fit vt à nobis dis, id est, diues appelletur. Quippe terrenam omnem vim atque naturam, diti patri dedicaram putabant, quòd diuitiæ omnes è terris oriantur, & in terras recidant.

*Affluere.* *Bona delitiæ.* *Delitiæ.*

*Cui adfluerent bona vndique delitiæ.*] Dicimus affluo delitiis, & affluunt mihi delitiæ, pro adsunt, abundant. *Bonæ.*] Magnæ. Sic Terentius in Eunucho, act.2.Sce.3. Bonas fœlicitates dixit. Delitiæ autem dicuntur propriè, quæ maximè sunt nobis voluptati, à deliciendo, hoc est, alliciendo nos in voluptatem.

*Gestire.*

*Vt dentes venterque hinc gestiant mihi.*] Metaphorica deflexio est ab animato ad inanimatum. Gestire namque propriè, est (sicut superius diximus) lætitiam animi quodam corporis motu exprimere.

*Visa.*

*Quid visus talorum iactus.*] Omnia quæ sensu percipi possunt, visa dicimus. Terentius in Hecira, Act.3.Sce.1. Matris vox visa est Philumenæ. Virgil.

*Visaque canes vlulare per vmbram.*

*Iactus.* *Tali.*

*Iactus talorum.*] Emissio, ac eiaculatio alearum. Fit autẽ à verbo iacto frequentatiuo à iacio, quod emittere significat. Sunt autem tali, autore Varrone, tesseræ, quibus in alueolo luditur, qui cum iaciuntur, quancunque in partẽ incubuerint, dum sunt intacti, immotam habent stabilitatẽ. De quo plura inferiùs.

*Portẽdere.* *Portẽtum.*

*Portendat.*) Significet, prædicet: fit autem à porro & tẽdo, hoc est, longè tendo. A quo portentum, quod aliquid futurum portendit. Aliâs pro re inani, falsa, atque ridicula. Cicero: Aut quid negotij est hoc poëtarum & pictorum portenta conuincere?

*Omen.*

*Ominis boni.*] Omen dicitur, quasi ore augurum dictum, quasi oremen, licet alij ab omento, quod extispices notare solẽt, appellatũ velint. Est autẽ omen verbũ mediũ. Modò significat auspicium prosperum, modò aduersum. Virgil.

*Ignauus bubo dirum mortalibus omen.*

*Vah somnium hominis: quæ narrat!*) Pantolabus ventris nō-dum placati haud immemor, somniis Pamphagi velut inanibus, & parum propitiis obtundi se demonstrat, vt quæ narraret ille, nihil ventri irato opis adferrent. Sic Lucianus in Harmonide: Omnia illa, inquit, subuentanea somnia sunt, & verborum vmbræ. Idem in dialogo Nerei, Thersitæ, & Menippi. Somnia mihi narras. *Somnium.*

*Vereor ne læuus hic augur sis.*) Læuus, futilis, inconstans, falsus. Quædam enim insomnia portendunt aliquid, quædam inania sunt. Vnde & de re friuola & vana dicitur. Cæcum insomnium. *Augur.*) Diuinator, vates. *Læuus augur.*

*Abi in malam crucem.*) Comminantis est vox, & abigentis à se, perinde valens, atque illud quod vulgare erat antiquis. Abi ad coruos: vel, abi in malam rem, atque exitium. Quo vtimur, cum hominem, vel rem exitio dignam cruciatui deuouimus. Tractum à supplicio damnatorum, cum in patibulum suffigūtur, dictum vero à Græco κρούειν, quod est ferire, pulsare. Hanc veteres Gabalum vocauere. Terentius in And. Act. 2. Sce. 1. Abi hinc in malam crucem cum suspitione istac scelus. Affinia sunt. Mitte in aquam, id est, aufer è medio. Item. Aufer te in beatam, hoc est, in rem malam. *Abi in malam crucem.*

*Dignus quem nunquam sancta Saturitas beet.*) Saturitas erat antiquis satietatis dea. *Beet*, Consoletur, beatum fœlicémque faciat. Terentius in And. Act. 1. Sce. 1. O factum bene, beasti me, timui à Chriside. Plautus in Trucul. Hoc me beat saltem quoniam perduelles vicit, & domum compos laudis reuenit. Fit autem beo à beatus, qui propriè dicitur qui rebus omnibus ad vitæ vsum ornatúmque spectantibus affluit. Quo fit vt locupletes homines, aliquando beatos vocemus. *Sancta Saturitas.* *Beare.* *Beatus.*

*Somnis tuis satures.* Ironicè. *Satures.*) Expleas, si quo-quomodo possis me somno beatiorem efficere. *Saturare.*

*Si quid habent rei.*) Vtilitatis, compendij vis & efficaciç. *Res.*

*Irrides?*) Cum stomacho pronunciandum. *Irridere.*

*Qui carbonarias opes pro germanis ostentes?*) Quum vilissimas opes, futilésque, ac nullius momenti adpellare volumus, eas carbonarias dicimus, hoc est, fuco quodam obtectas. Huic non dissimile citat Erasmus prouerbium in *Carbonariæ opes.*

*Thesaurus carbones.* Chiliadibus, Thesaurus carbones erant. Quod quidem in eos competere dicit, qui spe sua frustrantur, quique magnificis rebus expectatis, meras nugas reperiunt. Lucianus in Timone de auro inuento: Vereor ne expergefactus, carbones reperiam. Ex euentu autem quopiam ait natum, quo quispiam thesauri spe fodiens, carbones defossos inuenit, Eáque res in risum, vulgíque sermonem abiit.

*Somniis fœlix.* *Somniis fœlix.*] Hoc quoque prouerbialiter effertur de votis immodicis. Nam quicquid optaris, id somniare contigit quibuslibet, sicut Mycillus ille Lucianicus, diuitem se ac præpotétem somniat. Apud Theocritum piscator somniat aureum piscem. Et infimæ sortis homines plerunque reginarum coniugium somniant. Videtur huc allusisse Marcus Tullius in Sallustium: Vnde tu qui modo ne paternã quidem domum redimere potueris, repente tanquam somnio beatus, hortos pretiosissimos, villam Tiburti, & Cæsaris reliquas possessiones paraueris?

*Ridiculũ.* *Ridiculum.*] Deest dicis, vel est, nisi potius aduerbialiter accipere velis, vt est illud in And. Act. 3. Sce. 1. Hui tam cito? Ridiculum. Est autem ridiculum cum substãtiuum est, sermo risum excitans. Eodem significatu dicitur à Terẽtio in And. Act. 1. Sce. 3. Fabulæ. Cum verò adiectiuum est significat quid contẽptu & decisione dignum. Idem in Eunucho, Act. 2. Sce. 2. At ego infœlix, neque ridiculus esse, neque plagas pati possum.

*Lubet.* *Lubet.*] Veteres dixerunt pro libet, sicut lubedo pro libido.

*Vates.* *Porrò quàm non sim stultulus vates.*] Antiqui vocabãt vates, quos Græci dicunt prophetas, id est, fanorum antistites, & diuinorum oraculorũ interpretes: vel quasi fates, quòd futura farentur, siue fata prædicarent. Vel à vinciendis versibus, id est, connectendis. Solebant enim afflati diuino numine versibus contextis futura prædicere.

*Stultulus.* *Stultulus.*] Imprudens, improuidus, qui fari nescit, vel alios fantes nõ intelligit.

*Stultorum feriæ.* Hinc stultorum feriæ adpellatæ Quirinalia, quòd eo die sacrificabant ij, qui solenni die aut non poterãt rem diuinam facere, aut ignorauerant.

*Cellarius.* *Dum fiam hinc cellarius.*] Cellarius procurator peni dicitur, quem nos barbarè dicimus dispensatorem. Et mirè. Nam, teste Donato, & cella, & cellarium, à reponendis ce-

landísque rebus esculentis & poculentis dicitur. Cellarius autem Plautinum est, apud quem nusquam non inuenitur.

*Cuiuspiam nummatioris domini.*] Inferius dicturus est: Triumpho seriò, postquàm cellarius euasi potentis domini, id quod futurum insomnia dudum prædicabant omine læto. Itaque hîc nummatiorem pro potēte accipit. Significat autem propriè pecuniosum, à numo quod & à numismate deducitur. Quo nomine vtūtur Latini ea ratione, qua & Græci. Fit autem ἀπὸ του νόμου, quod est lex: quia cum permutatione priùs homines vti solerēt, lege data numi vsus inductus est. Quò factum est, vt nostri numum monetam appellarint, quòd signo nomismatis monerentur, cuius precij esset. Hinc Plautina verba numosus numatus, & numularius, id est, campsor pecuniarum.

*Nūmatior*

*Numus.*

*Numularius.*

*Opulentia cuius construxero tam largum vētri commeatum.*] Sumit hic commeatum pro priuata alimonia. Aliâs significat cibaria ad ciuitates necessaria. Propriè tamen dicitur facultas discedendi ad tempus à militia, alióve ministerio data, ad præscriptum diem reuersuro. Dicitur, saluus cōductus.

*Cōmeatus.*

*Hic, credo, vigilans somniat.*] Hoc vultuosè ac verniliter efferendum, versus spectatores circunspiciēdo. Alludit autem ad dictum Platonis: Spes, inquit, est vigilantiū somnia. Sic Charinus adolescens ille Terentianus de suo consodali Pamphilo in And. Act. 5. Sce. 6. Num ille somniat ea, quæ vigilans voluit?

*Vigilando somniare.*

*Pamphage, beatum me in tuo regno tum quæso facias.*] Quod cuiusque priuatum est, regnum eius dicitur. Inde & Mœlibæus Virgilianus:

*Regnum.*

*Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.*

Scæuola apud Ciceronem in Oratore: Id nisi in tuo regno essemus, non tulissemus, id est, in tua villa. Quinetiam vulgò iactatur adagium, suæ quęque domi regem esse: quod tamen ab ipsa vsque manasse antiquitate videtur. Sic Charinus apud Terentium in And. Act. 5. Sce. 6. Age, me in tuis secundis rebus respice.

*Vel primus eris apud me, si probè aduleris.*] Ecce vnde Parasitorum constat beatitudo & regnum. Postremò (inquit Gnato apud Terentium in Eunucho, Act. 2. Sce. 2.) Imperaui egomet mihi omnia assentari: is quæstus nunc est multo vberrimus.

*Adulatio Parasitorum.*

*Plebiscitũ.* *Sed vnde plebiscita ordinis nostri petam?*) Plebiscitũ est lex, quam plebs non populus accipit. In plebe quippe neque equites sunt neque patritij: sed est vilior pars populi. Plebiscitum autem ideo dicitur, quòd plebs id quod rogabatur iam sciret, quasi plebis decretũ: vnde scita pro decretis sumuntur. *Ordinis nostri.*) Haud dubiè quin parasitici, in cuius album iam adscriptus erat.

*Gnato Terentianus.* *A Terentiano illo Gnathone.*) Hic à Terentio in Eunucho fingitur insignis assentator, callidus tamen, qui sectam adulandi instituens, corruptos hominum mores in assentationem prolapsos ostendit, adeò vt honestæ quoque personæ in eius culpa inuentæ sint. Dicitur autem Latinè gena, vel maxilla, seu mandibula, siue bucca, ab edacitate.

*Vir princeps.* *Principe viro.*) Ex quo Parasitorum secta traxit originem. Id eo contestante in Eunucho, Act. 2. Sce. 2. Olim isti fuit generi quondam quæstus apud seclum prius. Hoc nouum est aucupium: ego adeò hanc primum inueni viam. Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt, nec sunt, &c.

*Hic te opus fuerit interprete optimo.*) Id est, necesse fuerit te hæc omnia mihi optimè edisserere: vbi Pantolabi imperitia ingeniique tarditas, ac indocilitas ostēditur. *Interprete optimo.*) *Interpres.* Interpres propriè dicitur, qui in aliqua re agenda medius est, & veluti conciliator & author, quòd quasi præs, id est, fideiussor sit inter diuersos. At quoniã huiusmodi, animos eorum, quibus dati sunt interpretes, sciscitari assolent, & inuicem illis exponere, factum est vt interpres pro eo accipiatur, qui obscura quæque exponit. Hinc interpretari, & interpretatio.

*Nemo artifex nascitur.* *Nemo nascitur artifex.*) Nemo vnquã fuit tam fœlici ingenio, támque perspicua natura, qui simul lac maternum ac rerum peritiam hauserit: & cum iam adultus est, qui rerum notionem citra laborē improbum adipisci possit. Et si (inquit Cicero 4. de Finibus) ingeniis magnis prediti quidam, dicendi copiã sine ratione consequuntur, ars tamen est dux certior, quàm natura. Aliud est enim poëtarum more verba fundere, aliud ea quæ dicas, ratione & arte distinguere. Et vt inquit Ouidius,

*– Seris venit vsus ab annis.*

*Operam meam tibi dico.*) Id est, ad tuum obsequiũ do, of-

fero,& confecro meum laborem ac induftriam.Plus eft autem dicare,quàm dare.Dicatur perpetuò, datur ad tempus. Terentius in Phormio. Act.1.Sce.2.Hanc operam tibi dico.

*Dicare & dare.*

*Operam meam tibi dico.*)Perpende hoc in loco optimi cuiufque doctoris morem. Nemo eft (inquit Macrobius) qui cum prouocatur ad doctrinam fuam in medium proferendam non gaudeat,féque totum illi dedicet & offerat,à quo prouocatus eft. Quia nemo vult latere quod didicit:maximè fi fcientia, quam labore quæfiuit, cum paucis illi familiaris,& plurimis fit incognita.Tūc enim videtur confequi fructum laboris, qui adipifcitur occafionē publicandi quæ didicerat,fine oftētationis nota:qua caret qui nō ingerit,fed inuitatur vt proferat.Hactenus ille.

*Doctoris fufcipe partes.*) Id eft officium docentis.

*Doctoris partes.*

*Nolo arbitrum quenquam effe nobis.*) Videtur alludere ad ritum illum Platonicum, quo ferūt inftituiffe arbitros magiftrófque conuiuiorum fobrios,qui vt inter minuta pocula iucundior liberaliórque inuitatio fieret,docerent conuiuas modicis honeftifque inter bibēdum remifsionibus refici,integraríque animos ad inftauranda fobrietatis officia, quò tandem diffugerent illi propulfaréntque huiufmodi exercitationibus vini violentiam.

*Arbiter.*

*Sed ponè fabricam hanc.*) Ponè præpofitio eft pro retro.

*Ponè.*

*Fabricam hanc.*)Fabrica propriè fabri lignarij officina dicitur, dicitur & de aliorum fabrorum officinis aliquando. Sumitur quoque pro arte,&(vt ita dicam)fabricatione alicuius rei.Terentius in Heaut.Act.3.Sce.2.Nónne ad fenem aliquam fabricam fingit?

*Fabrica.*

*Ibi elementa dabo.*) Id eft,quæ de ipfa parafiticæ artis fubftantia quærūtur,tradam.Porrò ab alo elementa dicta funt. Quibus fanè quia omnia oriuntur, ideo principia elementa dicimus.Horat. *Scelerū fi bene pœnitet, Eradenda cupidinis*
*Praui funt elementa,& teneræ nimis*
*Mentes afperioribus formandæ ftudiis.*

*Elementa*

*Fac te probes.*) Elabora vt te demonftres.

*Fac.*

*Docibilem* )Docibilis,authore Cypriano,is dicitur,qui ad difcendi patientiam lenis eft & mitis:quodvix tamen reperitur,fed eius loco dicitur perceptibilis,vel docilis.Eft autē docilis,qui facilè docetur:quíque facilè difciplinam apprehēdit.vel authore Cic. li.1.ad Herē.qui attēte vult audire.

*Docibilis.*

*Vtranque aurẽ ſurrigere ad aliquem.*

*En aurem vtranque ſurrigo ad magiſtri dogmata.* ) Vtranque aurem ſurrigere ad aliquem, eſt, authore Eraſmo, omnĩ ſepoſita ac procul reiecta cura, attentè, ſitienter, & auidè, oculiſque defixis in aliquem, quid velit dicere aut docere, auſcultare: quemadmodum ſuperiùs diximus, in vtrãque dormire aurem, pro eo quod eſt ocioſum eſſe, & omni vacare cura. Ducta metaphora (vt author eſt Donatus) ab animãtibus, quorum pleriſque mos eſt, ſi quando quid eminus audierint, aures ſurrigere. Nam vni animantium homini natura dedit auriculas immobiles. Terentius in And. Act. 5. Sce. 4. Arrige aures Pamphile. Et Virgilius:

*Arrectiſque auribus adſtant.*

## ACTVS SECVNDI, Scena Secunda.

### PHILAVTVS, ACOLASTVS.

*Senarij.*

*Quid hæc Acolaſte, præ vt illa quæ pater dedit?*
ACO. *Pater futilis eſt, ſomnium, iners, valeat, magis*
*Tua me Philaute dicta ſtimulant.* PH. *Fac tibi*
*Fidas, quodcunque inciderit in mentem, voles:*
*Te ipſo fruere, Spes omnis in te ſit tibi.*
*Sic viues fœlix, ac beatus.* ACO. *Altiùs*
*Hæc cordi hærent, quàm vt momento leui excidant.*
PH. *Macte es virtute.* ACO. *Iam vale Philaute mi.*
PH. *Vale longùm vale Acolaſte optime maxime.*
ACO. *Quàm me Philautus vi ſua totum occupet,*
*Si maximè dicam, nemo credat tamen,*
*Adeò in illum velut effuſus ſum pectore.*

*Quò fit nulla vt hinc capiar pœnitudine*
*Mei, vt mihi ignoſcam, & mihi placeam nimis,*
*Quis hoc ſtatu me non beatum prædicet?*
*Supereſt, vt iter ingreſſus, hæc mea gaudia*
*Teſter, feſtiua quam paro cantiuncula.*

*Argumentum.* QVid hæc Acolaſte.) Hîc in proſcenium exeũtes Acolaſtus & Philautus, & eorum quæ inter vtroſque habita fuerunt mentionem obiter facientes, Acolaſtus ſui conſultoris præceptis egregiè imbutus, abſentẽ patrem conuitiis inceſsit. Ad quod ille vehementiùs inſtigat, acriúſque ad laſciuiam cohortatur. Tandem alter ab altero ſeiunguntur, mutuò ſibi vale dicentes. Porrò Acolaſtus iter ingreſſus, leniẽdi tædij, quod ex itinere capere poſſet, ſimul & auocamenti gratia, quam parauerat cantionẽ ſonora voce depromit. Hoc eſt huius ſcenæ argumentum.

*Doctrinã.* *Quid hæc Acolaſte.*] Docemur hac ſcena, plerunque fieri improborum conſilio atque congreſſu vt eò delabamur inſaniæ, vt nec quidem ab iniuriis conuitiíſque eorum qui nos in lucem ediderunt nedum aliorũ, noſmet temperemus ipſos. Iuxta illud Menandricum: Corrumpunt bonos mores colloquia mala, & conuictus improbi. Hinc Diogenes adoleſcenti formoſo ad conuiuium eunti, deterior, inquit, redibis. Reuerſus à conuiuio adoleſcens, quum Diogeni dixiſſet: Iui, nec redij deterior, inquit, deterior igitur. Indicãs fieri non poſſe, quin adoleſcẽtes ex luxurioſo pernicioſóq; malorũ conuictu, nõ euadãt deteriores. Eadẽ ferè Eraſmus.

*Duo nuntiorum genera in Cõmœdiis.* *Quid hæc Acolaſte.*] Horatius in Arte Poëtica, Comicos Tragœdóſque poëtas duo nuntiorũ genera docet, cum ait: *Aut agitur res in ſcenis, aut acta refertur.* Quædam enim in populi conſpectu aguntur, quędã acta oſtenduntur. Eſſe debet qui ex ſcena acta nuntiet. Alter, qui in ſcena commiſſa proferat extra ſcenam. Agitur res cũ puer in Andria prębet exemplum. Acta oſtẽditur cùm vitium virginis à Cherea illatum denarratur. His itaque Horatij præceptis paret hoc in loco noſter Gnapheus, quum adſtãti populo oſtendere conatur, permulta in ſcena inter Acolaſtũ & Philautum vltrò citróque habita, quæ hîc reticentur, ne videantur re ipſa agi quæ fabuloſa ſunt.

*Præ vt.* *Præ vt illa.*) Deest sunt. Præ vt, id est, ad comparationem. Hoc autem Plauto atq; Terentio familiare est, vt præ præpositionem cum quam, vel cum vt, componant. Plautus in Mostel. Video te nihili pendere omnes homines, præ Philolache. Terentius in Eunucho, Act.2.Sce.2. Hic ego illum contempsi præ me. In eadem Comœdia, Act.2.Sce.3. Qui si occeperit amare, ludum iocúmque fuisse alterum dices illum, præ vt huius rabies quæ dabit, id est, ad cõparationem eorum, quæ huius rabies dabit.

*Futilis.* *Pater futilis est.*) Futiles dicti sunt à vase quodam futili nomine, quo vtebatur in sacris deæ Vestæ latissimi quidem oris, ex altera parte arcti, quod statim positum effundebatur. Vnde qui continere tacenda non possunt, sed ea hac illácque effundũt, leuésque adeò sunt (vt verbis Gellij vtar) & importuni locutores, vt nullo põdere rerũ innixi, verbis humidis & lapsantibus defluant, futiles dicuntur. Hos aliàs

*Loquaces.* loquaces, locutores, & locutuleios adpellamus: & maiores

*Linguaces.* nostri à lingua linguaces, siue lingulaces, aut lingulacas, modò à blaterando blaterones dixere. Blaterare siquidem,

*Blaterare.* & blatire, seu effutire dicebant incondite, inaniter, impru-

*Effutire.* denter, & mendaciter loqui. Terẽtius in Phor.Act.5. Sce.1. Verum istoc de nomine eò perperam olim dixi, ne vos forte imprudentes foris effutiretis. Id est, eloqueremini, euacuaretis, exinaniretis. Hinc effutatim Plautus pro imprudenter & inconsultè dixit.

*Somnium.* *Somnium.*) Inanis, & nihili. Terentius in Adelph. Act. 2. Sce.1. De argento somnium. Et in eadem Comœdia, Act.3. Sce.3. Syrus seruus herum suum Somnium vocat præ Demea: Tu quantus quantus es, inquit, nihil nisi sapientia es, ille futilis, somnium.

*Iners.* *Iners.*) Ignauus, stolidus, excors, somniculosus, illepidus, crassioris hebetiorísque ingenij, & nullius solertiæ. Aliàs eum qui sine arte est, significat. Terentius in And. Act.3. Sce.5. Atque hoc confiteor iure obtigisse, quandoquidem tam iners, tam nullius consilij sum.

*Valeat.* *Valeat.*) Cicero, Si deus talis est, vt nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, valeat. Vbi, quid potuit (inquit Lactantius) contemptius in deum dici, quàm valeat, id est, abeat, & recedat?

*Stimulare.* *Magis tua me Philaute dicta stimulant.*) Instigant, prouo-

cant,pungunt,magis quàm(ſubaudiẽdum)patris præcepta. Sic Clitipho apud Terentium in Heaut.Act.2. Sce.1.Magis nunc me amicæ dicta ſtimulant, da mihi,affer mihi. Fit autem à nomine Stimulus, quod propriè eſt inſtrumentum, quo boues punguntur. Vnde metaphoricôs ſtimulum vocamus,omne id à quo vexamur. Hinc ſtimulũ carnis, diuus Paulus vocat vexationem vitiorum. *Stimulus.*

*Fac tibi fidas*) Da operam, vt in nullo fidem ſpémque reponas,quàm in te ipſo ſolo. vel,fac vt quæ ages poſthac,cũ fiducia ac temeritate agas. A fido porrò,vt alibi diximus,fit fidentia,& fiducia,pro temeritate. *Fac tibi fidas.*

*Quodcunque inciderit in mentem.*] Id eſt, omne quod caſu venerit,aut de improuiſo labetur in libidinẽ tuam. Terentius in Heaut. Act.3.Sce.1. Quodcunque inciderit in mentem volet: neque id putabit prauum an rectum ſiet, quod petet. *Incidere in mentem.*

*Te ipſo fruere.*] Frui, authore Eraſmo, atque Laurentio Valla, eſt re aliqua delectari, ſine reſpectu ad alia commoda. Perinde eſt itaque ac ſi diceret: Tua ſolius perſona teipſum oblecta, immoderato amore & plauſibili teipſum ama. *Frui.*

*Spes omnis in te ſit tibi.*] Tibi ſoliipſi confide, quò ſtrenuè contra quoſcunque aſſultus te defendas, ac tuearis. Sic Terentius in Phor. Act.1. Sce.2. In me omnis ſpes eſt mihi. Eſt autem ſpes,ſecundũ Platonem,futurorum opinio,commune quidem nomen tum ad bona, tum ad mala. Singuli quippe homines duo intra ſe comites habent, vtrunque amentem, & alteri alterum contrarium: huic voluptas nomen eſt,illi dolor.Singulos præeunt futurorum opiniones, quarum commune nomen eſt.Proprium verò eius,quę dolorem præit,timor:illius verò quæ voluptatem,fiducia. Sed neque letabitur vnquam, nec mœrebit nimis (vt inquit Marcus Cicero.3.Tuſcu.qui ſemper in ſeipſo omnem ſpem reponet ſui. Ea etenim ſola (vt 4. Inuectiua ait in Catilinam) Hominem in miſeriis conſolari ſolet. Sed & authore Ouidio 1.de Ponto: *Spes.*

*Hæc facit vt viuat foſſor,quoque compede vinctus,*
*Liberáque à ferro crura futura putet.*
*Hæc facit vt videat cum terras vndique nullas*
*Naufragus,in mediis brachia iactet aquis.*

*Hærere.* *Altiùs hæc cordi hærent.* ] Magis enim, vt ait Quintilianus, pertinaciter animis nostris hærent, quæ deteriora sunt.

*Altius.* *Hærent.* ] Insidūt. *Altiùs.* ] Sublimius, presśius, tenacius.

*Quàm vt momento leui excidant.* ] Excidant, in obliuionem veniant. Virgilius:

*Necdum etiam caussæ irarum, sæuíque dolores,*

*Excidere.* *Exciderant animo.*

Aliâs cadere significat. Vnde excidium & excidio.

*Momento leui.* *Momento leui.* ] Exigua quadā mutatione, defectu, ac spacio, quod alio modo puncto temporis dicitur. Liuius: Versa momento temporis fortuna pugnæ est.

*Es.* *Macte es virtute.* ] Es, sis vel esto, de quo alibi.

*Vu.* *Vi sua totum occupet.* ] Hîc digressus à Philauto Acolastus, in eius laudes maximè effertur, cùm ob cōsuetudinem mutuā, tum vel præcipuè ob eius præcepta, quibus eum imbuerat. vnde infrà dicturus est: Nullis cessero, ne diis quidem, postquam meus Philautus subiecit mihi boni & mali rationes omnes, quas ad vnguē teneo. *Vi sua occupet.* ] Sua

*Occupare.* virtute & gratia deuinciat. Est autem ex translatione ferarum ac venatus. Horatius:

*Te coniunx aliena capit meretricula Dauum.*

*Maximè.* *Si maximè dicam.* ] Id est, sæpisśimè. Cicero: Vel etiam id quod mihi maximè libet.

*Effundi toto pectore in aliquem* *Adeò in illum velut effusus sum pectore.* ] Id est, intantùm eum vehementer diligo. Ducta quidem metaphora à fimo, qui in minus fœcundas terras spargitur, quò lætiores sint, fertilioréśque, ac cultiores.

*Capi pœnitudine.* *Quò fit vt nulla hinc capiar pœnitudine mei.* ] Vt minimè me pœniteat, alienasse mē à patria domo. Capere per metaphoram pro diuersitate rerum cum quibus iungitur, diuersa significat. Capere manu, comprehendere est: capere auribus, audire: capere mente, intelligere: capere consilio, eligere: capere pœnitudinem, pœnitere: capere astu siue dolis, decipere: capere muneribus ac beneficiis, propitiare: capere cantu & voluptate, delectare: & id genus innumera.

*Vt mihi ignoscam.* ] Vt hoc in loco significat idem quod ita vt, siue propter quod, vel quapropter, veluti si dicerem: Quotidie hospites me inuisunt, vt incipiam, iam stomachari tantam frequentiam. *Mihi ignoscam.* ] Veniam

*Ignoscere.* dem, excusatum habeam, sceleris pœnam prætermittā. Nam

in verbo ignoſco, in priuatiua particula eſt, quaſi nō agnoſco errorem.

*Et mihi placeam nimis.*] Gratus ſim, vel metaphoricôs, memet maximè efferam, & quodammodo glorier cum patris contemptu. *Sibi placere.*

*Quis hoc ſtatu me non beatum prædicet?*] Hoc ſtatu, hac cōditione, & quòd me exulem à patre mea ſponte fecerim, & quòd nunc meo arbitratu viuam, & quòd tot loculis onuſtus ſim. *Prædicet.*] Dicat, celebret, pronuntiet. *Hoc ſtatu.*

*Iter ingreſſus.*] Iam via incœpta, tentato itinere. Ingredi quippe interdum eſt, quaſi incipere. Lactantius lib. 6. Iuſtus ergo, quoniam durum aſperúmque iter ingreſſus eſt. *Ingredi iter.*

*Hæc mea gaudia teſter.*] Teſtificer, commonſtrem, re ipſa declarem. Aliâs iurare eſt, quòd in iuramētis veluti deos teſtes adhibeamus. Virgilius: *Teſtari.*

*Veſtrum teſtor numen ait.*

*Feſtiua, quam paro cantiuncula.*] Cantiuncula diminutiuum eſt à cantio, cantionis. *Feſtiua.*] Iucūda, ſuaui, lepida, vrbana, faceta. A quo feſtiuitas pro lepore & vrbanitate ſermonis. *Cantiuncula.* *Feſtiua.*

# ACOLASTVS CANIT.

O *Dies feſtus niueo lapillo*
*Dignus, ô lucis facies ſerena*
*Qua licet demum poſitis ſuauè*
*Viuere curis.*
*Nūc iuuat lautè Geniū fouere,*
*Nūc iuuat ſacra veneri litare,*
*Nunc iuuat ludos & amœna carni*
*Gaudia ferre.*
*Exulat tergo monitor ſeuerus,*
*Et iugum collo iacet ò remotum,*
*Libero quouis pede iam licebit*
*Tendere greſſus.*

*Qui tuli multos dominos iuuenta,*
*Qui iugo ſolui toties cupiui,*
*Liber, emiſſus manibus parentis*
*Vino beatus.*
*Geſtiens adſit iuuenum corona*
*Plaudat, & ſortem hanc mihi gratuletur.*
*Concinant Muſæ celebres canora.*
*Carmina voce,*

O *Dies feſtus*.] Hoc in loco poëtis comicis circunſcriptos fingendi ambitus trãſilit noſter Gnapheus, dum præter eorum morem, carmẽ ſapphicũ iniicit. Quod tamen non abſque iudicio ac ratione factum ab eo conſtat: nempe quò ſpectatores doceret pariter ac delectaret. Nihil enim in hac tota Comœdia ab eo fingitur, quod non ſit aut aurium demulcendarum gratia excogitatum, aut communis frugis cauſſa inductum: quò nimirum ad quandam virtutis ſpeciem hominis intellectũ alliciat. Quantum autem ad ſapphici carminis attinet rationem, Inuentum prædicatur à Sappho muliere Mitylenæa Scamãdronymi filia, quæ conſcribendis lyricis carminibus adeò celebris extitit, vt eius ſapientiam mirandis laudibus efferat Plato, & meritò nona inter lyricos poëtas adnumeretur à doctis. Hæc lõgè pulcherrimum opus edidit in gratiã Phaonis cuiuſpiam iuuenis, cuius amore tenebatur, quod & extat. Cúmque ille èam fugeret, impatientia animi ſimul & furore capta, ſeſe in mare de monte Leucate præcipitem dedit.

*Origo ſapphici carminis.*

*Sappho.*

*O dies feſtus.*] An quia cauſſa eſt feſtiui ac iucundi diei? an ipſe tantus ſit, quantus eſt feſtus dies? Sic Chærea apud Terentium in Eunucho, Act.3. Sce.5. O feſtus dies hominis, amice ſalue. Vel alludit ad Numæ inſtitutionem, qua conſtituit vt totius anni dies aut feſti eſſent (à feriis ita diſtincti) aut profeſti, aut interciſi. Feſti autem, in quibus vel ſacrificia diis offerretur, vel dies diurnis epulationibus celebraretur, aut ludi in honorem deorum agerentur, vel feriæ obſeruarentur. Profeſti, qui hominibus ad rem vel priuatam, vel publicam adminiſtrandam cõcederent. Hinc Plautinum prouerbium. Feſto die ſi quid prodegeris, profeſto

*Dies feſtus*

*Feſti dies.*

*Profeſti.*

egere liceat nisi peperceris. Intercisi, qui deorũ hominúmque communes essent.

*Intercisi.*

*Niueo lapillo dignus.*) Veteres quẽ diem faustũ fœlicẽque euenisse significabant, eũ albo lapillo notandũ dicebãt, aut candido vnione, aut niueo calculo, albave gẽma. Cõtrà infaustum carbone, aut atro lapillo numerandum. Horat.

*Niueo lapillo dign⁹.*

*Thressa ne careat pulchra dies nota.*

Ductũ quidẽ à veterum (vt author est Desid. Erasmus) superstitione, qui vnumquemque diem anni, missis totidem in vrnam, aut in pharetrã calculis, significabant quẽ arbitrabantur prosperũ abiisse, candido calculo. Hinc hoc in loco prodigus, quia suæ res suauiter successerant, eũ diẽ album vocat.

*O lucis facies serena* ) Lux pro die, & facies pro specie hoc loco sumũtur. Vnde miseranda rerum facies vulgò dicitur. Propriẽ tamẽ lux claritatẽ siue splẽdorẽ significat. At verò quoniã dies clara est, nox vero obscura, lux ꝓ die accipitur.

*Lux.* *Facies.*

*Positis curis.*) Depositis. Virgil.

*Positis curis*

*-Ponúntque ferocia Pœni.*

*-Corda volente deo.*

*Nunc iuuat.*) Gratum est, placet, delectat. Virg.

*Iuuat.*

*-Iuuat arua videre.*

*Geniũ fouere.*) Fouere Geniũ, siue indulgere genio, est animo suomet obsequi, ac voluptati operã dare. Persius Saty. 5.

*Genium fouere.*

*Indulge genio, carpamus dulcia.* Vnde & genialem appellant diem vel lætum & voluptuarium. Et Genialiter viuere pro molliter, lautè, opipare, splendidè.

*Genialis dies.*

*Sacra veneri litare.*) Litare, sacrificiis deos placare votúmque impetrare dicitur, à λιτὴν, teste Festo, quã Græci deprecationem dicunt. Virg. *Sacrisque litatis*, Id est, diis placatis. *Sacra veneri.*) Venus, vt amorum gratiarúmque, ita pulchritudinis, & deliciarum, & voluptatum omnium dea est. Vnde pro libidine, & pro pulchritudine interdum sumitur. A quo fit, authore Cic. venustus pro pulchro, & venustas prò pulchritudine, & venusto verbũ, quod est orno.

*Litare.* *Venus.* *Venustus.*

*Nũc iuuat ludos & amœna carni gaudia ferre.*) Ferre gaudia est ducere vitã lætã. Ferre ludos, ludere, delectari. Ferre vero consuetudinem, portare significat. Sicut & ferre conditionem dicit Terentius in Phor. Act. 4. Sce. 1. Ferre quoque pro ostentare accipit Virgilius in hæc verba.

*Ferre gaudia et ludos.*

*-Captiuo vt se ferret in auro Venatrix.*

*Amœna.* *Amœna carni.*)Suauia, iucunda, Amœna enim propriè dicuntur quæ iucunda sunt citra aliquem fructum.

*Exulare.* *Exulat tergo.*)A me iam alienatus est & elongatus. Est tamen propriè exulare, patria priuari, à nomine exul, quod is dicitur, qui patria eiectus est.

*Monitor seuerus.*)Patrem intelligit, quem seuerum vocat,

*Seuerus.* hoc est, asperum, trucem, sæuum, & implacabilem. Quamuis seuerus aliquando pro graui sumatur.

*O.* *Et iugum collo iacet ô remotum.*) O particula est exul tantis adfectum exprimens, vt apud Virg.

*O mihi sola mei super Astyanactis imago.* Rursus:

*O fœlix, si te tua Roma videret.*

*Iugum.*)Paternum imperium acre seruitutis & onus. *Remo-*

*Remouere iugũ collo.* *tu collo.*)Sublatum. Translatio est de instrumento, quo colla boum, siue aliorum animalium arandoq; currúmve aut a-

*Iacere.* liud onus ducendo, teruntur. *Iacet.*) Extat per metaphorã. Virgil.

*Sed iacet aggeribus niueis, informis & alto Terra gelu.*

*Libero pede* *Libero pede.*)Citra vllam controuersiã, absque vllius habito delectu, absque cura aliqua, & animi sollicitudine.

*Quóuis.* *Quóuis.*)Quocunque libitum fuerit

*Tendere gressus.* *Tendere gressus.*) Iter facere. Iter tendere, vel iter facere, gemini modi sunt loquẽdi longè venustissimi. Inde deductum, quòd nos ambulando, iter videamur extendere. Virg.

*-Tendere iter pennis.* Liuius:

Cum ab occasu solis ad exortus tenderet iter.

*Qui tuli multos dominos iuuentæ.*)Tuli, passus sum. Virg.

*Miserere animi non digna ferentis.*

*Ferre.* *Dominos iuuentæ.*) Iuuentutis moderatores ac pædagogos.

*Iuuenta.* Iuuenta duo significat, vel ætatem ipsam iuuenilem, vel frequentiam iuuenum. Aliquando etiam pro ipsa dea quæ præest huic ætati reperiri inueneris.

*Liber.* *Liber.*)Curis negotiísque solutus: vel, nulli subiectus.

*Emissus.* *Emissus manibus parentis.*)Emancipatus, liberatus à patris dominio, solutus à seruitute.

*Viuo beat⁹.* *Viuo beatus* Beatum se ac fœlicem putat, quum spreta ratione institutísque paternis, cupiditatum arbitrio præceps fertur, & effrenatus.

*Corona.* *Iuuenum corona.*)Conuentus mei ordinis adolescentium.

Id enim hoc in loco corona significat, nempe conuentum hominum circunstantem. Hinc natum prouerbium, Coroná ne carpito. Quo sanèdiuus docet Hieronymus in Ruffinum (interprete Erasmo) vrbium leges obseruandas esse uon violandas, neque reprehendẽdas, quod vrbium turrita mœnia coronarum speciem præbeant. Videtur autem Corona dici à choro, licet aspiratione careat.

*Coronam ne carpas.*

*Et sortem hanc mihi gratuletur.*) Gratulari propriè, testificari est se gaudere, ob fortunam ac fœlicitatem alterius, apud eum ipsum, qui affectus est fœlicitate. Gratulari igitur alteri suam ipsius sortem, est ob suum successum, opimámque conditionem cum laudibus festiuitatem ostendere. Habet autem hîc accusatiuum cum datiuo. Aliàs solũ accusatiuũ. Nonnunquam absolutè ponitur.

*Gratulari.*

*Musæ celebres.*) Crebræ, frequẽtes, copiosæ, multæ, eo vtiq; significatu quo frequentẽ militẽ, frequentẽ senatũ, frequẽtẽ domũ dicimus. Aliàs celebris, velocẽ celerẽque significat Aliquãdo clarũ, famigeratũ, & qui in omniũ ore versatur.

*Celebris.*

*Concinant.*) Simul canant, ac modulentur.

*Concinere.*

*Canora voce.*) Modulanter, voce minimè absona, sed resonante, ac melliflua.

*Canora voce.*

## ACTVS SECVNDI Scena Tertia.

PAMPHAGVS, PANTOLABVS, ACOLASTVS.

*Octonarij.*

QVID *hæc tibi videntur?* PAN. *Rara profectò mysteria.*
PAM. *Vide vt contineas.* PAN. *Accuratè omnia, memorem me senties.*
*Sed vnde escaria nobis est venatio? Vbi cadauer est,*
*Quod ad curramus voltures?*
*Nam vel lupo esurientior*
*Sum.* PAM. *Quod de somnio iamiam dixi meministin'?*

PAN. *Memini.* PAM. *Hinc te benè sperare iubeo.* PAN. *Sperare autem, quom nihil*
*Sit, quod edatur?* PAM. *Mane, mane, non spem meram, sed rem dabo.*
PAN. *Promißis quis non diues esse poßit?* PAM. *Offam faxo in os*
*Tibi obiecero. Nisi enim me omẽ lætũ fallit, nãciscemur*
*Hodie herũ qualẽ volumus, qui nos accipiat lautißimè.*
*Hem, ad rostra te voco.* PAN. *Quid illò?* PAM. *Vt videam num qui venerint*
*Legati, aut hospites nobis.* PAN. *Malim ad Cupediarios*
*Vocarier, nam differor fame.* PAM. *Ah, quàm plumbeus es, lucri*
*Bonus odor illinc adflauit nares meas.* PAN. *Si odoribus*
*Et somniis vẽtrẽ pascas, quid adhuc famescere me sinu?*
PAM. *Heus tu, ne spera communem tibi sortem, nisi sequeris.*
PAM. *Sequor vel ad manes imos, si iusseris.* ACO. *Nunc gaudeo*
*Superasse me viarum omneis crepidines, cedant graues*
*Curæ, mœror facessat, optato in portu quom nauigem.*
*Posthac quicquid libet, licebit protinus, sub pectore*
*Quicquid tacitus versabo, id in linguam, mox in manus meas*
*Licenter deriuabitur, neque obstrepet quisquam meis*
*Studiis, vt hactenus obstitit durus pater, à quo me exulem*
*Meapte sponte reddidi, ne sit corrector amplius.*
*Iam id affectabo, vt assurgãt omnes venienti, dexteras*
*Iniiciant, commessatum ducant, denique delibutus vt*
*Viuam perpetuis gaudiis. Tũ vel multò auro adiũxero*
*Omnes mihi. Monarcha sic regnabo præpotens. Quid? an*

*Non albæ filius gallinę iure censeар, optimis*
*Planè prognatus ouis? Nullis cessero, ne diis quidem,*
*Postquàm meus Philautus subiecit mihi boni & mali*
*Rationes omneis, quas ad vnguẽ teneo. Porro autẽ obuiã*
*Optẽ dari hospitẽ amicũ, qui me magnificè tractet, virũ*
*Sanè omnibus modis dignum, cui omnes, optata omnia*
*ferant.*
*Quod si me nossent qui siẽ, gregatim ad me cõcurrerẽt*
*Cupediarij, coqui, fartores, vnguentarij,*
*Pomarius, piscator, auceps, leno cum scortis valens.*
PAM. *Pantolabe, quem procul huc video aduentare?*
PAN. *Nescio, nisi*
*Ad mercatum venit hic peregrinus hospes, vt appa-*
*ret* PAM. *Benè*
*Habet, hĩc nobis, quod spero, materia certi aucupij datur*
*Exprompta nunc opus est astutia.* PAN. *Mi Pampha-*
*ge, Zonam habet.*
PAM. *Zonam?* ACOL. *Sed neminem hic video.* PAN.
*Audin' quid dicat?* PAM. *Volt noscier.*
ACO. *Quonam diuortam cogito.* PAM. *Et hospitem*
*quærit.* PAN. *Cinædus est*
*Ex voltu & filo corporis.* PAM. *Præda hæc nostris est*
*vnguibus*
*Digna. A tergo me huic inseram.* PAN. *Quid me au-*
*tem?* PAM. *Fac verbis meis*
*Subseruias, vt hinc nostro in albo te dignũ habeas locũ.*
*Hospes bone, hospes clare, iubeo te saluere plurimum.*
PAN. *Propino tibi salutẽ plenis faucibus, vir optime.*
PAM. *Facetè, lautè, lepidè, istuc tene.* ACO. *Vicißim*
*comprecor.*
*Vobis læta omnia quicunque estis.* PAM. *Magnam me*
*herclè gratiam*

*Omnes meritò habemus tua isti humanitati.* PAN. *vir bonus*
*Es ex habitu.* PAM. *Sèd in his quamobrem peregrinaris regionibus?*
ACO. *Huc me grauis tempestas impulit meorum affectuum.*
PAM. *Ecquò nam destinabas iter?* ACO. *Ecquo? vbi mihi liceat meo*
*Pro ingenio viuere.* PAM. *Istuc hìc licebit commodissimè.*
*Si nescis, hìc habitant omnis generis Veneres, & Gratiæ.*
PAN. *Hìc onopolia, myropolia, pharmacopolia stabulant.*
PAM. *Neque hìc desiderabis Musicum concentum.* PAN. *Gaudiis*
*Hìc afflues.* ACO. *Sanè auspicatò, vt audio, huc tetuli pedem,*
*Vbi frontem exporrigam. Vobis nomen dabo.* PAM. *Nomen tuum*
*Quod est?* ACO. *Nomen? Acolastus.* PAM. *Acolastus? vah, nomen conuenit.*
PAN. *Hem, noster es.* ACO. *Certè, quòd vester sim repertus gaudeo.*
*Sed nulláne spes est potiundi hic principatus?* PAM. *Maximè.*
*Imprimis, ista corporis tui forma heroica placet.*
*Tum mores, indoles, cultus, & differendi gratia,*
*Magno te ortum loco arguunt.* PAN. *A capite ad talos pulcher es.*
PAM. *Imò dum te contemplamur fixiùs, diuina elucet in*

*Te quadam maiestas.* ACO. *Nihil est in me, quin omnes plurimum*
*Id ament, vino & regno.* PAN. *Non sentit caudex palpum obtrudier.*
PAM. *Hem, regem hunc esse oportet.* PAN. *Scilicet, tot clarum dotibus.*
ACO. *Si nosceretis quid mecum portem boni, tum istuc magis*
*Scio diceretis.* PAM. *Quid id est?* PAN. *Virtutes omnes narra tuas*
*Vt hinc orneris.* ACO. *Agedum, appendite Zonam auro multo grauem.*
PAM. *Hui, tam graues auro loculos?* PAN. *Quid audio? aurum ne habet?* PAM. *Habet.*
PAN. *Ego te, si nescis, auri encomion poßim docere.*
ACO. *Dic.*
PAN. *Pulcherrima aurum faustitas mortalibus. Hoc te dijs parem*
*Facit, hoc qui habet, repentè honoratus, clarus, sapiens, item*
*Rex splendidus fit.* ACO. *Per Iouem, hæc dogmata Philauti dogmatis*
*Consentiunt. Quid prohibet, quin patiar me nomine regio*
*Salutari?* PAN. *Ter maximè rex, quin in clientelam tuam*
*Nos suscipis?* ACO. *Suscipio. En vobis auctoramenta hæc mea.*
PAM. *Nunc me totum regi dedo.* PAN. *Et ego quantus sum illi mancipor.*
*Sic inter luscos regnabit strabus. Pulchrum spectaculum.*

ACO. *Quid hic stamus? quid hic hæremus ieiuni? quin tendimus*

*Commessatum?* PAN. *Iam dudum est in patinis meus animus.* PAM. *Vbi vis,*

*Nihil moror.* ACO. *Quò diuortemus?* PAM. *hospitem probum dabo.*

PAN. *Dabit dignum patella operculum.* PAM. *Vnde autem obsonabitur,*

*Quæso, patrone optime?* PAN. *Rectè.* ACO. *Cape hoc argentum, & appara.*

*Cœnam, quæ cum pontificali certet.* PAM. *Curabo here.* ACO. *Tum Venus,*

*Bacchus, Ceres, nostris volo intersint epulationibus.*

PAMPHA. *Fiet. Tibicines numnam cupis deducier è foro?*

ACO. *Etiam.* PAM. *Propero ad macellum. Heus Pãtolabe, Regem deducito*

*Cliens ad Samnionem nostrum, sed sublata sarcina.*

*Tenes?* PAN. *Sic.* ACO. *Vbi manet ille vester?* PAN. *Ad Veneris phanum.* ACO. *Benè est:*

*Sustolle hæc.* PAN. *Quàm pulchrè procedo hodie! O fortunatum hunc diem.*

*Argumẽtum.*

QVid hæc tibi videntur?) Quàm non inaniter neque stultè in posteriori scena, in qua colloquebãtur vtriq; parasiti, fuerit suo somnio ominatus Pãphagus, in hac præsenti exprimitur. Hic nempe nanciscitur dominum, cuius se futurum cellariũ, suum somniũ illic portenderat. Nam parasiticam artem plus satis edocto Pãtolabo, in escariam venationem vtrique prodeunt, visuri num intra eorum casses præda quæpiam illici posset. Dum itaque

id vnum studet,huic vni rei sedulò cum dant operam,adest tandem ex itinere admodum fessus Acolastus. Quem adorientes, suis imposturis & sycophantiis allectum, in ganeum Lenonis abducunt, eum velut captam prædam suis vnguibus in frusta discerpturi.

*Quid hæc tibi videntur?*) Hic quemadmodum in superiori scena pro Comico simul & Rhetorico more reticet poëta per Parasiopesin siue occupationem, quæ intra priuatos parietes inter vtrósque parasitos habita fuere. Docuit nimirum Pamphagus Pantolabum parasiticæ artis elementa (quemadmodum ex fine postremæ scenæ, in qua collocuti sunt colligere procliue est) quæ qualia fuerint quamuis non dicantur, manifestantur tamen ex eorum hac in scena contentis actibus. Præbet autem hæc scena imaginem assentationis omnino reiiciendæ, vtpote quòd (Cicerone teste in Lælio) nulla sit in amicitiis pestis maior, quàm assentatio, blanditiæ, adulatio. Simulatio, inquit, amicitiæ repugnat maximè, delet enim veritatem, siue qua nomen amicitiæ valere non potest. Cauendum est itaque, ne assentationibus patefaciamus aures, nec adulari nos sinamus, in quo falli facile est: tales enim nos esse putamus, vt iure laudemur. *Doctrina.*

*Quid hæc tibi videntur?*) Quæ à me (subaudiendum) tibi dicta sunt.

*Rara profecto mysteria?*) Mysteria, arcana quædam sacra dicuntur, quæ Latini seclusa vocant. Dicta mysteria, quòd ea occludentes oporteat intus custodire, nec cuiquam explicare. Vnde Mystes, dicitur Mysteriorum peritus, aut qui ea docet. *Mysteria.* *Mystes.*

*Rara.*) Magna, præstantia: quòd quę rara sunt, eadem sint & excellentia, & preciosa. *Rara.*

*Vide vt contineas.*) Da operam vt intra te teneas, apprehendas, intelligas. Vel contineas, celes, tegas. *Continere.*

*Accuratè omnia.*) Ecclipsis: deest enim continebo. *Accuratè.*) Exactè, studiosè cupidè, diligenter. hinc accurata oratio, quæ cum cura atque diligentia facta est. *Accuratè*

*Sed vnde escaria nobis est venatio?*) Translatio est de indagatione & quasi circunuentione ferarum. Id nempe propriè venari est. *Venari.*

*Vbi cadauer est quod adcurramus vultures?*) Mirè vtrũque *Vultures.*

dictum, & escaria venatio, & cadauer ad quod curramus vultures, & propriè à famelico parasitastro prolatum. Vt quemadmodum canes feras venantur, & vultures cadaueribus inhiant eaque depascuntur: ita illi numatiorem quẽdam dominum nancisci percuperent, cuius opulentia suam sibi satiarent ingluuiem, prælargúmque ventri commeatum construerent. *Vbi cadauer est quod adcurramus vultures?*) Vulturi proprium est, tantum cadaueribus viuere. Vnde & natura tantum illi sagacitatis addidit, autore Plinio, vt biduo aut triduo præuolet illuc, vbi cadauera sunt futura: eóque (vt refert verè Magnus ille Basilius) ingenti agmine solet comitari castra militum. Hinc qui vel ob hæreditatis, aut alicuius alterius emolumẽti spem, insidiantur cuipiam, vulgata metaphora vultures adpellantur. Inde illud Senecæ in Epistolis: Si vultur es, cadauer expecta. Sicut autem cadauer à cadendo, sic vultur à volatu tardo dicitur.

*Cadauer.*

*Lupo esurientior.*

*Nam vel lupo esurientior sum.*) Hoc de maximè famelicis dicitur. Lupus enim quòd natura rapacior est, aliisque animalibus infestus, ita ab eorum arcetur contubernio atque congressu, vt plerumque vnde vescatur non inueniat, sicque tum eos sola pasci aura ferant, defectu quidem alterius alimoniæ.

*Iubere.*

*Hinc te bene sperare iubeo.*) Iubere hîc velle significat, vt infra: iubeo te saluere plurimum: quod & Terentianum est. Virgil.

*Infandum regina iubes renouare dolorem.*

*Eclipsis.*

*Sperare autem, quum nihil sit, quod edatur?*) Eclipsis, deest enim quid prodest? vt sit, quid autem prodest sperare, quũ &c. Hoc autem totum cum stomacho & indignatione efferendum est, ob ventris impatientiam, cui omnis mora quantumuis pusilla, longissima videtur. Latrante nempe stomacho, omnis mora bilem mouet iuxta Plautinum prouerbium: Fames (inquit Sosia in Amphitryone) & mora bilem in nasum conciunt. Videtur autem hîc Plautus alludere ad illud Terentianum in Adel. Act. 2. Sce. 2. Ego spem precio non emo.

*Mane, mane.*

*Mane, mane.*) Asseuerantis promissa, eorúmque certam spem pollicentis est hoc dictum, potius, quàm operiri iubentis. Sic tace dicimus aliquando, quum non silentiũ indicimus, sed securum aliquem facimus.

Con

*Non spem meram, sed rem dabo.*) Non solam, inquit, spē, qua plerumque fallimur cum eidem attentiùs inhiamus, sed rei effectum præstabo. Sic Terentius in Phor. Act. 1. Sce. 2. Non multum habet quod det fortasse. Respondetur: Imo nihil, nisi spem meram. *Spes mera.*

*Promissis quis non diues esse posit?*) Prouerbium hoc iactatur in eos, qui immensa promittunt, spesque amplissimas ostentant: cæterum re inanes sunt & vacui. Confine est illud Terentianum in Phor. Act. 1. Sce. 2. Aureos montes polliceri. Sic lena in Asinaria Plauti adolescenti multa pollicenti, cum ille promissis nihil commoueretur: Semper, inquit, oculatæ sunt nostræ manus, credunt quod vident. Eadem est sententia Samnionis Terentiani in Adel. Act. 2. Sce. 2. Nūquam ego adeò astutus fui, quin quicquid possem, mallē offerre in præsentia potius. Promissa audiūtur tantum, non videntur. Rursus Cherea in Eunucho, Act. 2. Sce. 3. Fac nunc promissa, vt appareant, inquit. Ouidius in arte: *Pollicitis diues quilibet esse potest.* *Diues promissis.*

*Faxo.*) Faxo, vt autor est Donatus futurum tempus tantum, vel vt alij, promissiuum modum ostendit. Inflectitur autem, faxo, faxis, faxit, faxint. Ter. in. Heaut. Act. 2. Sce. 3. Ademptum tibi iam faxo omnem metum. Rursus eadem Comœdia, Act. 1. Sce. 1. Vtinam dij ita faxint. *Faxo.*

*Offam in os tibi obiecero.*) Obiicere offam in os alicui, arbitror significare id quod vulgo citra metaphoram diceretur. Ne nimis de re pollicita desperes aut diffidas, mox tibi præstabo quod pollicitus sum. Et illud Parmenonis Terentiani, quin effectum dabo. In Eunucho, Act. 2. Sce. 1. Ducta metaphora (vt mea fert censura) à pullis gallinaceis, quibus pascentibus si offam obiicias, quicquid ore acceperunt aliunde, desilire sinūt in humum, obiecto potiundi gratia. Eadem ratione, si quid nobis promissum est, ad id consequendum spe erigimur, dum adest spe cadimus, vtpote consecuti quod sperabamus. Vnde tripudia solistima dicebantur auguria, quæ fiebant quoties offa quæ pullis dabatur, aliquo modo cadebat in solum. Ita enim solistimum, vt à medio mediastimum dicitur. Quum igitur offa ex ore pulli ceciderat, tum auspicāti tripudium solistimum nunciabatur. Cicero: Necesse est offa obiecta, cadere frustum ex pulli ore, cùm pascitur. Huc *Offam in os obiicere.* *Solistima tripudia.*

ſpectat illud Athenæi: Offa eſurienti homini clarior & auro & ebore. Quo licebit vti, interprete Eraſmo, cum iudicabimus rem vſu non opinione æſtimandam.

*Omen.* *Niſi enim me omen lætum fallit.*) Omen, mea vaticinatio, mea opinio, mea cōiectura. Quamuis omen propriè ſit diuinatio ſumpta ex ſermone cuiuſpiam. Hinc benè vel malè ominari. Sic augurium augur ex auibus diuinat, & auſpicium Aruſpex ex pecudum extis. *Lætum.*) Lætum hîc dicitur quod nos lætos facit, ſicut tutum locum dicimus, qui nos tutos reddit.

*Lætum.*

*Nanciſci.* *Nanciſcimur hodie herum qualem volumus.*) Præſenti vtitur tempore, quò non falſò ſe diuinaſſe oſtendat, ſed mox futurum quod illi mens ſuggerit, indicet.

*Accipere.* *Qui nos accipiat.*) Paſcat, inuitet. Terentius in Eunucho, Act.5.Sce.9. Accipit hominem nemo melùs prorſus, neque prolixùs.

*Lautiſſimè.* *Lautiſſimè.*) Elegātiſſimè, ſplēdidiſſimè, magnificētiſſimè.

*Hem.* *Hem.*) Interiectio perculſi re noua & ſubita.

*Roſtra.* *Ad Roſtra te voco.*) Roſtra dicebatur templum ſeu forū ante curiam Hoſtiliam (ea eſt quam primam ædificauit rex Hoſtilius) in quo erat pulpitum ornatum ex roſtris nauium Antiatum: ex quo quidem loco concionari ſolebant. Vnde pro Roſtris ſæpe apud Ciceronem, alióſque probos autores legimus. Sub dextra horum à comitio locus erat, vbi nationum legati ſubſiſtebant, qui ad Senatum mittebantur. Is à Græcis propter nationis præcelletiam Græcoſtaſis, hoc eſt, ſtatio Græcorum, eſt nominatus.

*Græcoſtaſis*

*Quid illo?*) Significatio eſt languoris cuiuſdam & lentitudinis.

*Legatus.* *Legati.*) Legatus fit ab eligo, quòd legatur publicè, vt mittatur. Eligebantur quippe publicè legati, quorum opera conſilióque peregrè magiſtratus vterentur, quòd nuntij eſſent Senatus ac reipublicæ. Vnde legatitium viaticum dicitur, quod interdum accipere legati ſolent, qui ad ſacrarium principis mittuntur.

*Cupediarij.* *Malim ad cupediarios vocari.*) Vide ventris improbitatem, quonam modo nullum vnquam finit ſui obliuionē capere. *Ad cupediarios*) Cupediarij ſiue cupedinarij adpellātur, ſicut ſupra retulimus, eſculentarum rerum venditores. Terentius in Eunucho, Act.2.Sce.2. Concurrunt læti mihi ob-

uiam cupedinarij omnes, cætarij, lanij, &c. Hinc prouerbium tantopere celebratum in vituperium Musicæ artis: Bonus cantor, bonus cupediarius.

*Nam differor fame.*] Sic Terentius in Adel. Act. 3. Sc.4. Miseram me differor doloribus, hoc est, discrucior, diuellor. Plautus in Penulo: Differor cupidine eius. Deflectio est, quemadmodum autor est Donatus, ad genus querelæ, quam edunt parturientes, cum earum viscera distenduntur: & quæ inexpertum dolorem nunc primum sentiunt.

*Differi fame.*

*Ah, quàm plumbeus es.*] Stupiditatis tarditatísque magister discipulũ defert & insimulat, eò quòd diuersa à præceptoris disciplina sequatur, & quòd minùs sit obsequens.

*Quàm plumbeus es.*] Metaphoricòs hîc plumbeus, crassus, hæbes, & siue acumine dicitur. Vnde plumbeum ingeniũ, obtusum dicimus, & quod penetrare cogitando non potest. Terentius in Heaut. Act.5. Sce.1. In me quiduis harum rerum conuenit, quæ sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus. Plautus quoque plumbeum hominem, liuidum appellat.

*Plumbeus.*

*Lucri bonus odor illinc adflauit nares meas.*] Allusio est ad Vespasiani Cæsaris dictum, qui cum ex lotio vectigal faceret, supérque eo facto à filio admoneretur, quòd è re tam putida lucrum faceret, paulò pòst collectam pecuniam filij naribus admouit, rogãs ecquid illa puteret. Hinc Iuuenal.

*Lucri bonus odor ex re qualibet.*

*Lucri bonus est odor ex re,*
*Qualibet.*

*Adflauit nares meas.*] Id est, in eas spirauit. Virgil.

*Adflare.*

*Lumenque iuuentæ,*
*Purpureum, & lætos oculis adflarat honores.*

*Adflauit nares meas.*] Nares, autore Donatò, ideo à naritate dictæ sunt, quòd nos odoratu doceant præsto & prope esse, quod adhuc oculi non vident.

*Nares.*

*Si odoribus & somniis ventrem pascas, quid, &c.*] Cum in patinis totus esset Pantolabus, atque fame non mediocri torqueretur, nil sibi arridere poterat, nec admittere quidẽ ille, quod culinam non saperet. Quia (vt vulgari fertur paroemia) venter auribus caret. Vbi nempe de pastu agitur, non admittuntur honestæ rationes.

*Ne spera communem tibi sortem.*) Ne putes te lucrum

*Sors.*

mecum partiturum. Est autem sors, summa siue caput, & prima pecunia quæ confertur in societatem, vt inde lucrum fiat. Terentius in Adel. Act. 2. Sce. 2. Hei mihi, etiam de sorte nunc venio in dubium. Id est, de precio quo empta est fidicina periclitor. Vnde consortes, qui tantundem sortis attulerunt ad societatem, quantum ille cum quo est societas & commercium. Sumitur & pro gratia, interdum pro patrimonio, aliquando pro fatali necessitate, plerumque pro iudicio. Virgil.

*Consortes.*

*Nec verò hæ sine sorte datæ, sine iudice sedes.*

*Imi Manes.*

*Sequor vel ad manes imos.*) Consensio ea segnis ac subtępida est si penitius famescentem consideres. *Ad manes imos.*) Intimos. Manum veteres bonum dicebant. Vnde dij manes appellati, hoc est boni, quos etiam metu mortis supplices venerabantur, quemadmodum è diuerso immanes dicimus crudeles, ac minimè bonos: & immania saxa, aspera, horrenda.

*Nunc gaudeo superasse me.*) Supergressa omni itinerum difficultate & angustia. Acolastus inter proficiscendum, suum omnem, quo deinceps viuere cupit, statum, paucis edisserit, in patrem obiter stringens aculeos, & ob Philauti sui consilium sese insolentius efferens. *Superasse.*) Eleganti & proprio verbo vtitur. Nam superare propriè supergredi significat, & quasi supra eò ascendere. Virgilius.

*Superare.*

*Superant montes, & flumina tranant.*

Aliâs vincere est. Terentius in Eunucho, Act. 2. Sce. 1. Hæc superat ipsam Thaidem.

*Crepido.*

*Viarum omnes crepidines.*) Difficultates, anfractus, angustias. Est tamen Crepido propriè prærupti saxi altitudo & moles. Virgil.

*Forte ratis celsi coniuncta crepidine saxi.*

*Expositis stabat scalis, & ponte parato.*

Significat & oram terræ quam aqua alluit, ex eo appellata, quòd vi aquæ crepitet, & quasi frangatur. Est quoq; metaphoricôs os putei, id est extrema ora, quæ ad ipsum puteum respicit: quò fit quidem vt omnem extremitatem crepidinem appellemus.

*Graues curæ.*

*Cedant graues curæ.*) Molestæ sollicitudines, anxietatésque animi. Dicta cura, quòd cor vrat. *Cedant.*) Disce-

dant,dent locum,victas sese fateantur. Hinc cedere iræ,cedere bonis, cedere iuri, pro discedere ab ira, à bonis, & à iure dicimus. *Cedere.*

*Mœror facessat.*) Facessat,hinc se faciat,id est,abeat,recedat. Inde translatum, quòd qui ad faciendum it, recedit. Terentius in Phor. Act. 4. Sce. 3. Hæc hinc facessat, tu molestus ne sies. Mœror verò à mœreor fit,id est doleo,quòd mœror, hoc est dolor, corpus marcescere faciat. A quo mœstum,triste,miserandum. *Facessere.* *Mœror.*

*Optato in portu quum nauigem.*) Nauigare in portu, prouerbialis metaphora est, qua autore Erasmo significamus nos iam à periculo abesse. Propterea quod qui mediis adhuc in fluctibus nauigant, hi ventorum & æstus arbitrio nauigant. Contrà, qui iam intra portum sunt, nihil habent negotij cum vndis & ventis. Terentius in And. Act. 3. Sce. 1. Nunc huius periculo fit: ego in portu nauigo. Huic contrarium est, in portu impingere. Non longè à superiori diuersum est illud eiusdem Terentij eadem Comœdia, Act. 5. Sce. 2. Omnis res in vado est id est, in securitate, extra periculum. Nam vt in profundo periculum: Ita in vado securitas est. Plautus in Aulul: Hæc propemodum iam esse in vado salutis res videtur. Translatum vtrunque à transmeantibus amnem, aut certè à nauigantibus. *Nauigare in portu.* *In portu impingere.* *Res in vado est.*

*Sub pectore quicquid tacitus versabo.*) Quicquid comminiscar,affingam,considerabo, mente voluam & agitabo. *Versare sub pectore.*

Virgil. *Quid iuuenis magnum, cui versat in ossibus ignem*
*Duras amor?*

Aliâs decipere seu fallere est. A quo versipellis,versutus,& verstia pro calliditate & astutia.

*Id in linguam, mox in manus, &c.*) Metaphorica locutio est, qua vtimur,quoties liberè ac tuto nos aliquid loqui & agere significamus. Est itaque sensus: Quicquid in mentem venerit,impunè,incircunspectè, temerè,arroganter,ac futiliter, & loquar & exequar: perinde quasi sermo mihi non in pectore,sed in faucibus nasceretur. *In linguã & in manus deriuari.*

*Licenter.*) Sine alicuius obiurgatione, sed cum impunita facultate loquendi agendíque quæcunque placuerint. Fit autem à licens participio, à quo & prælicenter à Gellio dicitur,quasi nimis licenter. *Licenter.*

*Deriuari.* *Deriuabitur.*) Deducetur. Fit autem à nomine riuus, quod locum depressum in longum, quo aqua decurrit, significat.

*Obstrepere studiis alicuius.* *Neque obstrepet quisquã meis studiis.*) Obstrepere propriè, est cum quodam strepitu cuipiam aduersari, obluctari, & obgannire. *Meis studiis.*) Meis conatibus, meæ libidini, meo arbitratui.

*Durus.* *Durus pater.*) Durus dicitur sæuus, asper, quique est adeò inexorabili ingenio, vt neque misericordia, neque precibus molliri queat.

*Obsistere.* *Obstitit.*) Oppediuit, reluctatus est.

*A quo me exulem reddidi.*) Recessi, me alienaui.

*Meapte sponte.* *Meapte sponte.*) Hoc est, quod prouerbialiter dicitur, Meis auspiciis, pro meo arbitrio, meisque præsidiis. Quod vtrunque complexus est Virgil. 4. AEnæid. cum ait:

*Quod si fata meis paterentur ducere vitam,*
*Auspiciis, & sponte mea componere curas.*

Terent. in And. Act. 4. Sce. 2. Age, si hic non insanit satis sua sponte, Instiga.

*Affectare* *Iã id affectabo.* Affectare, est nimio affectu & anxiè quærere captare vndiquaq; venari atque. Hinc affectatus sermo, affectata oratio, affectata verba dicuntur nimis anxiè & (vt ita dicam) curiosè quæsita. Affectare quoque viam ad dominas, pro acri vehementique affectu eas adire, dicit Terent. in Heaut. Act. 2. Sce. 3.

*Assurgere.* *Vt assurgant omnes aduenienti.*) Assurgere, est officij aut beneuolentiæ gratia alicui honorem tribuere. Virgil.

*Vtque viro Phœbi chorus assurrexerat omnis.*

Id est, honorem fecerat. Assurgunt sani, vt stent, aut obuiam eant: assurgunt ægroti, vt sedeant. Assurgit & dicturus in Senatu, aut in concione.

*Dexteras siue manus inicere.* *Dexteras iniiciant.*) Amplexentur, exosculentur. Plautus in Truculento: Post id ego in te manum iniiciam. Cicero pro Roscio Com. ipsa mihi veritas manum iniecit, & paulisper consistere, & commorari coëgit. Hinc Pythagoricum illud symbolum: Ne cuius citò dexteram inieceris. Quo admonemur non temerè quemlibet in nostram familiaritatem admittere, sed deligere quem amemus. Conuenit cum illo Solonis apophthegmate: Amicos ne citò pares, quos autem paraueris, ne reiice. Non est itaque ma-

nus iniectio, pulsatio & vi facta iniuria, vt Legulei nostri temporis autumant: sed vendicatio rei nobis debitæ, nulla iudicũ authoritate expectata. Quintilianus: Patri in filium, patrono in libertum manus iniectio fit. Virgilius:

*Iecere manum Parcæ.*

Id est, traxerunt debitum sibi.

*Comessatum ducant.*) Inuitent ad conuiuandum. A verbo enim comedo fit comesso, quod sicut in so desinentia verba, inchoatiuum est, si Laurentio Vallæ credimus. Ab hoc fit comessatio, non quidem à comesse infinitiuo, vt Seruio placet, sed à vicis, quos Græci κώμους vocant. Veteres enim olim in vicis habitantes priusquam oppida cōderentur, alij alios conuictus gratia inuitabant. Est autem comessari, propriè, post cœnam cibum & potum sumere, & lasciuè intemperantérque agere. Quidam hoc verbum à Como deducunt, compotationũ nocturnarum, vitæque genialis præside. Vndę çomessabundi & comessatores, qui comessationibus indulgent. Terentius in Eunucho, Act.3. Sce.1. Intromittamus comessatum.

*Comessatũ ducere.* *Comessatio* *Comessari.* *Comessabundi.* *Comessatores.*

*Denique delibutus vt viuam perpetuis gaudiis.*) Terentius in Phor. Act.5. Sce.6. Satin' est si te delibutum gaudio reddo? Id est, perfusum, & velut imbutum. Fit autē à delibo, quod modò degustare, modò sacrificare est. hinc delibutũ sacrificium dicimus.

*Delibutus* *Delibare.*

*Tum vel multo auro adiunxero omnes mihi.*) Adiunxero pro adiungam, hoc est, addam, adnectam, copulabo, quasi in vnum agam. Est autem hîc tralatio ab iis, qui honores dolosè ac non pro merito petunt, ambitiosique sunt. In quos vtiq; hoc iactatur prouerbium: Generosi ex crumena. Quo significare volumus quempiam, muneribus, fauore & profusa pecuniarũ largitione, honores vel magistratus assequutũ.

*Adiungere.*

*Monarcha sic regnabo præpotens.*) Monarcha, vnus omnium princeps dicitur. A μόνος & ἀρχὸς princeps, dux à quo monarchia, vnius principatus.

*Monarcha.*

*An non albæ filius gallinæ iure censear?*) Se fœliciter summóque genere natum hoc prouerbio gloriabundè innuit. Quod conuenire asserit Erasmus in eos, qui rara & fatali quadam fœlicitate successúque rerum vtuntur. Iuuenalis:

*Albæ gallinæ filius.*

*Quia tu gallinæ filius albæ.*

Deductum quidem hinc adagium, quòd læta atque auspicata Latini alba vocent. Veteres enim (quemadmodum suprà retulimus) quod inauspicatum haberi volebant, atrum aut nigrum vocabãt, quod fœlix album. vel quòd albas gallinas aliis nobiliores esse ac fertiliores asserunt, adeò vt aliȩ sexagena oua pariant, quædam quotidie, quædam bis die, aliæ intantum vt effœtæ moriantur.

*Optimis ouis prognatus.* *Optimis planè prognatus ouis.*] Hoc quoque prouerbiũ est, dici solitum de magnopere formosis ac nitidis, quasi neges communi hominum more natos, sed ex ouo instar Castoris & Pollucis. Contrà qui obscuro ignobilíque genere, aut parum fœliciter prognati erant, vetere prouerbio quarta luna nati, aut infœlicibus ouis dicebantur: aut certè terræ filij, propterea ꝙ terra sit communis rerum omnium parẽs.

*Ne diis quidem cedere.* *Nullis cessero, ne diis quidem.*] Maxima cum arrogantia fadestúque hoc pronuntiandum est: quum deo nos nostráque omnia sint prorsus summittenda, non ei obluctandum: vtpotè citra cuius fauorem, manca sit omnis mortalium industria, omnísque conatus. Prima officia, inquit Marcus Tullius 1. Offic. Diis immortalibus debentur.

*Subiicere.* *Subiecit mihi.*] Meæ menti impresſit, ſubdidit, ſupposuit.

*Boni ac mali rationes omnes.*] Motus animi, vera à falsis distinguentes.

*Tenere ad vnguem.* *Quas ad vnguẽ teneo.*] Id est, absoluta cura adhibita, operísque perfectione calleo. A marmorariis sumpta metaphora, qui superinducto vngui commissuras explorant marmorum. Eorum enim iuncturas tum absolutas existimant illi, quum vnguis superductus nihil offendit. Vnde ad vnguem fieri dicitur, cui extrema adhibetur cura, ita vt nihil artificis diligentiam effugiat. Horatius:

*Ad vnguẽ facere.* *Fonteius ad vnguem Factus homo.* Id est, absolutus.
Idem in Arte:
*Carmen reprehendite quod non*
*Multa dies & multa litura coercuit, atque*
*Perfectum decies non castigauit ad vnguem.* Persius:
*Vt per leue seueros*
*Effundat iunctura vngues.*

*Porrò autem obuiam optem dari hoſpitem amicum.*] Aduento quò aſpirabat Acolaſto, atque ſuo ſtatu quo penes ſe decreuerat victurum exquiſita diligentia librato, ſuis deniq;

vltro iactatis laudibus, iam omni voto diſquirit aliquẽ, qui eũ amicitiæ ac feſtiuitatis cauſſa, excellenter, lautè & ſplendidè, ſuo accipiat hoſpitio.

*Virum ſanè omnibus modis dignum.*] Id eſt, qui velut omniũ hominum calculo & ratione ſuper eius quantitate ac magnitudine, meæ præſtantiæ congruens iudicium ferat. Ratio ſiquidem iubet ne quid nimis, ſed vt omnia cum moderamine fiant. Et laudari ab illaudato homine, non laudari eſt, ſed vituperari. *Vir omnibus modis dignus.*

*Cui omnes optata omnia ferant.*] Cui non minus bene velint quíque, quàm ſibi ipſis. vel, cuius cõſilio non aduerſentur in re qualibet peragenda. vel, cui ferant optata omnia, id eſt, quæcunque poſtulat & eligit, mox adportent. Nam optare, aut deſiderare, aut eligere ſignificat, tractum ab ope petenda. hinc Optati dicũtur, qui electi & aſciti ſunt in honeſtum aliquem gradum. A quo optiones in turmis Decurionum, & in cohortibus Centurionum appellatæ. Terentius in Adel. Act. 5. Sce. 9. Dij tibi Demea oro omnes ſemper omnia optata offerant. Et in Eunucho, Act. 5. Sce. 9. Hoc ſi effeceris, quoduis donum & præmium à me optato, id optatum feres. *Optata omnia ferre alicui.* *Optare.* *Optati.* *Optiones.*

*Quòd ſi me noſcent qui ſiem.*] Iam in Thraſonicam Philautiam impenſiùs delabitur.

*Gregatim.*] Per varios greges. Hæc autem ferè omnia quę in tim deſinunt aduerbia huiuſmodi ſignificationẽ habent. vicatim, per varios vicos: oppidatim, per varia oppida: hoſtiatim, per diuerſa hoſtia, & item innumera alia. *Gregatim.*

*Coqui.*] Antiquè, nunc enim coci dicimus, id eſt, popinones. Nempe qui vt dapes vendant, publicè popinam tenent. Aliàs, qui alicui ſeruientes coquinariam exercent. De quo Martialis: *Coqui.*

*Non ſatis eſt ars ſola coquo ſeruire palato:*
*Nanque coquus domini debet habere gulam.*

*Fartores.*] Fartores dicuntur, qui inſitia & farcimina faciunt. Dicti ſunt etiam (authore Feſto) hoc vocabulo Nomenclatores, quaſi infartiẽtes nomina ſalutatorũ in aurem candidatis. *Fartores.*

*Vnguentarij.*] Vnguentorum confectores venditoréſque, vnguentarij appellantur. Odorarij verò, odorum. A Gręcis illi myropolæ, hi aromatopolæ dicti. *Vnguentarij.*

*Leno.* *Leno cum scortis.*]. A licere, quod implicare est, lenones appellantur, & in fœminino genere lenæ, quòd adolescentulos alliciant. Vel à leniendo, quòd leniendo animos adolescentium corrũpant. Scorta verò meretrices quæstuariæ dicuntur, vel quòd in grabatulis pelles stratas habere soleãt, vel quòd sicut pelliculæ subigantur. Scortum nempe dicitur corium, eorum præsertim animalium, quæ crasiore pellem habent ac duriorem. vel, interprete Donato, à parte sui meretrices scorta dicuntur, à scorto, quod est abdomen in corpore fœminarum patiens iniuriæ coitus.

*Scorta.*

*Valens.* *Valens.*] Artis lenoniæ insigniter peritus, egregiè impudens, orisque perfricti.

*Quem procul huc video aduentare?*] Perpende parasitorum suo in quæstu quãta sit aduigilantia & calliditas. Hinc inferiùs dicturus est Pamphagus: intendendi sunt nerui quæstui nostro. *Quem procul.*] Quasi porrò ab oculis. Terentius in Adel. Act. 3. Sce. 3. Sed quid illic est, quem procul video? *Aduentare.*] Veniendo proximũ esse. Est autem frequentatiuum ab aduenio.

*Procul.*

*Aduentare.*

*Peregrinus hospes* *Peregrinus hospes.*] Peregrinus, qui in sua ciuitate non est. hospes, qui in aliena ciuitate est.

*Benè habet.* *Benè habet.*] Deest res. Cicero pro Murena: Benè habet, iacta sunt fundamenta defensionis.

*Materia certi aucupij.* *Hinc nobis materia certi aucupij datur.*] Materia, argumentum, occasio, locus. Horatius:

*Sumite materiam, vestris qui scribitis æquam*
*Viribus.*

*Certi aucupij.*] Manifestæ ac patentis prædæ.

*Exprompta nunc opus est astutia.*] Ad strenuè agendum quæ imperet. *Astutia.*] Calliditate, versutia. Quemadmodum nos ab vrbe vrbanum pro lepido dicimus: Ita Græci ab ἄστυ, quod oppidũ vel vrbs apud eos dicitur, astutum pro callido versutóque sumunt. *Exprompta.*] Diligenti, accurata, solerti Promptus enim dicitur, qui iam paratus & expeditus est ad aliquid agendum, & in quo nulla mora est, quasi iam à penu productus. Hinc promptus ingenio, ingeniosus vocatur, id est, qui ingenium ad omnia paratum habet. Terẽtius in Aud. Act. 4. Sce. 4. Mysis, nunc opus est tua mihi ad hanc rem exprompta memoria atque astutia.

*Astutia.*

*Exprompta.*

*Promptus.*

*Cogitare.* *Quonam diuertam cogito.*] Nihil aliud est cogitare, quàm

mente agitare, ac veluti in mora esse cõsilij explicandi. Terentius in Andr. Actus secũdi, Scena secunda. Quid agam cogito.

*Quonam diuertam.*) Deflectam hospitandi gratia. *Diuertere.*

*Cinædus est.*) Cinædum quidam appellant hominem pudore vacuum, à nomine κενὸς quod vacuum significat, & αἰδὼς, id est, pudor. *Cinædus.* Alij saltatores & pantomimos Cinædos vocant, ἀπὸ τοῦ κινεῖν, quòd cum gesticulatione canerẽt, aliisque omnibus libidine anteirent, adeóque leuibus saltibus mouerentur, vt nulla durities in corpore videretur. Hinc natum prouerbium Cinædo mollior. Plautus in Aulul. Ita fustibus sum mollior, quàm vllus Cinædus. Alij Cinædum interpretantur, turpissimarum, obscœnarúmque, ac detestandarum voluptatum appetitorem. Hinc celebre Græcis prouerbium: Nullus comatus, qui non idem Cinædus sit. Dictum vtique in eos, qui formæ sũnt studiosiores, quàm virum deceat, quíque muliebri cultu delectantur.

*Ex vultu.*) In eo nempe cuiusque velut indoles ac voluntas relucet. *Ex vultu.* Prorsus in facie, inquit Salustius, vultúque vecordia inerat. Cicerò 1. Officio. Ex oculorũ, obtutu, superciliorum aut remissione aut contractione, facilè iudicamus, quantus sit in homine dolor, aut metus, aut denique tristitia. Omnis enim motus animi (vt idem ait 3. de Oratore.) suum quendã à natura habet vultum, & sonum, & gestum. Animi imago, vultus est: indices oculi. Nã hæc est vna pars corporis, quæ quot animi motus sunt, tot significationes & commutationes possit efficere. Oculi enim sunt quorum tum intentionè, tum cõiectu, tum hilaritate, motus animorum significamus aptè. Nam oculos natura nobis, vt equo & leoni setas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. Hactenus ille.

*Et filo corporis.*) Id est, ex habitu, ex imagine, reliquísque corporis lineamentis. *Filum corporis.* Vnde Pythagoras adolescentium qui se ad discendum ei offerebant physiognomiã, hoc est, mores naturásque coniectatione quadam de oris & vultus ingenio, déque totius corporis filo atque habitu sciscitabatur. Tum qui idoneus videbatur, recipi in disciplinam iubebat, & tempus certum tacere. Hinc etiam vulgari dicitur prouerbio: Non omnia pari filo conueniunt. Et item illud: Habitus bonum virum indicat.

*Preda vnguibus digna.* *Preda hæc est nostris vnguibus digna.*)Translatio est de famelicis ac rapacibus feris, quæ si quid inter venandum cœperint mox solent vnguibus morsúque dilaniare, ac dissecare in frusta. Prẹda autem à pariendo deduci contendũt, quasi parida,quod manu parta sit.Hinc Ioui prædatori tẽplum dicatum, non quòd prædæ præesset, sed quòd ei aliquid ex præda cederet. Quippe mos Romanorum fuit vt bella gesturi, de parte prædæ aliquid numinibus pollicerentur.

*Inserere se alicui a tergo.* *A tergo me huic inseram.*)Interponam,immittam.

*Quid me autem?*)Aposiopesis.Deest autem,vis facere.

*Subseruire* *Fac verbis meis subseruias.*)Obsequaris. Sic Dauus Mysidi loquitur apud Terentium in And. Act.4.Sce.4.Tu vt subseruias orationi vtcunque opus sit verbis,vide.

*In albo esse* *Nostro in albo.*)In nostro número, quibus licet omnibus adulari. Translatio est de albata tabula, in qua quondam scribebantur nomina eorum, qui magistratus & dignitates principis consecuti erant. Vnde decemuiri primò, deinde Centumuiri in albo descripti.Vnde qui album vitiasset,vel quodcunque aliud scripturæ genus sua præsumptione turbasset, capitaliter (vt Paulus iurisconsultus ait) non expectata ordinis sententia puniebatur.

*Clarus.* *Hospes bone,hospes clare*)Vide meræ assentationis nomenclaturas non illepidas.Clarum vocat,hoc est, conspicuum, illustrem,insignem,ac velut fulgore quodam famæ resplẽdentem,quem vix de facie nouerat.

*Iubeo te saluere.* *Iubeo te saluere plurimum.*)Tuam incolumitatem desidero quammaximè saluam esse. Estque modus loquendi longè elegantissimus.Terentius in Adel.Act.3.Sc.4.Saluere Hegionem plurimum iubeo. Plautus in Asinar. Saluere iussi Libanum libertum.Cicero Attico:Dionysiũ saluere velim plurimum.

*Propinare salutem.* *Propino tibi salutem plenis faucibus.*) Hæc tota locutio parasiticæ elegantiæ plena est. Ducta metaphora ab iis, qui prægustato leuiter vino,poculum alteri offerunt. Quæ cõsuetudo inde initium habuit,quod principes Gręcię solenni die, quem Philotesiã vocant, miscere aureis atque argẽteis poculis vina solebant,quæ è manu gestantium sumentes, ori parumper admouebant:deinde alteri quem vellent, offerebant, ingens hoc argumentum beneuolentiæ existi-

mantes. Ad quem quidem præbibendi ritum, non inſcitè alludit hoc in loco noſter Pantolabus, ſalutem propinans Acolaſto. Ad quem & alluſit Gnato ille Terẽtianus cũ ait de Thraſone in Eunucho, Act.5.Sce.9. Hunc comedendum & deridendum vobis propino. Et Socrates apud Platonẽ: hoc poculum Critiæ propino.

*Facete.*)Excultè, vrbanè, Terentius Eunucho, Act.3.Sce.1. Facetè, lepidè, lautè, nihil ſupra. Facetus autem dicitur, qui verbis facit quod vult. *Facetè.*

*Lautè*)Eleganter, magnificè. Lautus, qui mundus ac ſplẽdidus eſt. *Lautè.*

*Lepidè iſtuc tene.*)Iocoſè, venuſtè: hoc eſt, cum gratia quadam, & verborum acumine, ſalibúſque, hoc ſuſcipe. *Lepidè.*

*Viciſsim.*)Id eſt quod barbarè diceretur, & ego quoque. *Viciſsim.* Alternatim. Terentius in Phorm. Act.5.Sce.5. Viciſsim partes tuas acturus eſt. *Viciſsim.*

*Comprecor.*) Simul exopto, deſidero. Salutatio hæc ingenua eſt, & perliberalis. *Cõprecari.*

*Me hercle.*) Solebãt antiquitus ſoli viri per Herculem iurare, nec vnquam per Caſtorem: contrà mulieres per Caſtorem iurabant. Cuius rei ratio erat, teſte Macrobio. 1. Satur. cap. 12. quod Herculano quoque ſacrificio abſtinebant mulieres. Eo quod denegaſſent aquam ſitienti Herculi cum boues Geryonis per agros Italiæ circunduceret, aſſerentes fœminarum deæ celebrari diem nec ex eo apparatu fas eſſe viros guſtare. Propter quod facturus Hercules ſacrificium, deteſtatus eſt præſentiam fœminarum, ſacrorúmque cuſtodibus iuſsit, ne vnquam mulierem intereſſe permitterent. *Me hercle.*

*Magnam gratiam omnes habemus iſti tuæ humanitati.*)Humanitas hîc pro facilitate quadam ac beneuolentia inter omnes ſumitur, ab eo quod qui eruditionem atque inſtitutionem in bonas artes (quę humanitas propriè dicitur) ſynceriter ac liberali animo & cupiunt & aſſequuntur, hi maximè humani ſint, mites, faciles, tractabiles, & beneuoli. *Humanitas.*

*Magnã gratiã omnes habemus.*)Terentius in Adel. Act.5. Sce. 9. Omnibus gratiam habeo, id eſt, mentem gratã gratificandíque voluntatem. *Habere gratiam.*

*Vir bonus es ex habitu.*) Vide quemadmodum ſerpãt panratim in eius aſſentationem, ex oris figura, totiúſque corpo lis qualitate, forma, & cultu, eum metientes. *Vir bonus es.*) *Ex habitu.*

*Habitus.* Virum probum præ te fers ac oſtendis. Terentius, in Adel. Act.5.Sce.9.O noſter Demea, ædepol vir bonus es. *Ex habitu.*)Habitus(vt placet philoſophis)eſt alicuius rei ſiue in animo,ſiue in corpore à natura cõcepta,ſed vſu corroborata, & plena perfectio.

*Sed in his quamobrem pregrinaris regionibus?*)Vafrum principium, conditionis alicuius rationem intimóſque animi adfectus expiſcantis.Sic Terentius in Eunucho,Act.5.Sc.9. Cur in his ego te conſpicor regionibus?

*Tempeſtas affectuum* *Huc me grauis tempeſtas impulit meorum affectuũ.*) Lepida tralatio de nauibus quæ procellarum aſperitate & vi ventorum actæ, circunferuntur quamcunque in partem eas tempeſtas impulerit.

*Deſtinare Iter.* *Ecquònam deſtinabas iter?*) Deeſt facere,vt ſit & quò deſtinabas iter facere? Fit autẽ deſtino à de & ſto,quod delibe rare,& quaſi ſtare facere ſignificat. Iuuenalis:

*Laudo tamen vacuis, quòd ſedem figere Cunis*
*Deſtinet.*

*Pro ingenio viuere.* *Meo pro ingenio.*)Pro mea libidine ac voluntate, pro natura mihi ingenita;

*Commodiſſimè.* *Commodiſsimè.*)Aptiſsimè,integerrimè,conuenietiſſimè.

*Hic habitant omnis generis Veneres,& Gratiæ.*)Artificioſè, Nã huiuſmodi delitiis,venuſtatibus,illecebris,blandimentis,ac mollitie,facili negotio pelliciuntur adoleſcentes, iique maximè,quorum mentis acies voluptatum corruptela, omnis decori obliuiſcitur. *Omnis generis Veneres.*) Venereę voluptates. *Et gratiæ.*)Suaues lætitiæ,ac blandimenta.

*Veneres. Gratiæ. Oinopolia* *Hic oinopolia.*)Venditorum vini officinæ,ſeu tabernę. Hinc œnopola, id eſt,caupo,ab οἶνος vinum & πωλέω πωλῶ vendo.

*myropolia.* *Myropolia.*)Officinę eorum,qui vendunt vnguenta,quos noſtri vnguentarias vocant. Græcis enim myra ſonat vnguenta. Plautus. Quàm ſum defeſſus quærere per medicinas tonſtrinas,in gymnaſio, atque in foro, per myropolia. Rurſus: Per myropolia,& lamenas circunquaque argentarias rogitando ſum raucus factus.

*Pharmacopolia.* *Pharmacopolia.*)Tabernæ eorum, qui medicamenta vendunt. Græci enim pharmacon, medicamen vocant,ſignificantúrque apud illos eo vocabulo tam medicamenta, quæ proſunt,quã quę nocent.Vnde & Pharmacopolæ, ipſorum

medicamentorum venditores. Quinetiam medicamenta ipsa & bona & mala dicuntur:quippe & amatoria & incantationes sunt.

*Stabulant.*)Consistunt,commorantur,& quasi stationem habent. Virg. *Stabulare.*

*Centauri in foribus stabulant.*

*Musicum concentum.*)Diuersarum modulationem vocum. *Concentus musicus.*

*Sanè auspicato.*) Fœliciter, & non repugnantibus auspiciis,hoc est,auium conspectione, volatu,& vocibus. Terentius in Andria, Act. 4. Sce. 6.Haud auspicatò me huc appuli. Nam pol si id sciissem, nũquam huc tetulissem pedem. *Auspicatò.*

*Huc tetuli pedem.*)Applicui.Ferre in præterito habet tuli & tetuli, vt placet Diomedi.Ferre autem & inferre pedem, est intrare. Referre pedem, est eius contrarium, quod ineptè multi dicunt,retrahere se. Afferre pedem, venire. Cõferre pedem, simul congredi.Efferre pedem,exire.Qui modi dicendi sunt longè venustißimi. Virgil. *Ferre pedẽ.*

*Inde domum si forte pedem si forte tulisset*

*Mere fero.* Idem.

*Ferte pedem,faunique simul, Dryadésque puellæ.*

Plautus in Menec.Propera Menechme, fer pedem.

*Vbi frontem exporrigam.*)Frontem exporrigere siue explicare,est hilarescere: contrahere verò, est ringi, hoc est, vbi quid molestum est,signum molestiæ ac seueritatis ostẽdere. Frons enim à ferendo dicitur,quod animi indicia præ se ferat. Est enim ea authore Plinio,homini tantum,tristitiæ,hilaritatis, clementiæ,seueritatis aliorúmque affectum index. Terentius in Adel.Act.5.Sce.3.Exporrige frontem. Horatius in Odis: *Exporrigere frontẽ*

*Sollicitam explicuere frontem.*

Plautus: Porrectiore fronte mecum loquaris oportet.

*Vobis nomen dabo.*)Hoc dicit,quò gratius plausibiliúsque in eorum admittatur contubernium, & qualem agere vitã velit,ostendat,nempe quæ cum nomine conueniat & quadret.*Vobis nomen dabo.*)Exhibebo,dicam,patefaciam. Virg. *Dare nomẽ*

*Sed tamen iste deus qui sit da Tityre nobis.*

Plautus in prologo Penuli:Sed nisi molestum est,nomen dare vobis volo Comœdiæ.

*Nomen)* Hoc cum exclamitatione,& blandiente risu efferendum est. Est quoque Emphasis non illepida. Quod *Emphasis.*

perinde est quasi diceret. Quid quæris nomen meum, quod est mirabile?

*Acolastus?*) Vide Parasiticam captionem, hoc enim non mediocri cum admiratione & dimotione capitis, more adulatorio subridens pronuntiat, quò eum in suos casses blandiùs alliciat.

*Vah.* *Vah.*) Exultantis & lætitiæ interiectio. Nec potuit vox accommodatior dari assentatori, præ gaudio conuenientissimi nominis exclamanti. Sic Clinia Terẽtianus ad primum suæ Antiphilę congressum: Vah, ergo mea Antiphila, tu nũc sola reducem me in patriam facis. In Heaut. Act. 2. Sce. 4.

*Nomen cõuenit.* *Nomen conuenit.*) Conueniunt rebus nomina sæpe suis.

*Hem.* *Hem.*) Interiectio læti.

*Noster es.* *Noster es.*) Blandientis dictum. Virg.

*Quisquis es amissos hinc iam obliuiscere Graios,*
*Noster eris.*

*Noster es.*) Nostræ farinę, nostri gregis, nostræ cõditionis.

*Sed nulla ne spes est potiundi hîc principatus?*) Hoc cũ philautia quadã & sui ostentatione dicit. *Potiundi principatus.*) Obtinendi imperij, & quasi cum potestate habendi: sicque

*Potiri.* fere semper genitiuo gaudet, eiúsque potissimum nominis Rerum, vt, Lacedemonij rerum diu potiti sunt. Aliàs in potestatem vendicare est, eoque significatu, frequentiùs ablatiuum habet, vt potitus sum victoria, amica, optatis. Id est, pugnando, laborandóque obtinui victoriam, amicam, & optata. Potimur autem rebus expetitis, ac velut obtinemus.

*Frui.* Fruimur quibus nos oblectamus.

*Maximè.* *Maximè.* Affirmantis particula. *Maximè.*) Cicero in Lælio: Semper, inquit, auget assentatio id, quod is, cuius ad voluptatem dicitur, vult esse magnum.

*Forma heroica.* *Heroica.*) Heros dicitur quid partim ex deo partim ex homine cõpositũ. Varro scribit inter Lunę gyrũ, & nimborũ ac ventorũ cacumina, aëreas animas esse, sed eas animo, non oculis videri, & vocari heroas, & lares, & penates, & genios, aliquid inde meriti supra humanum captum illis deputans. Vbi quidem & Mercurij illius Trismegsti videtur accinisse sententiæ dicentis, heroas habitare inter aëris purissimam partem supra nos & terram, vbi nullus est nebulis locus. Ex quibus quidem colligere est, heroicam formã eam dici, quę ingentẽ virtutem prę se ferat, & aliquid præter ho-

minem

nem possideat.

*Mores.*)Viuendi ratio,& animi institutum. *Mores.*

*Indoles.*)Generositas quędam virtutis.Est autem propriè *Indoles.* indoles,in pueris & adolescentibus significatio quædam,& quasi odor futuræ virtutis:in viris autem , signum & quasi odor præsentis.

*Cultus.*)Ornatus corporis. A colo deductum nomen , ex *Cultus.* quo quidem licet habitum animi coniicere.

*Et differendi gratia .*) Eleganter venustéque declarandi *Differēdi gratia.* quod velis.A quo differto frequentatiuum,differtabundus, & differtatio.

*Magno te loco ortum arguunt.*)Te celebri genere natum o- *Magno loco ortus.* stendunt. Salust. Natus haud obscuro loco.

*Dum te contemplamur fixius .*) Eò assentationis hîc ascendunt,vt diuinos honores mortali deferant, quales & Alexandro illi magno sycophantas quosdam & parasitos decreuisse asserunt. *Contemplamur fixius.*)Firmius & perspica- *Contēplari fixius.* cius, quàm ante hac intuemur.

*Diuina elucet in te quædam maiestas.*) Egregia quidem virtus ex ipso oris habitu perspicitur,& in ipsa quasi splendet fronte. Veram enim nobilitatem testatur facies hominis, itidem vt mores: ex quibus quidem coniicere licet quid insit homini,quem contemplamur , iuxta illud Mitionis Terentiani in Adel.Act.5. Sce.3. Multa in homine Demea signa insunt,ex quibus coniectura facile fit: &c. *Diuina ma- Maiestas.* *iestas.*)Decus,amplitudo,dignitas. *Elucet.*) Apparet. Ducta *Elucere.* tralatione à vehementi perspicuóque splendore solis. *Ecclipsis.*

*Nihil est in me.*)Est hîc Ecclipsis,deest enim postquam, vt sit,postquam nihil est in me,&c.

*Quin.*)Pro quod non.Cicero nemoest nostrū,quin vota *Quin.* victoriæ suæ fecerit,id est,qui non.Terent. in Heaut. Act. 4.Sce.6.Nulla est tam facilis res, quin difficilis fiet, quā inuitus faciás. Id est, quæ non difficilis sit.

*Viuo & regno.*)Suprà modum gloriantis, sibíque plus nimium adplaudentis vox. Horat.

*Quid quæris? Viuo & regno simul ista reliqui.* *Viuo & regno.*

Spectat autem ad id quod prius intulit: Denique delibutus vt viuam perpetuis gaudiis, Et paulò infra : Monarcha sic regnabo præpotens.

*Non sentit caudex palpum obtrudier.*)Hoc vultuosè , vernili- *Caudex.*

ter, & presſius pronunciat, quo ſpectator tãtum intelligat. *Caudex*) Hoc iniurioſe dicitur in ſtultum, & minus perſpicacem hæbetioríſque ingenij hominem: eo vtique ſignificatu quo ignauum, & lapidem aut ſtolidum adpellamus; quamuis tamen idem ſit: ſed hoc plus & apertius eſt. Terentius in Heaut. Act. 5. Sce. 1. In me quid vis harum rerum conuenit, quæ ſunt dicta in ſtultum, caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus.

*Obtrudere palpum.*

*Non ſentit palpum obtrudier.*) Obtrudere palpum, eſt arte, fucoque, ac doloſis blandimentis decipere. Plautus: Ego iſtuc aliis dare condidici, mihi obtrudere non potes palpũ. Fit autem palpum à palpo ſeu palpor, quod propriè eſt leniter, & quaſi tentando tangere. Vnde & pro adulari frequenter accipitur: & Palpones adulatores vocamus, à ſimili metaphora. Tracta quidem, authore Eraſmo, ab equiſionibus, qui ferocientibus equis, plauſu manus adblandiuntur.

*Palpones.*

*Regẽ hunc eſſe oportet*

*Hem regem hunc eſſe oportet.*) Non quidem quod diuitiis probè vſurus eſſet, ſed quia pecunioſus. Sic Dauus apud Terentium in Phor. Act. 1. Sc. 2. Oh, regẽ me eſſe oportuit.

*Scilicet.*) Vide inconditam properationem aſſentationis paraſiticæ, adeò vt non ſinat verba impleri, quin præfeſtinet ſcilicet, cum extollentia eius, quem dolis eludere cupit. Probè igitur ſuo munere fungitur ea in parte, qua iuſſerat eum Pamphagus ſuis verbis ſubſeruire, quò in paraſitorum albo ſe dignum haberet locum.

*Dos.*

*Tot clarum dotibus.*) Dos non ſolum ea eſt, quæ maritò ab vxore datur, ſed & quicquid alicui datum eſt, vel à natura, vel ab hominibus. Vnde dotes animi, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinẽ, cæteráſque virtutes dicimus. Dotes quoque corporis, robur, pulchritudinem, incolumitatem, & alia huiuſmodi.

*Si noſceretis quid mecum portem boni, tum iſtuc mágis diceretis*) Vide quid præſtet, & quò ſe extendat Philautia. Hoc enim dicit, vt magis eorum animum exacuet in ſuam ipſius laudem. Eſt autem locus à fortuna.

*Virtutes.*

*Virtutes narra tuas.*) Non dicit elegantem indolem, ſed virtutes. Virtutes enim ſunt perfecti ſapientis, vel diui alicuius. Hinc illud: Dum te contemplamur fixius. Diuina elucet in te quædam maieſtas. *Virtutes narra tuas.*) Vel titulos

condemnationésque reliquas,vel animi affectiones & conceptus, vel quod pecunia sit viatoris fortitudo. Terentius in Adel. Actus 4.Sce.1. Virtutes narro. Respondetur, meas? Tuas, inquit.

*Vt hinc oneris.*) Decoreris, exalteris, laudibus efferaris. Terentius in Adel. Act.2.Sce.1. Quid hoc rei est? Regnúmne Aeschine hic tu possides? Respondetur: Si possiderem, ornatus esses ex tuis virtutibus. *Ornari.*

*Agedum.*) Hortantis particula, vtrique numero seruiens. *Agedum*

*Appendite Zonam.*) Appendere, est ad lancem atque stateram ponderare. Hic illud iam appende pecuniam, non numeres. Cicero, pro ponderare, hoc est, exactè considerare metaphoricôs vsus est. Ea, inquit, putaui non numerare lectori debere, sed tanquam appendere. Aliàs adiungere ac suspendere significat. Hinc appendix, quod adiunctū quasi ex alio pendeat. *Appēdere.* *Appēdix*

*Multo auro grauem.*) Ingenti auri copia ponderosam, vel plenam, Iuxta illud Virgilianum: *Grauis auro.*

*-Donec regina sacerdos*
*Marte grauis.* Rursus:
*Tum pietate grauem, ac meritis si forte virum quem*
*Conspexere silent.*

*Hui.*) Mirantis interiectio, & hoc cum scurrili gestu, leuiori autem personæ congruo. *Hui.*

*Tam graues auro loculos.*) Ecclipsis parasito apposita & conueniens. Deest autem tecum portas, tecum vehis, & circunfers. Loculus verò diminutiuum est à locus, significátque sacculum quo pecunia seruatur qui alió nomine Bulga, & marsupium, dicitur. Hinc vulgare prouerbium: Mendicantium loculi, sunt super inanes. *Loculus.*

*Habet.*) Mussitātis cum capitis depressione, vel in aurem susurrantis dictum. *Habet.*

*Auri encomion possim dicere.*) Encomion propriè laus illa & præconium dicitur, quod apud Græcos in eos fiebat, qui ré strenuè gessissent in bello, quo vtique adhibito & oratione quapiam, aut carmine laudabantur. Vnde Theocriti carmen in laudem Ptolemæi, cui titulus Encomion: & Luciani Demosthenis & muscæ Encomion. Rursus Erasmicæ Moriæ Encomion. Hinc natū illud quod vulgò fertur pro- *Encomion*

uerbium: Ante victoriam encomium canere. Et Encomiastes qui alterius celebrat encomium.

*Faustitas.* *Pulcherrima aurum faustitas mortalibus.*) Faustitas, Id est, prosperitas, fœlicitas, propitiatio, & cui omnes fauent. Græcè dicta ἰυτυχία. Horat. 4. Car. Ode 5.

*Nutrit rura Ceres, almáque faustitas.*

Hinc Petronius poëta.

*Quisquis habet nummos, secura nauiget aura,*
*Fortunámque suo temperet arbitrio.*
*Multa loquor: quoduis nummis præsentibus opta.*
*Et veniet. clausum possidet arca Iouem.*

*Aurum parẽ diis hominem facit.* *Hoc te parem diis facit.*) Vel quod quemadmodum deorum prouidentia, ditione, ac numine mũdus administratur: ita qui sunt pecuniosi, humana quæque regant & moderẽtur. Vel quod quẽadmodum à diis pendent omnia: ita pauperiores à ditioribus. Vel, quod illi more deorum voluptate fruantur: vel quòd extollantur honoribus, donísque cumulentur, existimati quidem à simplicioribus optimè de eis mereri, quum, diuo Iacobo teste, per potentiam eos opprimant, trahant ad iudicia, atque blasphement bonum nomen quod super eos inuocatum est. Iaco. 2.

*Aurum prabet honores.* *Hoc qui habet, repente honoratus fit.*) Hîc lepidè & ad amussim suis coloribus describuntur diuites, qui quãuis sint plerunque omni stulto stultiores, ac quouis indoctiores Philonide (vt est in prouerbio) inelegãtioréśque libethriis: si maxima tamen eis suppetat auri vis & copia, clari ac sapientes vulgò habentur: omni denique cultu, veneratione, & obseruantia digni. Diues commotus (inquit Sapiens) confirmatur ab amicis suis: humilis autem cum ceciderit expelletur & à notis. Diuiti decepto, multi recuperatores: locutus est superba, & iustificauerunt illum. Humilis deceptus est, insuper & arguitur. Locutus est sensatè, & non est datus ei locus. Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbũ illius vsque ad nubes perducent. Pauper locutus est, & dicunt: Quis est hic? & si offenderit, subuertunt illum. Hæc Ecclesiasticus cap. 13. Sic & Horatius lib. 2. Ser. Saty. 3.

*Omnis enim res.*
*Virtus fama, decus, diuina, humanáque pulchris.*
*Diuitiis parent, quas qui construxerit, ille*
*Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam rex:*

*Et quicquid volet, hoc velut virtute paratum,*
*Sperarit magnæ laudis fore.*

*Clarus.*) Inclytus. insignis. *Clarus.*

*Rex splendidus.*) Quouis decore, dignitate, & gloria illustris. Vtrinque metaphora ducta, à splendore solari. Hinc splendorem vel claritatem nominis, familiæ virtutum, rerúmque bene gestarum dicimus. *Splēdidus.*

*Salutari.*) Venerari, Virg.
*Tum vero Rutuli clamore salutant.* *Salutari.*
Hinc & mortuos, & res etiã inanimatas venerantes, Salue, dicere solemus, non quidem salutem imprecantes, quæ nulla in eis esse potest, sed venerationem indicentes. Virg.
*Salue sancte parens, iterum saluete recepti*
*Nequicquam cineres.*

*Ter maximè rex.*) Animaduerte merè parasiticum applausum, germanámque Gnatonis Terentiani assentationem, & ad viuũ expressã. Plurima (inquit ille) salute Parmenonem summum suum impertit Gnato. In eunucho, Act. 2. Sce. 2. *Ter maximus.*

*Ter maximè rex.*) Hoc nomine salutatum ferunt Mercuriũ illum hermetem, quem & nos Gallicum fecimus. Vnde & Trismegistus, quasi ter maximus dicitur, quod & Philosophus maximus, & sacerdos maximus, ac maximus denique rex fuerit apud Aegyptios.

*Quin.*) Pro cur non. *Quin.*

*In clientelam tuam nos suscipis?*) In tuum famulitium, in tuam tutelam. Terentius in Eunucho, Act. 5. Sce. 9. Thais patri se commendauit in clientelam & fidem. *Clientela.*

*En vobis auctoramenta hæc mea.*) Deest dantur. Aliquid eis elargitur, aut ostendit, obligationis aut stipendij loco, quo illi deuinciri debeant, & obligari more militum sub duce. *Auctoramenta.*

*Dedo.*) In perpetuum do: & ita differt à do, quòd propriè damus animo repetendi: dedimus autem quæ in perpetuum damus. Vnde & dedere se hostibus dicuntur qui sese in hostium potestatem tradunt, sicque dedititij adpellantur. Terentius in Heaut. Act. 4. Sce. 3. Dedo patri me nunc iam, vt frugalior sim quàm volt. *Dedere & dare*

*Quantus sum.*) Id est, quantuscunque. Quod Terentius in Adel. ad maiorem vim & expressionem rei ampliorem geminauit, in hunc modum: Tu quantus quantus, *Quantus.*

nihil nisi sapientia es. Act.3.Sce.3.

*Mãcipari.* *Illi mancipor.*) Memet illi summitto, nexúque quodam seruitutis deuincio astringóque, ac seruum facio. Translatio est à solennitate quapiam apud Ronanos quondam in emptionibus fieri solita: in qua adhibebantur non minùs quinque testes Romani ciues puberes, & alius quispiam eiusdem conditionis, qui libram æneam teneret. Vbi quidem dicebat emptor: hoc ego ex iure Quiritum meum esse affirmo, hoc quod emptum est hoc ære, æneáque libra. Deinde libram ære percutiebat, ídque æs dabat ei à quo rem emptam accipiebat. Ex quo quidem emptionis ritu, seruus, equus, ouis, aliáque eiusmodi mancipia appellata sunt.

*Mãcipia.*

*Interluscos regnat strabus.* *Sic inter luscos regnabit strabus.*) Hoc prouerbium, vt ait Erasmus, sapit vulgi fecem. Iactatur autem cum inter médicos, qui paululum habet numorum, Crœsus habetur. Inter indoctos, qui semidoctus est, existimatur doctissim⁹. inter locupletes, & magnæ authoritatis viros eisdem sese communicare. Est autem strabus siue strabo, qui oculos habet distortos. Luscus, qui altero oculo orbus est, quem veteres coclitem dicebant. Peti verò dicuntur, qui alterum oculum minorem habent. Lucini, quibus parui vtrinque ocelli, & breuis visus.

*Strabus.* *Luscus.* *Peti.* *Lucini.*

*Pulchrum spectaculũ.* *Pulchrum spectaculum.*) Subaudiẽdum adest: ironicè autem ac vultuosè pronunciandum. Nempe quod comites se ac ferè socios præberent infimæ cõditionis homines ac pauperrimi tam numato domino.

*Hærere.* *Quid hic hæremus ieiuni?*) Cur incerti remanemus atque defigimur? Cur tandiu hoc in loco suspensi sumus, & ancipites? Hærere siquidem cum propriè sit arctè alicui rei insidere, aliquando tamen pro dubitare sumitur, quod qui in dubium incidunt, consistant in cogitatione, nec vlterius procedant, & sic suspensi esse videantur. Eadem ratione dicimus feras auésque captas, retibus hærere quod nequeant discedere. Et in te omnis hæret culpa dicit Terentius in Hecyra, Act.2. Sce. 1. Pro est, vel consistit.

*Quin.* *Quin.*) Pro cur non.

*Iam dudũ.* *Iam dudum est in patinis meus animus.*) Hic causam aperit poëta, cur & inuitus Pantolabus rostra adiret, & nunc libens domum redeat. *Iam dudum*) Actum insistentem ac manentem significat: dudum verò transeuntem. *Est in pati-*

*pis meus animus.*) Simillimum est illi Aristophanis, animus est in coriis, quo vtroque licebit vti, interprete Erasmo, cũ ob sollicitudinem erit aliquis ad id quod agitur in præsentia parum attentus. Terentius in Eunucho, Act. 4. Sce. 7. Iamdudum est animus in patinis. Patina autem vasis genus est, quo dapes elixę & iusculentæ in mensam feruntur. Huius diminutiuum est patella. *Animus in patinis.* *Patina.*

*Vbi vis, nihil moror.*) Vbi pro quando, non est enim loci, sed temporis aduerbium. *Nil moror.*) In nulla sum mora ac retardatione. Quintilianus: Quid me pater detines? quid moraris abeuntem? Terentius in Heaut. Act. 1. Sce. 1. Egomet conuiuas moror, hoc est, in mora detineo, expectare facio. *Vbi.* *Morari.*

*Dabit dignum patella operculum.*) Hoc gestu vultúque seruili & cum capitis subagitatione pronũciat: quod & solum spectatorem decet intelligere, hoc autem prouerbio significare voluit Pantolabus, similem simili ductu Pamphagi contigisse, malúmque malo, & dignum digno. Eo vsus est & diuus Hieronimus in epistola quadam ad Chromatium delegata, quo Episcopum quendam ad improbos populi mores accommodatum significat. Deus, inquit, illis venter est, & in diem viuitur: & sanctior est ille qui ditior est. Accesit huic populo patellæ, iuxta tritum populi sermone Prouerbium, dignum operculum. Et item ad Pammachium: Inuenit protinus patella operculum. Affine est huic & illud: Similes habent labra lactucas. *Dignũ patella operculum.*

*Vnde autem obsonabitur patrone optime?*) Egregiè vtrumque dixit & patrone, & obsonabitur, quia patroni est libertum non deserere, sed alere manumissum. Plautus: Facis melius quàm pars lenonum, qui libertos habent, & eos deserunt. Vnde quemadmodum Dominus seruire latiuum est, ita patronus liberti, aliquando etiam famuli. A quo fit patrocinari, quod est tam verbo quàm facto imbecilliorem protegere. Et patrocinium, ipsa protectio. *Patronus.*

*Rectè.*) Vide ventris aduigilãtiam quàmpromptissimã. *Patrocinari.*
*Rectè.*) Subaudi, dicis. *Rectè.*

*Et appara cœnam.*) Apparare, est ad dignitatem quandã ac veriùs pompam instruere. Præparare vero, est quæ vtilia sunt, aut fore creduntur. Terentius in Heaut. Act. 1. Sce. 1. *Apparare.*

Video alios festinare, lectos sternere cœnam apparare.

*Potificalis cœna.* *Quæ cum pontificali certet.* Quæ talis sit, vt cum conuiuio opiparè extructo contendat atque pugnet. Quæ vincat omnem elegantiam egregiè ac splendidè præparatæ cænæ. Olim prælautas, sumptuosásque, & opiparas cœnas, pontificales appellabant. Vnde Macrobius Saturnal. 3. Vetustissimam quandam pontificis cœnam describit, summo apparatu & omnigenis lautitiis affatim extructam. Id inde natum, autore Erasmo, apparet, quod solennes sacræque cœnæ exquisitissimis epulis solerent instrui. Consimili figura, Cærealem cœnam dixit superius.

*Metonymia.* *Tum Venus, Bacchus, Ceres.*) Tres sunt metonymiæ, vbi per transnominationem inuentor pro inuento, efficiens pro effectu ponitur. Terentius in Eunucho, Act. 4. Sce. 5. Sine Cærere & Baccho friget Venus.

*Epulatio.* *Nostris volo intersint epulationibus.*) Nostro conuiuio. Epulatio nanque & epulones, fiunt ab epulor, quod edere & conuiuari significat.

*Tibicines.* *Tibicines.*) Tibia cauentes. Dicitur & in fœminino genere Tibicina.

*Deducere.* *Deduci è foro?*) Deducere propriè dicitur, qui alicui officij gratia comitatum præstat, huius contrarium est reducere. Vt deduxi Catonem in Senatum, eunque domum vt reducam præstolor.

*Properare. Festinare.* *Propero ad macellum.*) Properare, vt aiunt quidam, est animi studiosè ad aliquam rem contendentis: festinare verò corporis necessitati obsequentis. Virgil.

*Et mediis properat aquilonibus ire per altum.*

Idem. *Festinate viri: nam quæ tam sera moratur Segnities?*

*Regem deducito.*) Rectè regem, iam enim nomine regio eum salutarant, quod & hîc repetit non sine maximo delinimento & applausu. Vel quod rex aliquando pro potentiore sumitur, & eo quem nobis veluti in patronum seligimus, quem sequamur. Habet enim hîc rationem nominis ad aliquid dicti ad significandum parasitum. Vt enim autore Donato parasitus regis est & libertus patroni, sic è contrario rex parasiti est & patronus liberti. Sic Phormio ille Terentianus in Phor. Act. 2. Sce. 2. Imo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert.

*Cliens.*) Cuius eſt patronum ſequi & colere, vt ab eo defendatur. *Cliens.*

*Sed ſublata ſarcina.*) Hoc lentiùs & ſummiſſè dicendum eſt. *Sed ſublata ſarcina.*) Quod nunc ſarcinam, prius loculos appellauit. Eſt tamen propriè ſarcina vtenſilium, & eorum quæ ad cultum pertinent, veluti faſcis, quem quis in tinere faciendo circunferre poſsit. Hinc milites cum caſtra mouere volunt, ſarcinulas colligere dicuntur, & qui in aliam domum migrant, ſarcinas ſuas componere. *Sarcina.*

*Ad veneris Phanum.*) Lenoni inſigne appoſitum & congruens. *Ad veneris phanum.*) Ad, id eſt, iuxta. Phanum autem à fando dictum quidam exiſtimant, quod põtifices in dedicatione templi certa verba præfari ſolerent: quanuis ſint alij, qui ἀπὸ τοῦ φανεροῦ dictum malint, quod ſignificat manifeſtũ, quòd è phano reſponſa darentur. Vnde prophetæ, dicti ſunt antiſtites phanorum & oraculorum interpretes. Item prophanum, Irreligioſum, non ſanctum. *Ad veneres phanũ.* *Prophetæ.* *Prophanũ.*

*Procedo.*) Progredior. Terentius in Adel. Act. 5. Sce. 9. Syre proceſsiſti hodie pulchrè. Aliâs procedere, ſuccedere eſt. *Procedere.*

*O fortunatum hunc diem.*) Vox exultantis cum tripudio. Sic Pamphilus ille Terentianus, poſtquàm ſua Glycerium agnita eſt: O fauſtum & fœlicem hunc diem. In And. Act. 5. Sce. 4.

# ACTVS SECVNDI
## Scena Quarta.

PAMPHAGVS SOLVS.

*Trochaici Catalectici.*

*HA ha he, Quàm tutum hospitium confidentiæ meæ*
*Mihi paraui! Quàm promptũ nactus sum diuerticulum*
*Exercendis fucis, imposturis, & sycophantiis!*
*Hinc mihi præsens lucrum est, abradi dimidium potest.*
*Causabor caram esse annonam, vt conueniant ratiunculæ*
*Accepti & dati. In rationibus nullis tenerier*
*Vinculis possum. Ad suffugia, mille mihi rimæ patent.*
*Næ iste totus desipit, qui nobis auscultauerit,*
*Per quos velut in nassam illectus, ad viuum vsque eroditur.*
*Intra casses nostros præda est, quam vsque venati sumus:*
*Illa nostris vnguibus frustillatim discerpitur:*
*Quippe, sic peram illam, nunc multo ære turgidam ictibus*
*Vellicatim exenterabimus, vix vt inopi fiet*
*Reliquus obolus emundo resti. Quantumuis gestitet*
*Auri in loculis, vniuersum id insumemus luxui.*
*Scilicet, triumpho seriò, postquàm cellarius*
*Euasi potentis domini, id quod futurum insomnia*

*Pudum prædicabant omine læto. Nunc tempus monet,*
*Vt procurram obsonatum, prolixius satur, mea*
*Post erumpam gaudia. Heus, heus gestientem Pamphagum*
*Nemo lanionum videt? nemo salutatum aduenit?*
*Faxo iam ostenso auro, quod me habere nesciunt, simul*
*Ad me non accurrisse doleant obtrusis mercibus.*

HA *ha he.*) Hac scena inter adeundum macellum obsonaturus Pamphagus, immoderatiùs suũ exprimit gaudium, se obiter efferens ob ingenij acrimoniam ad comminiscendos nectendósque dolos longè accommodatissimam. Gloriatur autem in suos casses iam diu petitam prædam suis technis pro voto incidisse. Subinde minitans se breui emuncturum Acolastum argento, idque vniuersum luxui insumpturum, iuxta quod suum fœlix & minimè fallax portendebat insomnium. *Argumẽtum.*

*Ha ha he.*) Vt monere & moneri, inquit Marcus Tullius in Lælio, est veræ amicitiæ, & alterum liberè facere nõ asperè, alterum patienter accipere non repugnanter: sic nullam in amicitiis pestem esse maiorem, quàm adulationem, blanditiásque, & assentationem famæ ineptæ præconem, hæc scæna nobis exemplum & imaginem ponit ob oculos. A qua quidem re vulgari iactatur prouerbio intempestiuam beneuolentiam nihil à simultate differre. *Doctrina.*

*Ha ha he.*) A voce parasito accommoda incipit. Nempe ab interiectione risus & cachinni, quò se callidius imposuisse Acolasto demonstret. *Ha ha he.*

*Quàm tutum hospitium confidentiæ meæ mihi paraui!*) Trãslatio est à viatoribus, qui incognitam peragrantes regionem, quò securi fiant ab hostium incursu ac latronum infestatione, sollicitè consueuerunt sibi tuta deligere diuersoria, vbi hospitentur. Vel, è diuerso ab eorundem latronum speluncis, quò res suas agant tutiùs, flagitiúmque suũ tenebricosiùs perpetrent. *Confidentiæ meæ.*) Meæ credulitatis & spei. Hìc enim in bonam sumitur partem, aliâs in *Tutum hospitium.* *Cõfidentia.*

malam, vt ſuperius docuimus. Hæc autem omnia Plautina ſunt in Cap. Act.3.Sce.3.

*Quam promptum nactus ſum diuerticulum!*] Tralatio quoque eſt à tramite, per quem à militari via, ſiue de itinere quod cœptum eſt diuertitur, vt quo tenditur, perueniatur, compendioſius faciliúſque. Sunt nanque diuerticula, authore Seruio, ſemitæ tranſuerſæ, quæ ſunt à latere viæ militaris & regiæ. Diuerticulum, inquit Donatus, eſt vbi de via flectitur. Et propriè diuerticula dicuntur in via domicilia, ad quæ de itinere diuertendum ſit. Terentius in Eunucho, Act.4.Sce.2. Vbi ad ipſum veni diuerticulum.

*Diuerticulum.*

*Promptū.*

*Promptum.*] Expeditum, manifeſtum, apertum. Idque metaphoricôs, quòd res quæ à ſecretiore loco educitur, parata nobis ſit & ad manus, cuiuſmodi eſt fraus fraudulentis, furtum furibus, ſubtile & acutum ingenium ingenioſis. Hinc tales aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptū habere à Saluſtio dicuntur. Et à Cicerone in Officiis: Hæc ita in promptu ſunt, inquit, vt diſputatione non egeant.

*Fucus.*

*Exercendis fucis.*] Fucus metaphoricôs ſumitur pro fraude, in qua occultatur veritas. Terentius in Eunucho, Act.3, Sce.5. Et per alienas tegulas veniſſe clanculum per impluuium, fucum factum mulieri. Vnde fucatæ mulieres, quę vel medicamentis quibuſdam colorantur, vel vitia corporis inductis coloribus tegunt & occultant.

*Fucatæ mulieres.*

*Impoſtura*

*Impoſtores*

*Impoſturis.*] Impoſtura ab impono fit, quod datiuo caſui iunctum decipere eſt. A quo impoſtores dicuntur, vel qui ſupponendo malas merces & auertēdo obligatas, vel adulterinis atque fictitiis gemmis, vel incantationibus, vel precationibus, quas exorcizationes vocant, homines decipiunt. Et qui ita decipit, impoſturam facere dicitur.

*Sycophantia.*

*Sycophāta*

*Et ſycophantiis.*] Mendaciis, cauillationibus, dolis, fallaciis. Plautus: Per fallaciam, quā amabam abduxit à lenone mulierem, neque puduit eum id ætatis ſycophantias ſtruere, & beneficiis me emere gnatum ſuum ſibi. Et in Aſinaria: Perfidiæ laudes gratiáſque habemus meritò diis magnas, quum noſtris ſycophantiis, dolis, aſtutiíſque, ſcapularum confidentia. Fit autem ſycophanta ἀπὸ τοῦ φαγεῖν τὰ σῦκα, vel potius παρὰ τὰ σῦκα φαίνειν ab indicandis, demonſtrandis, ac deferendis nominibus eorum, qui ficus è ſolo Attico tranſportaſſent. Vnde ſycophanticè obſeruare, eſt delatoris qua-

druplatorísque more obseruare, hoc est, diligētissimè: propterea quòd huiusmodi homines miluinis oculis omnia lustrent, vt prædæ inhiantes. Vnde delatoria curiositas ab Vlpiano dicitur, Hinc verò habuisse dicunt originem literati, quod cum Attici quōdam iuuenes, in hortos irrumpere soliti essent, ficósque colligere, quæ apud eos erant in precio, lege cautum fuerit, vt quicunque id fecisset, capite plecteretur. Vnde qui hanc pœnam persequebantur ob paruula detrimenta, sycophantæ, id est, ficorum edones appellati fuerunt. Sunt qui aliam adferunt rationem, sed quam tamen falsam esse tradunt boni authores.

*Hinc mihi præsens lucrum est.*] Præsens, vel propitium, vel subitum, vel efficax, vel ingens & potens, ea vtique ratione, qua præsens virtus dicitur, id est, potens, magna, efficax. Ob id nimirum, quòd quæ præsentem vim ac effectum habent, præstantiora potentioráque cæteris videantur. Virgilius: *Præsens.*

*Nunc si cui virtus animúsque in pectore præsens.*

*Abradi dimidium potest.*] Resecari, furari. A verbo rado, quod est complano. Vnde rasores fidicines adpellati, quòd videantur cordas ictu radere. Terentius in Phormio. Act. 2. Sce. 2. Aliis aliunde est periculum, vnde aliquid abradi potest. id est, Donato interprete, per vim auferri. *Abradi.*

*Causabor caram esse annonam.*] Ecce impostura & fucus, vnde possit abradi dimidiū. Causari autem, est propriè excusandi gratia impedimēta adferre. Hinc causari negligentiam, tempestatem, valetudinem, ac fluminum vim dicimus. Virgilius: *Causari.*

*Causando nostros in longum ducis amores.*

Id est, excusando te, & impedimenti causas nectendo.

*Causabor caram esse annonam.*] Hîc annonam sumit pro victu, vt apud Ciceronē 2. de Diuinatione: Putaram annonam in macello cariorem esse. Terentius in Andr. Act. 4. Sce. 5. Tum annona cara est, quid dicā aliud nescio. Est autem propriè annona, vnius anni alimonia & prouētus non solum frumentarius, sed & aliarum quoque rerum. *Annona.*

*Vt conueniant ratiūculæ accepti & dati.*] Vide opportunam diminutionem in re seruili. Sic Terentius in Phorm. Act. 1. Sce. 1. Erat ei de ratiuncula iam pridem apud me reliquum pauxillum numorum. *Ratiūnculæ.*] Æquæ ac legitimæ rationis ostentationes, *Accepti & dati.*] Translatio est de *Ratiunculæ.* *Accepti & dati.*

tabulis illis, quæ apud veteres dicebãtur accepti & expensi, quæ postea mutato genere dicendi, à multis tabulæ dati & accepti dictæ sunt. A quibus acceptum referre, & expensum ferre, originem habuerunt vt latiùs infrà docebimus. Plautus in Mostel. Benè igitur ratio accepti atque expensi inter nos conuenit.

*Vinculis rationum teneri.* *In rationibus nullis teneriier vinculis possum.*] Id est, in conficienda exhibẽdáque ratione impensarum, haudquaquam decipi valeo. Ducta tralatione à ligaminibus quibus noxij vel serui reuinciuntur, præpediti interim ne caussam agant. Terentius in Phor. Act. 2. Sce. 1. Seruum hominem causam orare leges non sinunt, neque testimonij dictio est. Plautus in Amphit. Quid faciam nunc, si tresviri me in carcerẽ cõpegerint? Inde cras è promptuaria cella depromar ad flagrum? Nec caussam liceat dicere mihi, neque in hero quicquam auxilij fiet?

*Rimæ.* *Mille mihi rimæ patent.*] Rimæ propriè dicuntur exiguæ distantiæ tabularum in iuncturis. A qua re tractum est, vt omnes fissuræ, rimæ dicantur, vnde rimas agere, est findi. Sed quoniam cum aquarium vas fictile liquore impletum est, solet is liquor eò delabi ac diffluere vbi scissura est, velut occasione accepta effluendi, factum est, vt rima pro occasione

*Rimã aliquam reperire.* & euasione sumatur, vt hîc & apud Plautum: Aliquam, inquit, reperies rimam. Quæ prouerbialis figura, interprete Erasmo, dicitur in causatores ac tergiuersatores, qui nulla in caussa tot fidei vinculis astringi possunt, quin aliquid inueniant, quo elabantur. Translatum videtur idem Erasmo, à piscibus, muribúsque, aut auibus captis. vnde in homines calumniosos, qui quamuis mala in caussa aliquid inueniũt, quò iudicio elabantur, dicetur illud Horatianum:

*Centum adde catenas*
*Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Proteus.*

Viliori abiectioríque tralatione extulit Parmeno Terẽtianus in Eunucho, Act. 1. Sce. 2. cum meretrici loqueretur. Plenus sum rimarum, inquit, hac atque illac perfluo.

*Effugia.* *Ad effugia.*] Ad celerem clandestinámque euasionẽ reddendæ rationis integræ dati & accepti.

*Iste.* *Ne iste totus desipit.*] Insultat Acolasto, velut de statu mẽtis deturbato. *Iste.*] Per contemptum. Iste nanque pronomen spernentis est, aut odium demonstrantis. Virgilius:

*Aut quid petis istis?*
Teren.in Eunu.Act.2.Sce.3.O fortunatũ istũ Eunuchum.

*Qui nobis auscultauerit.*] Auscultare alicui,parere & obsequi est:auscultare aliquem,audire significat. *Auscultare.*

*Per quos velut in nassam illectus.*] Attractus, ac velut prætenta esca allectus. Nassa autẽ dicitur vasis genus, quo qui intrauerit piscis,exire non potest. Quadrat verò parœmia, teste Erasmo, in eum qui sic irretitus est, vt quocunque se vertat teneatur, nec explicare sese possit. Hinc aliud huic haud dissimile: In easdem ansas venisti. *Illectus in nassam. Nassa.*

*Ad viuum vsque eroditur.*] Præsenti vtitur, quia iam cœpit suo astu erodere ac resecare eius pecunias in obsonium.

*Ad viuum vsque eroditur.*] Ad viuũ vsque, seu ad viuam cutem, id est, ad nuditatem vsque,adeò vt nihil reliqui fiat præter corpus nudum.Plautus in Bacch.Tondebo auro,vsque ad viuam cutem. Ipsum autem tõdere siue erodere, pro deludere Græcis in prouerbio est, vt author est Erasmus. Sumpta metaphora (vt idem ait) à tonsoribus,capillos aut vngues resecantibus.Nam ij sępenumero,dum nimium diligentes esse student,molesti sunt,& pariunt nauseam. *Ad viuum. Tondere.*

*Intra casses nostros præda est.*] Metaphora est à venatoribus, quorum est feris capiendis venabula & retia tendere, quò in eadem ruant & illaqueẽtur. Cassis autẽ à careo fieri tradunt grammatici, quòd vacuas habeat maculas: sicut à raritate retia. *Intra casses præda. Cassis.*

*Vsque.*] Hucusque,quasi ad hoc tempus & locum:vel vsque,id est,semper. *Vsque.*

*Illa nostris vnguibus frustillatim discerpitur.*] Translatio est de iis, quorum corpus equis alligatum, admotis quadrigis in diuersum iter concitatis, membratim ob maleficium discerpitur, vel potius à venatoriis canibus, vbi prædam cœperint. *Discerpitur.*] Præsenti vsus est pro futuro. Id est,distrahetur, dissecabitur, discindetur. *Frustillatim.*] Minutatim,per frusta.Dicitur & frustatim. *Discerpere. Frustillatim.*

*Sic peram illam.*] Marsupium. Hinc peram viatoriam vocamus, qua panem & aliquid obsonij gestare solent viatores:quemadmodum poculum viatorium,quo vinum. Vnde Lucianus dicebat oportere philosophum paucis cõtentum ac frugalem esse,neque quicquam vltra peram quærere. *Pera.*

*Multo ære turgidam.*] Numis plenam, pecunia inflatam. *Turgidus multo ære.*

*Exentera-re.* *Exenterabimus.*) Excoriemus, euiſcerabimus. Ducta metaphora ab euiſceratione, aut purgatione, aut certè exoſſatione piſcium, aut auium cum apparantur, ne putreſcāt & corrumpātur. Plaut in Epid. Acutum cultrum habeo, qui ſeni exenterem marſupium.

*Vellicatim* *Vellicare.* *Velitatim.* *Vellicatim.*) Id eſt, particulatim, ſparſim, carptim, hinc illinc aliquid decerpendo non continuè. Fit autem à vellico, quod eſt extremas corporis partes digitis vellere, & preſſando infeſtare. Poteſt legi & velitatim, id eſt, per ſaltus & interualla, quaſi paulatim ſiue pedetentim. Ducta periphraſi à velitibus militibus, quorum erat quondā fundis ac lapidibus pugnādo huiuſmodi ſaltibus vti. vnde ait, ictibus. Hinc & velitans pugna dicta, quæ fundis ac lapidibus, interdum etiam haſtis ab inermibus fieri ſolet. Et velitari pro contendere & iurgari.

*Emere reſtim.* *Vix vt inopi ſiet reliquus obolus emundo reſti.*) Is ſolet eſſe finis eorū, qui quicquid poſsident, ludis profundunt. Nempe vt cū nihil eſt ex pecunia aut ſuppellectili reliqui, emant reſtim, quo deſperabundi ſuſpendant ſeſe, ſicque miſerè vitam finiant, quam decorè ducere noluerūt. Terent. in Phor. Act. 4. Sce. 4. Opera tua ad reſtim mihi quidē res rediit pleniſsimè. Quo vtique prouerbio, vt interpretatur Eraſmus, ſignificatur ſumma rerum deſperatio, quæ tum videtur eſſe, quum mortem nobis ipſis conſciſcimus. Iuuenalis: *Ad reſtim res redut.*

*Ferre potes dominam ſaluis tot reſtibus vllam?*

*Inſumere luxui.* *Vniuerſum id inſumemus luxui.*) Impendemus, profundemúſque in immoderatam laſciuiam.

*Scilicet.* *Scilicet.*) Affirmatiua particula eſt eorum omnium, quæ priùs dixit: quaſi diceret, Egregiè ſanè ſentio.

*Seriò triūphare.* *Triumpho ſeriò.*) Non profunctoriè, nō inaniter: ſed ampliter, ſed integrè ſed continuata progreſsione. Terentius in Eunucho, Act. 3. Sce. 1. Id verò ſeriò triumphat.

*Poſtquàm cellarius euaſi potentis domini.*) Ecce vnde triumphi argumenta ſumuntur. *Euaſi.*) Metaphoricôs, pro factus ſum. Eſt enim euadere, authore Donato, per quamcunque difficultatem ad aliquid peruenire. Terentius in Adel. Act. 3. Sce. 4. Verum nimia illa licentia profectò euadet in aliquod magnum malum. Cicero: An verberare, ne non putaremus natura potuiſſe improbum euadere? *Euadere.*

*Prædicare* *Prædicabant.*) Palam atque apertè pronuntiabāt, vel protendebant.

tendebant. Aliâs diuulgare est. Interdum laudare, vt infrà enucleabimus.

*Nunc tempus monet.*] Quasi in mentem ducit, inuitat. Monere enim propriè, instruere est. A quo monitores dicuntur, qui in scena monent histriones: item libri commentarij. *Monere.*

*Vt procurram.*] Procurrere, est celeriter, & cum quadam festinatione procul currere. *Procurrere.*

*Satur.*] Cibo potúque distentus. *Satur.*

*Prolixiùs mea post erumpam gaudia.*] Videtur alludere ad prouerbium: Ventre pleno melior consultatio. Cum enim fames interpellat, non vaccat deliberare, nec quidem tacita proferre gaudia, propterea quod consultatio moram desideret, & animi tranquillitatem: expreßio quoque gaudij ventrem cibis distentum: at fames bilem acuit. *Ventre pleno melior consultatio.*

*Heus heus*] Vox est gesticulantis. Aliâs de longinquo reuocantis. Terentius in Adel. Act. 2. Sce. 4. Heus heus Syre. Et suprà: Heus heus Philaute. *Heus heus.*

*Nemo lanionum videt?*] A laniendo lanij seu laniones sunt dicti qui carnes vendunt, quòd lanient pecora. *Lanij.*

*Nemo salutatum aduenit?*] Vide quàm totum superbè, & confidenter.

*Iam ostenso auro, &c.*] Id paulò depreßiori voce explicandum est.

*Accurrisse.*] Magna cum festinatione & cursu ad me properasse. *Accurrere.*

*Obtrusis mercibus.*] Id est, ostensis, quasi à manibus terendo. Mercem verò, à merendo ære Varro vult appellari. *Obtrudere merces.*

O

## Scena Quinta.

ACOLASTVS, PANTOLABVS, SANNIO, SYRVS PAMPHAGVS.

*Scazotes.*

*VBi nam ades nostri sunt hospitis? Lassum*
*Me longa reddidit profectio:* PAN: *Nobis*
*En imminent, here, præcurram ut fores totæ*
*Pateat. Heus heus nemon' hinc prodit? Insistam*
*Pulsare, nisi aperit ostium aliquis actutum.*
SAN. *Quis tã grauiter pepulit meas fores?* PAN. *Vester.*
SAN. *Quis?* PAN. *Pantolabus.* SAN. *Pantolabus? mortuum pridem*
*Credebam, ut quem toto non viderim mense.*
PAN. *Non est.* SAN. *Id viso. Hem vix te agnoscerem, vocem*
*Nisi nossem tuam. unde quæso ades? num imis*
*Ex manibus?* PAN. *Narrandi id nunc locus non est.*
SAN. *Quid non?* PAN. *Quid? Hunccine vides obsecro?* SAN. *Cuias*
*Est? unde adduxti? & quo? qua gratia?* PAN. *Nostras*
*Est, atque à Pamphago huc adducitur: nostin'?*
SAN. *Quem?* PAN. *Pamphagus obsonatum abcessit, hic nummos*
*Dedit.* SAN. *Euge introducatur, commodus sanè*
*Conuiuator. Syre, hem Syre, sarcinam hanc aufer*

*Intrò, tum mox redi, plura habeo quæ mandem.*
*Optatus aduenis hospes optime. Accede*
*Ad nos. Omnis rei tibi copia hîc fiet.*
ACO. *Nullásne habes veneres?* SAN. *Etiam.* ACO.
*Iube accersi.*
SAN. *Quanti pretij mulieres?* ACO. *Plurimi, forma*
*Modò sint præcellenti.* SAN. *Primariam sanè*
*Dabo fœminam. Hem Syre audi, Laidem accerse.*
SY. *Iam?* SAN. *Iam.* SY. *Causæ quid dicam?* SAN.
*Adesse amatorem.*
PAM. *Ocyus hæc introducite, vt coquis dentur:*
*Vos me sequimini tibicines intro.*

VBi nam ædes nostri sunt hospitis?] Hæc scena recenset quo pacto ex prolixiore itinere defessus Acolastus, ductu Pantolabi in domum Sãnionis inducitur. Quo inducto ac beneuolè & hospitaliter admisso, mittitur Syrus accersitum Laidem. Regreditur quoq; à macello Pamphagus obsoniis onustus, secúmque deducens pro iussu tibicines. *Argumentum.*

*Vbi nam ædes nostri sunt hospitis?*] Nullás esse occultiores insidias, quàm quæ latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine, hæc scena expressam imaginem præfert. Nam eum qui palam est aduersarius (vt ait Marcus Tullius Actione tertia, in Verrem) facilè cauendo vitare possis. Hoc verò occultum, intestinúmque, ac domesticum malum non modò existit, verùm etiam opprimit, antequàm prospicere atque explorare potueris. Hic Pantolabus, hic Sannio, hic Pamphagus velut certæ pestes adolescentium, id satis exprimunt, ac manifestant. *Doctrina.*

*Lassum me longa reddidit profectio.*] Longum iter. Fit autem à proficiscor, quo, authore Donato, vtimur, cum in rem ægram ac difficilem imus. Terentius in Andr. Act. 3. Sce. 4. Quid causæ est, quin hinc in pistrinum rectà proficiscar via? *Profectio.*

*Lassum me longa reddidit profectio?*] Lassus tum ad corporis, tum ad animi fatigationem spectat. Vnde lassi- *Lassus.*

*Lassitudo.* tudo prę defatigatione & ea molestia, quam ex labore su scepimus.

*En.* *En.*) Aduerbium demonstrantis. Virgilius: *En quatuor aras.*

*Imminere.* *Imminent.*) Impendunt, instant, propè adsunt.

*Patere.* *Vt fores totæ pateant.*) Apertæ sint. Plautus: Ingredere tu,

*Fores.* iam diu fores patent. Fores autem dicũtur, quibus clauduntur ianuæ, quod foris adperiantur, quemadmodum valuæ, quòd intus reuoluantur.

*Heus heus* *Heus heus.*) Vocantis vox cum præcipitantia & festinatione.

*Apocope.* *Nemon'.*) Apocope, comicis familiaris & frequens.

*Prodire.* *Hinc prodit.*) Progreditur.

*Insistere.* *Insistam pulsare.*) Vim faciam in pulsando. Sic Cicero ad Herennium. Nunc identidem nosmetipsi vobis insistemus: res enim communis agitur.

*Actutũ.* *Actutum.*) Festinanter, confestim, sine dilatione. Fit autem ab actu, hoc est, celeritate. Terentius in Adelph. Act. 4. Sce. 4. Heus heus, AEschinus ego sum, aperite aliquis actutum ostium: prodit nescio quis, concedam huc.

*Grauiter.* *Grauiter.*) Asperè, præfractè, durè: quia irati omnia concitè faciunt.

*Pellere.* *Pepulit.*) Percussit. Terentius in Adel. Act. 4. Sce. 5. Tu ne has pepulisti fores? Vbi quidem Donatus elatum verbum esse asserit, & Tragico cothurno magis quàm loquelæ comicæ accommodatum. Aliâs abigere & extrudere est. Plautus: Pelle animo timorem, mox aderit gnatus.

*Vt.* *Vt quem.*) Vt eleganter pro quippe, siue vtpotè sequente relatiuo sumitur. Quintilia. Nec ignoro igitur quos transeo, nec vti pro damno, vt qui dixerim esse omnibus vtilitatis aliquid.

*Non est.*) Subaudiendum, mortuus.

*Visere.* *Id viso.*) Eo ad videndum istuc, hoc est, si res ita habeat.

*Hem.* *Hem.*) Interiectio perturbati, siue re noua perculsi: hoc autem effert cum ostium apertum est, quasi mirabundus.

*Locus.* *Narrandi id nunc locus non est.*) Oportunitas temporis ac spacium idoneum. Sic Terentius in And. Act. 2. Sce. 2. Item alia multa, quæ nunc non est narrandi locus.

*Quid non.* *Quid non?*) Pro cur non. Terentius in And. Act. 3. Sce. 2 Quid aliâs malim, quàm hodie has fieri nuptias? i. cur aliâs.

*Quid?*) Subaudiendum, quæris cur non ſit nunc id narrandi locus? Ideo cum quodam ſtomacho & indignatione pronuntiandum.

*Hunccine vides obſecro?*) Acolaſtum nutu quodam capitis, vel digito oſtendendo.

*Cuias eſt? &c.*) Hîc mire leuium perſonarum, & attonitorum, maximéque lenonum ingenium depingit, quibus quum quid noui denarrari cœptū eſt, & vnde potiſsimum ſibi aliquid lucri prouenire olfecerint, ſunt adeò eius audiendi auidi, vt plerunque intercipiant ſibi loquētium ſermonem: víxque prima verba audierint, quin iam velint ſibi omnia denarrata. Hîc ergo citra vllum interuallum, vllámque reſpondentis expectationē, raptim quatuor ſciſcitatur, cuius ſit patriç, vnde adducat, & quo, & qua de cauſſa adduxerit. Sic Crito ille Terentianus in Andr. Act. 4. Sce. 6. cum ex Myſide audiſſet Chriſidem eos perdidiſſe: Quid vos? inquit, quo pacto hic? ſatíſne rectè? Eſt autem figura Epitrochaſmus, vbi videlicet multa terribiliter interrogantur.

*Mos leuiū perſonarū.*

*Noſtras eſt.*) E noſtra gente, vel patria.

*Noſtras.*

*Noſtin'?*) Nouiſtíne? Dicitur autem authore Donato, in ſignificationem multorum, quæ compēdio facimus. Terentius in And. Act. 2. Sce. 6. Aut ſi adeò bidui, aut tridui eſt hçc ſollicitudo: noſtin'? Deinde deſinet.

*Noſtin'?*

*Quem?*) Fingitur à poëta neſcire ſe, cuius hîc meminiſſet Pantolabus, Pamphagi, an noui hoſpitis adducti, quò eum hæbetudinis ac ſtuporis ſubnotet: ad ſuum autem quæſtum attentiorem ſignificet.

*Hic nummos dedit.*) Hac voce ſignificare contendit Acolaſtum pecunioſum, eáque de cauſſa beneuolè & clementer accipiendum eſſe.

*Euge.*) Hortantis interiectio. Apud Terētium in Heaut. Act. 4. Sce. 2. Vox eſt lætantis, eius qui optimum inuenerit conſilium. Euge, inquit Syrus, optimam habeo.

*Euge.*

*Introducatur.*) In domum noſtram ducatur. Aliàs inſtruere & docere eſt. A quo introductio, inſtructio, doctrina, & ipſum (vt ita dicam) eruditionis principium, quam Græci iſagogen vocant.

*Introduci*

*Commodus ſanè conuiuator.*) Deeſt verbum ſubſtantiuum per ecclypſin. Hoc autem dicit, fixiùs Acolaſtum contemplando, cúmque ex vultu & filo corporis metiendo.

Cõmodus. *Commodus sanè conuiuator.*] Commodum adpellat adulatoriè aptum & conuenientem, vel humanitatem quandam ac ciuilitatem præ se ferentem. Conuiuator autem is dicitûr, qui ad conuiuium inuitat: conuiua verò, qui ad conuiuium inuitatur. Hinc scitum cõuiuatorem appellat Liuius, elegantem & nitidum in apparatu conuiuali. Conuiuiones quoque compotatores dicũtur, non quidem à conueniendo, sed à combibendo, quasi combibiones,

Conuiuator. Conuiua. Conuiuio.

*Syre, hem Syre.*] Hoc concitatius legendum. Fingit autem se admodũ hospitis caussa sedulum, quò blandiùs eum hac sollicitudine alliciat, & molliùs retineat: eiúsque venetur beneuolentiam faciliùs.

Auferre. Ferre. *Sarcinam hanc aufer intrò.*] Auferimus, inquit Donatus, quæ cum fastidio cernimus. Ferimus quæ cum honore tractamus. Tollimus quoque erectum: ligatum auferimus, vnde ait Sarcinam. Virgilius:

*Tollite cuncta, inquit, cœptósque auferte labores.*

Tollere. *Aufer.*] Tolle, effer. Terentius in And. Act. 1. Sce. 1. Vos isthæc intro auferte.

Mandare. *Plura habeo quæ mandem.*] Mandare à manu danda deriuatum constat, quòd in dandis accipiendísque mandatis, manus sibi inuicem dare mos esset antiquis. Est autem mandare, aliquid gerendum alicui exequendúmque committere.

Copia. *Omnis rei tibi copia hic fiet.*] Copia pro affluentia, facultate, vel potestate sumitur. Nec ferè apud Oratores cũ alio verbo iunctum pro hac significatione repereris. Apud poëtas verò etiam cum quibusdam aliis, potissimúmque cum verbo do. Virgilius:

*Postquam introgressi, & coram data copia fandi.*

Veneres. *Veneres.*] Mulieres, quæ sui corporis copiam faciant: per metonymiam.

*Quanti pretij mulieres?*] Cupis tibi accersi, subaudi. Nam cuique pro rerum suarum facultate accersebantur.

Forma precellẽs. *Forma precellenti.*] Luculenta decoráq; ac venusta facie.

Primaria. *Primariam sanè dabo fœminam.*] Inter reliquas primatum tenentem. Plautus in Sticho: Quin vos capitis conditionem ex pessima primariam?

Lais. *Laidem accerse.*] Hæc nobilissima meretrix fuit Corinthia, quæ ob elegantiam ac venustatem formæ, grãdem pe-

cuniam demerebat, conuentúsque ad eam ditiorum hominum ex omni Græcia celebres erant,nec admittebantur, nisi qui darent quod illa popoſciſſet.Poſcebat autem nimis grandem pecuniam.Vnde natum illud frequens prouerbiū: Non cuiuis homini contingit adire Corinthum.Quaſi fruſtra adiret Corinthum,qui non poſſet dare, quod poſceretur.Ad hanc fertur Demoſthenes aliquando ſe clanculum contuliſſe , & vt ſui copiam faceret , petiiſſe. A quo cum Lais petiiſſet myrias drachmas,quodfaciebat numi noſtratis denariorum decem millia,mulieris petulantia ac pecuniæ magnitudine ictus expauidúſque Demoſthenes, fertur retroceſsiſſe , & inter diſcedēdum dixiſſe: Equidem pœnitere decem drachmarum millibus non emo. Eadem ferè Eraſmus in Chiliadibus.

*Nō cuiuis cōtingit adire Corinthum.*

*Iam?*)Tam ſubitæ vocationis obſtupefactio eſt. *Iam.*

*Cauſæ quid dicam?*)Terentianum eſt in Adel.Act.4.Sc.1.

*Adeſſe amatorem.*)Pulchrè amatorem nō amicum. Nam amator is dicitur,qui ad tempus & venereè amat. A quo amatio.Amicus,qui pudicè & perpetuò. Amicus itaque animi eſt, vt ait etiam Donatus.Amator vero,corporis.Vtrunque connexuit Terentius in And.Act.4.Sce.3.cum ait:Sum mum bonum eſſe hære putabam hunc Pamphilum, amicū, amatorem, virum in quouis loco paratum.

*Amator. Amatio. Amicus.*

*Ocyùs hæc introducite.*) Hìc ſcitè à poëta inducitur Pamphagus & à Macello regreſſus, & negotiis culinaribus obnixè intentus, quò hinc intelligatur ab eo contumeliis affectam Bromiam ancillam,de quo in ſequenti ſcena meritò expoſtulat. Obſeruat quoque legem Græcarum Comœdiarum, in quibus non temerè plures tribus perſonæ ſolēt induci in eadem ſcena.Quod ſi quarta quintave acceſſerit, aut muta prorſus eſt,aut perpauca loqui ſolita: Iuxta illud Horatij in Arte poëtica.

*Lex Græcarū Comœdiarū.*

*Nec quarta loqui perſona laboret.*

Latini tamen plures perſonas introduxerunt, vt ſpatioſiores frequentia facerent. *Ocyùs hæc introducite.*) Ocyùs, feſtinanter,celeriter,ilico. Fit autem à comparatiuo latino ocyor,quod itidem fit & à poſitiuo Græco ocys,quod celer ſignificat,cuius ſuperlatiuus eſt ocyſsimus.

*Ocyùs.*

# ACTVS TERTII Scena Prima.

BROMIA ANCILLA.

Senarij.

*AN vnquàm cuiquàm contumeliosius*
*Audistis factam iniuriam, quàm hæc est mihi?*
*Venit ad me Pamphagus: Heus tu, inquit, Bromia, citò*
*Reuise, quid moretur Laidem. Annus est*
*Prius quàm prodeat è gynæcio: pedes*
*Inquam, foras efferre vetant negotia*
*Culinaria. Mox corripit fustem, fugam*
*Ex ædibus ineo. Sanè verò, quia*
*Hunc insignem decoctorem adduxit, satis*
*Pro imperio agit, neque quisquam eius mores potest*
*Tolerare. Sed faxo, meminerit huius loci,*
*Atque diei. Secundas res superbiæ*
*Decent. sino. Verùm dum cœperit suum*
*Mutare voltum fortuna, atque hic indigus*
*Opis nostræ factus fuerit, næ mortuo*
*Canet, dum quid supplex petet. Pol gratiam*
*Habeo tibi Pantolabe, qui intercesseris,*
*Plagásque auorteris. Vt misera sum! cui quidem*
*Datum est in hanc domũ, vbi tot sunt domini, vbi vix*
*Decem coqui suffecerint eduliis*
*Concinnandis, quæ noster hic, si diis placet,*
*Condus, promus modò attulit. Nunc affatim*

*Habet, quod plenis faucibus helluo voret.*
*Habet, quod in fœdißimam ventris sui*
*Proluuiem mittat, Harpya obscœnißima.*
*Perstrenuè ille quidem officium facit, dum homo*
*Suauis, adducit cytharistrias sibi.*
*Ne non etiam opinor, camelus saltitet.*
*Nam Pamphago nihil magis cum fidibus,*
*Quàm graculo. Tum Lais scortum nobile,*
*Magno quod meret, accersitum est hospiti,*
*Hos tantos sumptus quis ferret vel Satrapes?*
*Quid Pamphagus? an non certa pestis, atque item*
*Communis pernicies est adolescentulûm?*
*At at, forte imminet hîc cessanti quispiam.*
*Proin viso, sicubi hæret in via Syrus*
*Cum Laide, vt vtrunque malè perdat Iupiter,*
*Per quorum nimiam tarditatem propemodum*
*Perieram. Papæ, gregem ancillarum conspicor*
*Huc aduentare, ædes nostræ vix ceperint.*
*Ibo illis obuiam, ac quid venerim, eloquar.*

AN *vnquam contumeliosius.*) De iniuria vltro sibi contumeliosiùs illata à Pamphago eiúsque intolerandis moribus hac in scena conqueritur Bromia, quòd videlicet accelerare iussa plus æquo cunctantem Laidem, id tamen aliquanto prolixius differens (vt quæ negotiis culinaribus præpedita esset) ab eo fuste affecta sit. Quo fit quidem vt hac tota scena, malè illi precetur, eúmque suis coloribus admodum graphicè delineet. *Argumētū.*

*Doctrina.*

*An vnquam contumeliosius.*) Plerósque non domesticis solum viribus feroces esse ac improba moliri, sed & fultos plerunque potentioris præsidio, qui clanculum illis suppeditet & animum & opem, hæc scena demonstrat, exemplúmque nobis ponit ob oculos.

*An vnquam contumeliosius.*) Ab interrogatione quadam incipere solent, qui nimis irascũtur. quale est illud Charini *Cõtumeliosius.*

Terentiani in And.Act.4.Sce.1.Hoccine credibile est, aut memorabile, tanta vecordia innata cuiquam vt fiet? &c. Aut illud Pamphili in eadem Comœdia, Act.1.Sce.5.Hoccine est humanum factum, aut incœptum? &c. *An vnquam contumeliosius.*) Maiori cũ conuitio. Cõtumelia fit à nomine cõtumax, quod eũ significat, qui per timorem & cõtẽptũ inobediens est. Contumelia verò, conuitium vel iniuria dicitur. Vnde Contumeliosi qui contumelias inferre solent.

*Cõtumelia*

*Iniuria.*

*Audistis factam iniuriam.*) Iniuria sic differt à contumelia, quòd illa leuior sit & verbis fiat: hæc asperior & factis. Iniuria autem dicta est, quod non iure fiat, siue verbis, siue re. Verbis quidem, quum in conuitium extenditur: re quum manus inferuntur, vt hîc, vnde ait contumeliosius. Sic Demipho ille Terentianus in Phorm. Actus 2. Scena 3. An vnquam cuiquam contumeliosiùs audistis factam iniuriam, quàm hæc est mihi?

*Venit ad me Pamphagus.*) Denarrat quid intus inter vtrosque actum est, quò caussam suæ meritæ iustæque querimoniæ, spectatori insinuet.

*Reuisere.*

*Citò reuise.*) Iam ergo semel ad videndum ierat, quo fiebat, vt se tot discursus concursúsque tæderet, alibi sanè præpedita, nempe negotiis culinaribus, vt sunt plerunque ancillæ culinariæ, quarum est rerum vnicè satagere. *Citò reuise.*) Reuisere, est iterum redire vt videamus. Verbum quidem inchoatiuum, nõ meditatiuum contra Laurentiũ Vallam. Terent. in And. Act.2. Sce. 4. Reuiso quid agant, aut quid captent consilij. Rursus in Eunucho, Act.5. Sce. 4 Reuiso quidnam Chærea hîc rerum gerat.

*Morari.*

*Quid moretur Laidem.*) Detineat, & tandiu in mora sit.

*Annus.*

*Annus est.*) Longum tempus. Meretricum morem graphicè complectitur. Quale est illud Terentianũ in Heaut. Act.2. Sce.2. Nosti (inquit Clitipho) mores mulierum: Dũ moliuntur, dum comuntur, annus est.

*Prodire.*

*Priusquam prodeat.*) Progrediatur, exeat, pedem efferat.

*Gyneciũ.*

*Gynæconitus.*

*E gynecio.*) Gyneciũ, locus est in ædibus, in quo dũtaxat matres familias cum lanificis sedent. Græci etenim mulieres γυναικὰς vocãt Qui locus etiã Gynæconitis, & Oeci dicitur. Aemilius Paulus: Mater familias apud Romanos primum locũ tenet ędium, atque in celebritate versatur, quod multò aliter fit in Gręcia. Nam neque in conuiuium ad-

hibetur, nisi propinquorum: nec sedet nisi in interiori parte ædium quæ Ginæconitis appellatur. Terentius in Phor. Act.5. Sce.6. Vbi in Gynecium ire occipio, puer ad me accurrit Myda.

*Pedes inquam.*) Dico. Hæc sunt, vnde sibi malũ accersiuit.

*Inquam.*

*Pedes inquam, foras efferre vetant.*) Efferre pedes, exire est. Plautus in cap. Seruare istuc sultis intus serui, ne quóquam pedem efferat. Virgil.

*Efferre pedes.*

*Méne efferre pedem genitor te posse relicto*
*Sperasti?*

*Mox corripit fustem.*) Vides hic inclementiam, inhumanitatémque, ac ferociam parasiticam, vbi alieno suffulcitur præsidio? *Corripit fustem.*) Baculum accipit. Ouidius.

*Corripere.*

*- Et corripit ensem.*

Aliàs, raptim peragere est. Virg.

*Corripiunt spatium medium.*

Interdum abbreuiare. Vnde correptas & productas syllabas dicimus.

*Ineo fugam.*) Et pulchrè. Nam & vulgari iactatur sermone, fuga plerunque tutior est & melior damnosa expectatione. *Fugam ineo.*) Incipio fugere. Dicimus & inire gratiã, inire rationem, magistratum, consilium, pugnam certamen, qui modi loquendi, sunt Romano candore conditi, & memoriæ maximè mandandi, si velimus Latinè & propriè loqui.

*Inire fugã*

*Sanè verò.*) Affirmatiuè pro certè: aliquando permisiuè quando aduersario concedimus ita esse: vt, Sanè vt vis, pro esto & vis.

*Sanè verò*

*Hunc insignem decoctorem adduxit.*) Perpende muliebrẽ malitiam, quæ tanta est, vt cum ira efferuescit, non animaduertat quid, aut in quem dicat, modò dicat, adeò vt in immerentes etiam plerunque debacchetur & succenseat.

*Insignem.*) Magnum, summum, egregium, eo vtique significatu, quo insignem cladem & insignem contumeliam dicimus. Aliàs clarum ac præstantem significat. Virg.

*Insignis.*

*Insignem pietate virum.*

*Hunc insignem decoctorem adduxit.*) Decoctores dicuntur, qui patrimonio absumpto, ad inopiam redacti sunt. Et decoctio, ipsa patrimonij absumptio. Fit autẽ à decoquo, quod est transitiuè patrimoniũ ac substantiam omnẽ paulatim

*Decoctores*
*Decoquere*

diminuo & abſumo. Tale eſt defrigo. Tractum ab iis, qui gulæ dedunt omnia. Hinc Craſſus ille, qui primò diues cognominatus eſt, dictus eſt decoctor, autore Valerio Maximo, quòd ſubſtantia omni abſumpta, eam decoxiſſet creditoribus ſuis. Itaque amara ſugillatione (inquit) non caruit, cum egens ambularet, & diues ab omnibus ſalutaretur.

*Satagere.* *Satis pro imperio ſuo agit.*) Dicimus ſatago compoſitiuè, & ſatis ago extra compoſitionem pro, eo quod diceretur anxius ſum & curioſus, ſeu ſatis habeo quod agam, vel ſatiſfacio. Terentius in Heaut. Act. 2. Sce. 1. Nam is Clinia, & ſi is quoque rerum ſuarum ſatagit, attamen habet benè ac pudicè eductam, gnaram artis meretriciæ. *Pro imperio.*) Pro iuſſu & præcepto.

*Tolerare mores.* *Neque quiſquam eius mores poteſt tolerare.*) Maximo temperamento vſus eſt dicendo mores potiùs quàm iniurias. Sic Terentius in Hecyra, Act. 3. Sce. 5. Sed quando ſeſe indignam deputat matri meæ cui concedat, cuiuſque mores toleret ſua modeſtia. *Neque eius mores tolerare.*) Patienter ferre & perpeti. Nam autore Terentiano Mitione: homine imperito, nunquàm quicquam iniuſtius, qui niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat. In Adel. Act. 1. Sce. 2.

*Faxo meminerit.* *Sed faxo meminerit huius loci atque diei.*) Faciam vt recordetur. Sic Terentius in Eunucho, Act. 4. Sce. 7. Faciam vt huius loci, dieique, meíque ſemper memineris.

*Secũdas res ſuperbiæ decent.* *Secundas res ſuperbiæ decent.*) Decent, inquit, id eſt, vulgò conueniunt: ſed odioſè, quum nihil ſit homini fortunato indecentiùs, corámque deo & hominibus odibiliùs ipſa ſuperbia. Sed more Ciceronis loquitur, qui ex copia atque rerum omnium affluentia primò arrogantiam natam eſſe aſſerit. Quaſi illa diceret: Nemini vnquam obtigiſſe viſum eſt læta omnia ac proſpera, quin inde ſuperbiat, ſeſe efferat, criſtáſque attolat arrogantiùs. Sic Virgilius:

*Neſcia mens hominum fati ſortiſque futuræ:*
*Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis.*

Et Pamphilus apud Terentium in Hecyra, Act. 3. Sce. 3. Profectò hoc ſic eſt, vt puto, omnibus nobis vt res dant ſeſe, ita magni atque humiles ſumus.

*Secũda res.* *Secundas res ſuperbiæ decent.*) Secundas res appellat proſperas, quòd ita vt quis velit ſecent, id eſt, ſequantur, vel

quòd quæ adſunt, proſpera eſſe dicantur. Hinc ſecundam fortunam vocamus,quæ vel nobis adeſt,vel obſequitur. Et ſecundo flumine nauigat,qui aqua ſequente nauigat,id eſt, in eam partem fluente, ad quam tendimus: ſicut aduerſo flumine nauigat, qui contra aquam nititur. Ab hoc fit ſecundo verbum, id eſt,proſpero. Virgil:

*Dij cœpta ſecundent.*

*Simo.*) Hæc quidem permiſsio eſt, ſed & exceptionem in ſe continet, & cum quodam ſtomacho & velut minaci denũciatione profertur. Sic Terentius in Phor. Act.2.Sce.3.Sine modo.

*Verum dum cœperit ſuum mutare vultum fortuna.*) Translatio eſt de voluntate, pauore affecti hominis,quæ pro motu animi in facie oſtenditur. Vnde & mutare animum, & mutare ſententiam dicimus,pro variare. Terentius in Hecyra,Act.3.Sce.3.Sed continuò vultum earum ſenſi immutari omniũ. Et alibi: Seueritas ineſt in vultu, atque in verbis fides. *Mutare vultum.*

*Atque hic indigus opis noſtræ factus fuerit.*) Noſtro auxilio eguerit. Indigus dicitur, qui re aliqua indiget. Ops vero pro opibus à veteribus vſurpatum eſt. Vnde inopem animi vel conſilij dicimus eum, qui ſine ope eſt earum rerum. Et opem ferre in rebus dubiis, id eſt, auxilium & iuuamen. Terentius in And.Act.3.Sce.1.Iuno lucina fer opẽ, ſerua me obſecro. *Indigus. Ops.*

*Ne mortuo canet.*) Operam omnem ludet, nil lucri faciet. Incidit autem prouerbium, teſte Eraſmo, quum quis loquitur ei, qui verbis illius non magis mouetur, quàm ſi non audiat. Plautus: Mortuo verba nunc facio. Terentius in Phor.Act.5.Sce.8.Verba fiunt mortuo. Rurſus Plautus: Nihilo pluris refert, quàm ſi ad ſepulchrum mortuo dicat iocum. Natum Prouerbium affirmat idem Eraſmus,à ridicula conſuetudine veterum, vita defunctos ter voce ciendium,vnde & conclamati dicebantur. Simile eſt, Surdis canere. Et fabellam ſurdo riſello narrare, quod eſt apud Horatium. *Mortuo canere.*

*Supplex petet.*) Obnixè rogans. Supplicare ſiquidem,eſt magnis in malis,& rebus afflictis,alicui ſupplicem eſſe. *Supplex petere.*

*Qui interceſſeris.*) Verbis & vi medium te oppoſueris, & rem impediueris. Aliâs interuenire eſt conciliandi grã. *Intercedere*

Hinc dicitur, Intercedit mihi tecum amicitia, familiaritas, vel affinitas, id est, media est, quæ me tibi conciliat.

*Auertere.* *Plagásque auerteris.*) Remoueris aliunde. Vnde animum oculósve auertere dicimus: Virgil.

*Dij talem terris auertite pestem.*

*Vt misera sum.* *Vt misera sum!*) Vox est suam calamitatem deplorantis & conditionem. *Vt misera sum!*) Vt pro quàm, vt apud *Vt.* Terentium in Andria, Actus 1. Sce. 5. Adeon' hominem esse inuenustum quenquam, vt ego sum? id est, quàm ego sum.

*Datū est.* *Cui quidem datum est.*) Fato decretóque concessum, Terentius in Eunucho, Act. 2. Sce. 3. O fortunatum istum Eunuchum, cui quidem in hanc detur domum.

*In hanc domum.*) Deest intrasse, venisse, apulisse.

*Vbi tot sūt domini.* *Vbi tot sunt domini.*) Propter Acolastum, Pamphagum, Pantolabum, reliquósque Acolasti commilitones, de quibus infra dicturus est: Vbi clientes? Sic Syrus apud Terentium in Adel. Act. 4. Sce. 2. De Ctesiphone conqueritur: Non hercle, inquit, hic quidem durare quisquam, si sic sit, potest. Scire equidem volo, quot mihi sint domini.

*Sufficere.* *Suffecerint.*) Satis fuerint, satis esse non possint. Virgil.

*Nec nos obniti contrà, nec tendere tantum,*

*Sufficimus.* Rursus:

*Nec sufficit vmbo Ictibus.*

Aliâs inficere & maculare est. Vnde Lanam vel purpuram sufficere dicimus. Aliquando substituere.

*Concinnare edulia.* *Eduliis concinnandis.*) Aptè componendis præparandísque esculentis. Est autem edulium, quicquid edendi gratia apponitur, præter panem.

*Promus. Condus.* *Quæ noster hic condus promus modò attulit.*) Hoc totum odiose, & cum stomacho. Promus, qui promendis rebus præficitur, vt condus condendis. Effertur autem prouerbialiter: iactatúrque in hominem, cui fœlicitas immerenti contigerit, quique inuaserit dignitatem, nil laborans quos mores ea dignitas postulet: vt cum magistratus furacibus, dignitatésque indignis committuntur, quum oporteret incorruptos ac integræ fidei viros, ad id asciscere. Paulò di-

*Promus magis, quàm condus.* uersiore modo citatur ab Erasmo: Promus, inquit magis quàm condus, dicitur in profusiorem, qui parta prodigere

posit, quærere aut quæsita seruare non norit. Sumpta; metaphora, à rei familiaris dispensatoribus, maximéque penuariæ, quorum partes sunt ad vsum familiæ promere; id est, proferre quædam, alia condere, id est, seponere.

*Si diis placet.*) Ironia est, propriúmque exclamantis, vt ait Donatus; propter indignitatem alicuius rei. Admirantes enim antiqui alicuius temeritatem, aut incapacitatem indignantes, certo modo loquendi dicebant: Si diis placet. Terentius in Eunucho, Actus 5. Scena 3. Virum bonum eccum Parmenonem incedere video: vide vt otiosus sit, si diis placet. Rursus in Adel. Actus 3. Scena 4. Ille bonus vir, nobilis psaltriam, si diis placet, parauit, qui cum viuat, illam deserat. Cicero in de Oratore: Etiam Latini, si diis placet, hoc biennio magistri dicendi extiterunt.

*Si diis placet.*

*Affatim.*) Abundanter, copiosè. Quidam deductum volunt à fando, quòd verborum maior sit, quàm rerum copia, vel quòd fari difficile sit.

*Affatim.*

*Quod plenis faucibus heluo voret.*) Deglutiat, auidéque sumat. Dicitur autem Heluo, gulosus, vorax, prodigus immoderatè, sua bona ingurgitans, quasi omnia luens. Terēt. in Heaut. Act. 5. Sce. 4. Gerro, iners, fraus, heluo, ganeo, damnosus. Hinc Cicero metaphoricè heluonem librorū quendam appellat, quasi gulosum, nimiúmque librorum auidū. Scribitur autem cum aspiratione, siue vt ab eluo suo verbo primogenio differat, siue, vt ingluuies illa magis exprobretur. Fit enim addita aspiratione vox concitatior.

*Vorare.*
*Heluo.*

*Quod in fœdissimam ventris sui proluuiem mittat.*) Execrandam & inexplebilem Pamphagi ventris ingluuiem subnotat. Estque Vergiliana locutio, cū de Harpyis in tertia AEneide edisserit. *Proluuiem.*) Immunditiam.

*Proluuies.*

*Harpya obscœnissima.*) Turpissima, quasi (vt Varro testatur) ob scænam, quòd ad scænam turpia perpetrentur. Pulchrè Harpyis comparat Pamphagum, ob fœdam ventris voraginem, vt secundum nomen ipsius, ita sit & laus sua. Sunt nempe harpyæ monstra, qualia describit Virgilius,

*Obscœnissimus.*
*Harpyæ.*

*Tristius haud illis monstrum nec sæuior vlla.*
*Pestis, & ira deûm stygiis sese extulit vndis.*

*Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris*
*Ingluuies, vncæq; manus, & pallida semper*
*Ora fame.*

Hæ παρὰ τὸ ἁρπάζειν, id est, à diripiendo dictæ sunt Harpyæ, Neptuni & Terræ secundum quosdam filiæ. Tres autem fuisse memorantur. Prima Celæno, à nigredine dicta. Secunda Aëllo, quòd fœdo volatu omnia peruertat. Tertia Ocypete, quod alarũ velocitate mirãdũ in modũ polleat.

*Tres Harpyæ.*

*Perstrenuè.*) Promptissimè, vigilantissimè, exactissimè, studiosissimè.

*Perstrenuè.*

*Dum homo suauis.*) Ironia est, qua planè notantur, qui sibi plus nimio placent, aliis contemptis, ac præ se nihili habitis. Dicitur autem suauis, elegans, non austerus, non asper, quæ sanè omnia haudquaquam Pamphago conueniebant, vtpote duro, inuenustóque, & ineleganti homini. Terentius in Phor. Act. 2. Sce. 3. Ha ha he. Homo suauis.

*Homo suauis.*

*Adducit cytharistrias sibi.*) Pulchrè sibi, hoc est, in suũ commodum, idque contemptim & odiosè, quòd adeò inuenustum & incomptum dedeceret hominem admisceri choreis atque tripudiis. *Adducit Cytharistrias.*) Cythara ludere peritas, cuius masculinũ est Cytharœdus, quæ à Cythara Græca voce fiunt, sicut à Cymbalo cymbalistria, à sambuco sambucistria, à psallendo psaltria.

*Sibi.*

*Cytharistria.*

*Ne non etiam opinor, camelus saltitet.*) Ne, pro vt hoc in loco sumitur, quemadmodum & illud Terentij in Adel. Act. 2. Sce. 2. Ne nõ istuc tibi fœneraret. Hæc itaque lectio sic distinguẽda est. Non etiam opinor, ne camelus saltitet. Eũ vtiq; camelũ, tũ ob corporis, tũ ob animi ineptiá stoliditatémq; naturę stomachosè vocitás. Hoc nẽpe prouerbio, vt interpretatur Erasmus, quidpiá vehemẽter absurdè, & inuita Minerua, contráque decorum fieri significamus. Veluti si quis natura seuerus, ac tetricus, elegans ac festiuus haberi affectet, naturæ genióque suo vim faciens. Est autem apud diuum Hieronymum in Heluidium. Risimus, inquit, in te prouerbium: Camelum vidimus saltitantem. Vbi taxat ille hominis ineptiam, qui quum à Musis esset alienissimus, tamen disertus haberi vellet.

*Ne.*

*Camelus saltitat.*

*Nam Pamphago nihil magis cum fidibus, quàm Graculo.*) Subaudiendum, conuenit, aut intercedit: hac parœmia significans, huic Pamphago, homini vtique insulso, stolido, imperito,

*Nil magis cũ fidibus, quàm graculo.*

imperito, rusticóque, & culinaribus negotiis prorsus addicto, nil minus conuenire, quàm cum musicis commerciũ habere. Est autem graculus, auis garrula atque obstrepera, eóque prorsus à musicis ableganda. Amat quoque sui generis conuentus, quo mutuo garritu, strepitus fiat odiosior. Eodem ferè prouerbio & sensu dicitur, in eos, qui cum infimæ sint conditionis, maximis tamen æquari volunt: Corcorus in lachanis. Nec huic dissimile, Graculus inter musas. Et Plinianum illud, nihil cum Amaracino sui. Item & illud Virgilianum. Anser inter olores. Aut certè illud in sacris literis contentum, Sanctum dare canibus, Margaritas porcis. Quorum omnium significationem, simul & originem qui volet, Erasmum legat in suis Chiliadibus, sat enim habuimus quemadmodũ accommodari debeant, viam ostendisse. *Graculus.*

*Magno quòd meret.*) Merere præter alia significata, est aliquid mercedis pro labore sumere, & stipendia facere in militia, hoc est, stipendij gratia militare: quod alioqui & facere scorta dicuntur, quum turpis lucri & mercedis gratia, corpora sua prostituunt, ex quo quidem & meretrices appellantur. Hinc emeriti milites, emeriti senes, qui militia perfuncti sunt, id est, qui perfectè meriti & exempti senio à labore efficiuntur. *Merere.* *Emeriti senes.*

*Hos tantos sumptus quis ferret, vel satrapes?*) Satrapes præfecti dicuntur, ducésque ac presides, id est, qui alicui rei agendæ præpositi sunt. Vnde præfectos prouinciarum Græci, Latinique lingua Persica satrapas vocant. Hinc de Mausolo Arthemisiæ amatore, sic scribit Aulus Gellius, Noctiũ Atticarũ. 10. Mausolus, inquit fuit (vt Marcus Tullius ait) rex terræ Cariæ vt quidam Græcarum historiarum scriptores dicunt, prouinciæ Græcæ præfectus, quem satrapen, id est, ducem, ac præsidem Græci vocant. Terentius in Heautontimorumeno Actus 3. Scen. 1. Satrapes si fiet amator, nunquam sufferre eius sumptus queat, nedum tu possis. *Satrapes.*

*Quid Pamphagus?*) Vide hîc quæso mulierum ingeniũ, & quàm verè à Seneca dictum est, mulierem nihil habere tertium. Aut amat (inquit) illa, aut prorsus odit. *Mulierum ingenium.*

*Atque item communis pernicies est adolescentulûm?*) id est, omnium lues & interitus, vel quòd cõmuniter omnes cor- *Communis pernicies.*

rumpat. Nam, teste Cicerone in 2. Officiorum, vt magnas vtilitates adipiscimur conspiratione hominum atque consensu: sic nulla tam detestabilis pestis est, quæ non homini ab homine nascatur. Terentius in Adel. Act.5. Sce.3. Eccum adest communis corruptela nostrûm liberûm. Rursus in eadem Comœdia. Act.2. Sce.1. Leno sum fateor, pernicies cōmunis adolescentium, periurus, pestis, tamen tibi à me nulla est orata iniuria.

*Atat.* *Atat.*) Interiectio cōterriti & conturbati animi atq; aliquid ex improuiso deprehēdentis siue admirantis. Teré. in Hecyra Act.3. Sce. 4. Atat eccum Phidippum, & patrem video. Et in And. Act.1. Sce.1. Perculsit ilico animum, atat. hoc illud est, hinc illæ lachrimæ. Aliás paulatim percepti atque intellecti mali est. Idem in Eunucho, Actus 4. Scena 5. Atat, data herclè verba mihi sunt, vicit vinum quod bibi.

*Imminere.* *Imminet cessanti quispiam.* Hìc propriè figuram timidorum exprimit. Quod perinde est ac si diceret: Prope adest forsan aliquis, qui me acrius vrgeat, plagásque infligat asperiores, quàm Pamphagus.

*Sicubi.* *Sicubi hæreat.*) Si alicubi demoratus est. Sicubi & sicū-
*Sicunde.* de plerūque duo verba postulant Sicubi te hodie offendero, non euades. Sicunde hinc deuoles, fac me visas, id est, si ex aliquo loco.

*Vt.* *Vt vtrumque malè perdat Iupiter.*) Dira imprecatio, & viliori personæ congrua. Vt, pro vtinam posuit. Sic Terentius in Eunucho, Act. 2. Sce.3. Vt dij deæque senium per-
*Malè perdere.* dant, qui me hodie remoratus est. *Malè perdat.*) Perimat, interficiat quòd quæ amittuntur, quasi mortua nobis esse videātur. Terent. in Adel. Act. 4. Sce.6. Vt te Syre cum tua mōstratione magnus perdat Iupiter. Et in Phor. Act. 4. Sce. 4. Vt te quidem omnes dij deæque, superíque, inferi, malis exemplis perdant.

*Tarditas.* *Per quorum nimiam tarditatem.*) Lentitiam, segnitiam, pigritiam, socordiam. Olim & tarditudo, & tardities dicebantur.

*Papæ.* *Papæ.*) Interiectio mira subitò accipientis, videntísque: quæ Terentio atque Plauto familiaris est, & eos legēti plerísque in locis obuia.

*Cōspicari.* *Gregem ancillarum conspicor.*) Video, intueor. Fit autem

à conſpicio, à quo conſpectus pro aſpectu, & conſpiciliũ, quæ & ocularia dicuntur.

*Ædes noſtræ vix ceperint.*) Pro capiant, id eſt, tenebunt Sic Terentius in Heaut. Act. 2. Sce.3. Ancillarum gregem ducunt ſecum. Et paulò infra: Dij boni, quid turbæ eſt? ædes noſtræ vix capient, ſcio. Quid comedent? quid ebibent? quid ſene erit noſtro miſerius? *Capere.*

# ACTVS TERTII Scena Secunda.

LAIS, SYRVS, BROMIA.

*Septenarij & Octonarij.*

*Itan' te miſit Sannio?* SY. *Miſit.* LA. *Me accerſitum?* SY. *Ita.*

LA. *Quis tam potens hoſpes venit mei petitum copiam,*
*Quæ grãdem demereo pecuniã?* SY. *Neſcio, niſi quod viri*
*Aductum herus meus excepit multò humaniſſimè.*
LA. *Num quem cœnæ apparatũ vidiſti Syre?* SY. *Non. Sed Pamphagus*
*Obſonatum conceſſerat: hoſpes omnes ſollicitos habet.*
LA. *Sat habeo. Pamphagus non illicit quenquam niſi diuitem.*
*Syre, hem Syre, quid nam huc conari video Bromiam?* SY. *huc? vbi*
*Ea eſt?* LA. *Ad nos viam affectat.* SY. *Certè demiror quid ſiet.*
LA. *Iubebit nos forſan regredi domum, grauari enim hoſpitem*

*Impendiis.* SYR. *Non vt credo.* LA. *Subsistamus parum.*

BRO. LAIS, *Iamdudum conuiuatum te vocat herus, quin venis?*

LA. *Hem Bromia venio.* BRO. *At iam venisse oportuit.* LA. *Quid ita? cedo.*

BRO. *Quia omnes accubant, téque vnam abesse indignatur tuus*

*Nouicius amator.* LA. *Quid viri est?* BRO. *Quid eũ tibi prædicem*

*Aut laudem Lais? dignum, sat scio, te amica dixeris.*

LA. *Rectè Bromia. At desiderio mei numnam verè calet?*

BRO. *Caleat rogas? Imo ardet te intimè.* LA. *Properemus ocyus.*

*Argumentum.* ITan' te misit Sannio?) Hæc scena trium personarum Syri, Laidis, & Bromiæ mutuam collocutionem continet. Syri quidem pro iussu Laidem accersentis: Laidis verò, quòd grandem demereretur pecuniam, percuntantis, si sat potẽs esset qui eam accersi iuberet, tot sumptibus sufferendis. Adest tandem Bromia, quæ vtrosque accelerat, quódque sciscitabatur Lais, non solùm confirmat, sed etiam adauget.

*Doctrina.* *Itan' te misit Sannio?*) Quéadmodũ decorũ quod elucet in vita (vt autor est Mar. Tull. 1. Offic.) mouet approbatiõné eorum quibuscum viuitur, ordine & constantia, moderationéque omnium dictorum atque factorum: ita meretrícum blanditias, tum apta membrorum compositione, tum factis, tum venustate, lepore, & gratia dicendi, tum luxu & lasciuia, sic stultorum mouere oculos, & animos allicere hæc scena nobis exemplum præstat, vt pecuniis exhaustos, in perniciem simul & laqueum plerumque eos adigant incautos. Quò fit vt earum prorsus diffugiendi veniant congressus & contubernia.

*Nam te misit Sannio?*) A quæstione sermonem exorditur, vt eò constet, id iam Syrum illi dixisse, quod in mãdatis pro sua legatione habebat.

*Me accersitum?*) Pulchrè admiratiuè & procaciter, quò insinuet, non nisi ditioribus sui copiam facere.

*Quis tam potens.*) Pollens opibus. Terentius in Eunucho, Act.2. Sce.3. Quis is est tam potens, cum tanto munere hoc? *Potens.*

*Mei petitum copiam.*) Sui copiam dicuntur facere meretrices, quum aliis dant sui corporis potestatem. *Sui copiam facere.*

*Quæ grandem demereo pecuniam?*) Dicimus & demereor deponentali genere idem significans atque simplex, id est, stipendium facio. Aliâs, de aliquo benè mereri est, iungitúrque accusatiuo. Quintilianus: Simul vt pleniori obsequio demererer amantissimos mei. *Grandem.*) Ingentem. Hîc enim ad quantitatem, superius verò ad ætatem retulit, aliâs ad corpus & magnitudinem. *Demereri.* *Grandis.*

*Aduentum excepit.*) Id est, aduenientem. Excipere autem, suscipere est, sed propriè cadentes, aut in calamitatẽ collapsos. Virgil. *Aduentũ excipere.*

*Heu quis te deiectam coniuge tanto,*
*Excepit?*

Aliâs circunuenire, ac dolo capere.

Idem: *Non ego te vidi Damonis pessime caprum*
*Excipere insidiis?*) Hinc excipula, sicut à decipio decipula.

*Multò humanissimè.*) Admodum syncerè ac beneuolè. Nam multò, longè, & facilè superlatiuis eleganter iunguntur. *Multò humanissimè.*

*Num quem cœnæ apparatum vidisti Syre?*) Vide quàm diligenter scíscitatur omnia, quibus coniecturam faciat, diues ne sit an non, qui eam accersi iuberet.

*Sed Pamphagus obsonatum concesserat.*) Hæc solùm à Pantolabo audierat, cum Sannioni paucis denarraret, Ibi, Pamphagus obsonatum abcessit, hic nummos dedit. *Concesserat.*) Ierat. Aliâs tradere, vel permittere, idque propriè. Terentius in Adel. Actus 2. Sce.2. Si nunc de tuo iure concessisses paululum, adolescenti esses morigeratus, hominum homo stultissime, ne non isthuc tibi fœneraret. *Concedere.*

*Habere sollicitum aliquem.* *Hospes omnes sollicitos habet.* Variis officiis & ministeriis distractos occupatósque. Terentius in Heaut. Act.3. Sce. 1. Omnes sollicitos habui.

*Sat habeo.* *Sat habeo.*] Sic antiqui pro sufficit, sat habeo dicebant. Terentius in And. Act.2. Sce.1. Sat habeo.

*Conari.* *Quidnam huc conari video Bromiam?*] Conari, id est, magna cum diligentia tendere. Terentius in Phor. Act.1. Sce. 2. At ego obuiā conabar tibi Daue. Vbi quidem Donatus per Ecclipsin putat deesse verbum ire.

*Affectare viam.* *Ad nos viam affectat.*] Venit, ac nimio affectu & anxiè quærit. Virgil.

*-Viámque affectat Olympo.*

Terentius in Phor. Act.5. Sce.8. Hi gladiatorio animo ad me adfectāt viam. Et in Heaut. Act.2. Sce.3. Nam disciplina est iis, ad dominas qui viam affectant.

*Grauari enim hospitem impendiis.*] Deest participium dictura, & abundat enim. *Impendiis.*) sumptibus, impensis. Fit autem ab impendo, à quo rursus aduerbium impendiò, id est, magis.

*Impendia.*

*Subsistere.* *Subsistamus.*) Substemus, id est, moremur hîc tantisper, donec ad nos venerit Bromia.

*Conuiuari.* *Conuiuatum te vocat.*] Vt simul cum eo ad cibum sumendum venias. Id enim hoc in loco conuiuari significat. Aliâs conuiuium facere. Terentius in Heaut. Actus 1. Scena 2. Scortari crebrò nolunt, nolunt crebrò conuiuarier.

*Hem.* *Hem.*] Indicatiua particula, quæ apud Comicos, autore Laurentio Valla, pro en ponitur, affectui seruiens, qua Oratores non vtuntur, sicut nec ast pro at.

*Cedo.* *Quid ita? cedò.*) Cedò aduerbiū est, idem significans, autore Donato quod dic vel da mihi. Eo autem vtimur, vbi cum quadam fiducia & contemptu eius cum quo sermo est, interrogamus aliquid. In hunc modum Pamphilus apud Terentium in And. Act.2. Sce.3. Dauo loquitur. Cedò igitur quid faciam Daue? Et paulò infra: Cedò, quid iurgabit tecum? Cicero de Senectute: Cedò, quî vestram rempublicam tantam amisisti, & tam citò? id est, dicite. Apud veteres enim aliquando etiam ad plures referebatur.

*Accubare.* *Accubant.*] Discumbunt, ad mensam sedent.

*Nouitius amator.* *Nouitius amator.*] Qui ad amandum postremus accessit.

Quemadmodum serui nouitij olim dicebãtur, qui ad vendendum postremi expositi erant. Serui etenim quemadmodum & amatores,alij nouitij erant,alij veteratores.

*Quid viri est?* ] Emphasis non illepida. Quod perinde est quasi dixerit: Quis potest tantus esse támque opulentus ac potens,qui mei petitum copiã miserit,quæ tam procax sim, magnifica,sumptuosa,nobilis?Ideo hæc maxima cum arrogantia efferenda sunt:quæ sanè, Donato authore,honorificentius per nominatiuum dicerentur. Cum enim recto casu profertur interrogatio,non est cõtumeliosum: si autem per obliquum,cõtẽptum significat,vt quid tu hominis es? quid mulieris?quid ornatus?Terent. in Eunu.Act.5. Sce.1. Quid hominis illic est? *Quid viri est?*

*Quid eum tibi prædicem,aut laudem Lais?*] Prædicamus, vt res sunt:laũdamus extollendo.vel prædicamus voce,laudamus argumentis. Terentius in Eunucho,Act.3.Sce.5.Quid ego eius tibi nunc faciem prædicem, aut laudem Antipho: quũ ipsum me noris,quàm elegans formarũ spectator siem? *Prædicare. Laudare.*

*Dignũ te amica dixeris.*] Talem qui meritò à te amari debeat,non inferiorem te,dignum amore reciproco. *Dignus amica.*

*Rectè Bromia.*] Deest loqueris.

*At numnam verè calet.*] Feruet,inflammatur. *Calere.*

*Desiderio mei.* ] Quo ab eo desideror, non quo eum desidero. *Desideriũ mei.*

*Imò ardet te intimè.*] Non calet,inquit, tantum, sed ardet, id est,impatienter amat. Vtrinque tralatione ducta ab ignis acrimonia.Virgilius: *Ardere.*

*Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.*

*Properemus ocyùs.*] Gradum accelerat, quum se desiderari intelligit,non tam pedũ congressu,quàm lucri ardore progrediens,vtpotè cui nil præter precium dulce esset. *Properemus ocyùs.*] Properemus dixit pro ambulemus.Sic Terentius in Eunucho,Act.3.Sce.5.Perlongè est, sed tantò ocyùs properemus. *Properare.*

# ACTVS TERTII Scena Tertia.

EVBVLVS, PELARGVS.

Oſtonarij.

PRouiſo quid rerũ gerat Pelargus,quo pacto ferat
Abſentiam gnati,quem tenerè adamat,gemítque forſitan
Nunc abdicatũ: quippe illum educauit maximo ſuo
Labore:pòſt curauit unicè,ſperans ſtabilem fore
Voluptatem,quam ex illius præſentia acciperet. Satis
Credo (patris vt eſt ingenium)iam miſerè ſollicitarier
Super ſalute filij. Id viſo,moderetúrne ſuis
Curis nimis anxiis,verè ſapientem quod virum decet.
PEL. Parẽtis quanta ſit ſollicitudo erga abſentẽ filium
Ex me diſco. Gnatus quia abdicatus eſt dudum meus,
Non ſuſtinet animus quieſcere,quin is ſedulò mihi
Ob oculos,ob mentem verſetur,abſentẽ curo haud ſecus
Ac præſentẽ curaui pridẽ. Quàm vellem Eubulũ dari,
Cum quo volupe eſt,de abſente commentari filio.
Sed eccũ,in tẽpore ipſo aduenit. Eubule,ſalue plurimũ.
EVB. O mi Pelarge,non præuiderã te,ſi vales benè eſt:
Nã hac gratia ad te ibã,quò qd valeret animus dıſcerẽ.
PEL. Omnes mihi curæ coeunt. EV. In quo? PEL. In quo cenſeas,niſi
In gnato? EV. Nũ quid audiſti de eo,quod nobis tã citò?
PEL. Nihil. Sed quid valeat miror. EV. Benè equidem ſpero. PEL. Vtinam. EV. Quid eſt
Quod te ſollicitat autem? PE. Gnatus. EV. Minue ye-

*rò hanc improbam*
*Curam.* PE. *Non poſſum Eubule gnatus eſt.* EV. *Vt ſit, quorſum attinet*
*Te excruciare?* PE. *Mihi ſic eſt vſus.* EV. *Si iſtuc certum eſt tibi*
*Sic facere, abiero.* PE. *Potius quàm te caream, quicquid iuſſeris,*
*Faciam.* EV. *Imprimis quod ſcio, tibi videbitur durum, caue*
*Nimium ſis ſollicitus, quādo hinc nihilò meliorē feceris*
*Gnati ſtatum: quin magis eum fatis totum relinquito*
*Curādum, à quorū cura neutiquā exciderit. Nec audias*
*Epicureos, qui contendunt Deos nihil mortalia*
*Curare: melius Homerus, qui* τύχην *vagam quū neſciat*
*Soli decreto numinis regenda credit omnia.*
*Tu filiū tractaſti, dum tempus tulit, vt decuit patrem.*
*Nunc amandatus eſt, feras. Satis pro officio feceris,*
*Æquus ſi perſtet filio animus, de quo quicquid numini*
*Viſum eſt decernere, laudandum fuerit vtroque pollice.*
*Cum diis quis vnquam vel piè pugnauit, vel fœliciter?*
*Sanè haud vacabis impietatis crimine, ſi vltra fas tuā*
*Extendas ſollicitudinem, quando exitum futuri habet*
*Deus in ſua vnius manu. Quid hîc tātū trepidas miſer?*
*An diffidentia tua voles medacij reum*
*Facere deum, noſtri qui curam ſe ſuſcepiſſe perhibet?*
*Qui capitis noſtri etiam pilos omnes in numerato tenet?*
*Ecquem te ipſum facis, vt ex aduerſo deo reſponſites?*
*An inuides ipſi* μοναρχίαν *rerum mortalium?*
*Deos quæſo, vt tuā tibi dent mētē.* PE L. *Cogis tu quidē*
*Me ire in tuam ſententiam: faciam vt poſt hac quietior*
*Sim: dulcis interim commemoratio fuerit de filio.*
*Homo ſum Eubule, humani nihil à me eſt alienum* EV.

*Quæso, vide*
*Ne stulto affectu hinc gnatum prosequare, quem quidem putes*
*Zelum illi debitum, quum sint (nolo erres) affectus mali*
*Recti specie commendati, vnde expectes non nisi noxiam*
*Imposturam. Verùm gnatus quid dicebat nouissimùm?*
PE. *Duobus verbis iussit me longùm valere.* EV. *Quid amplius?*
PE. *Nihil.* EV. *Num tristis abiit?* PE. *Imò lætus Eubule, hinc mihi*
*Lachrymas excussit ille, qui tam frigidus erat in patrẽ.*
EV. *Ita cõparatũ est naturâ, vt virtutẽ præsentẽ minùs*
*Animaduertamus, sublatã verò ex oculis, mox inuidi*
*Quæramus. Quod gnatus minùs videt per adolescẽtiã,*
*Et consulit parùm, ætas id correxerit, quandò malo*
*Accepto, stultus sapiet. Quid valetudo det commodi,*
*Ægrotus pòst intelliget. Nunc illum pœnitet sui:*
*Nimis impensè liber cupiuit esse. Quod hîc erret modo,*
*Posteriùs sentiet, quum ad te cõfugiet naufragus, velut*
*In tutum portum. Id quod futurum ominor.* PE. *Au mi Eubule, metuo*
*Ab omine.* EV. *Nihil est ꝙ metuas, si istuc eueniat, locus*
*Esto misericordiæ.* PE. *Nõ vsus veniet spero.* EV. *Spero itẽ*
*Ego hercle. Neque eò dico, ꝙ quicquã illũ senserim mali*
*Dedisse, sed si quid, ne quid, quæ eius sit ætas peruides.*
*In pessima sequax est, & in malum propendet pectore*
*Toto: Idque maximè, dum consiliis suis relinquitur.*
*Quid enĩ valet, quod in eo est optimũ? malũ illud sonticũ*
*Quod* πρωτοπλάστες *perdidit patres, vitiauit item istius*
*Mentem, quo non potest non sollicitarier ad cupidines*
*Malas, quas & pro consilio Philauti studeat exequi,*
*Nisi præsens adsit corrector, q̃ hũc ad meliora prouocet.*

*Si nescis, optimus ille corrector Deus est. Cuius manus*
*Moderatur oïa, et ĩ quo (vt summatĩ dicã) oẽs viuimus,*
*Mouemur, & sumus, quũ sit solus rerum omniũ arbiter.*
PE. *Credò Eubule, omnia hæc tã verè, q̃ studiosè orarier:*
*Quod de Pericle ferunt, Suadela in labiis sessitat tuis.*
*Cuperem quidem in totũ curam gnati exulãtis ponere,*
*Modò possem.* EV. *Fidẽti sperata cedũt. Sed nunq̃d aliud*
*Me vis Pelarge?* PE. *Vt ad nos diuortas Eubule piissime.*
EV. *Quando istuc vis fiat, nolo vllum in me tibi claudi*
*commodum.*

*Prouiso quid rerum gerat Pelargus.*] In hac scena duorũ senum, Eubuli & Pelargi continetur colloquium, vbi quidem consultor Eubulus Pelargum ob filij discessum sese discruciantem miro modo cõsolatur, & à cruciatu theologicis rationibus quantum potest abducit, ostendens non debere se tantopere affligere ob filiũ, qui curę sit Deo nõ minùs alienus factus, q̃ cum adesset, vt qui sit arbiter omniũ, & in quo vno omnes ad vnũ viuam⁹, moueamur, & sim⁹. Qua sentẽtia persuasus ille, quietior fit ac mitior, inq; mẽtẽ pristinã redit. *Argumentum.*

*Prouiso quid rerũ gerat Pelargus.*] Sicut pictores (vt inquit Marc. Tul. 1. Offi.) & ij qui signa fabricantur, & veri etiam poëtæ suũ quisque opus à vulgo considerari vult, vt si quid reprehensum sit à pluribus, id corrigatur, híque & secum, & cum aliis quid in eo peccatũ sit, exquirunt: sic consultiorum iudicio permulta nobis & facienda & non facienda, & mutanda & corrigenda esse hæc scena demonstrat. *Doctrina.*

*Prouiso quid rerũ gerat Pelargus.*] Prouiso duo significat, authore Donato, & prouideo, & procedo, id est, ad videndũ eo. Terent. in And. Act. 5. Sçe. 5. Prouiso quid agat Pamphilus. Et in Adelph. Act. 5. Sce. 6. Hera ego hinc ad hos prouisam, quàm mox virginem accersant. *Prouiso.*

*Tenerè.*] Leniter, molliter, misericorditer. Dicitur & teneriter. Fit autem à tenerus, quod metaphoricôs mitem, & qui facilè miseretur significat. A quo teneritas & teneritudo, id est, mollities, siue misericordia. *Tenerè.*

*Adamat.*] Deperit, vehementer amat. *Adamare.*

*Gemítque forsitan nunc abdicatum.*] Quòd sua familia & ditione sese subduxerit, & alienauerit. *Gemit abdicatum.*

*Educare labore suo.* *Quippe illum educauit maximo suo labore.*)Hic paterna demonstratur sedulitas,& vis amoris erga filium. Sic Demea ille Terétianus in Adel. Act.5.Sce.4. Ita eos meo labore eductos maximo,hic fecit suos paulo sumptu: miseriam omnem capio,hic potitur gaudia. Loquitur autem de filiis suis & fratre Mitione. Sic Laches in Hecyra, Act.2.Sce.1. Meo labori haud parcens,præter æquum atque ætatem meam.

*Post curauit vnicè.*)Commune,inquit Cicero in Officiis, omnium animantium est coniunctionis appetitus, procreandi caussa: & cura quædam eorum quæ creata sunt.

*Curare vnicè.* *Curauit vnicè.*) Singularem peculiarémque curam habuit suæ valetudinis ac salutis.

*Liberi.* *Sperans stabilem fore voluptatem:&c.*) Nihil enim(eodem Cicerone authore)dulcius hominum generi à natura datũ est,quàm sui cuique liberi. Nihil enim nobis natura iucũdius,nihil charius liberis esse voluit, nihil dignius, vtpote in quo omnis nostra diligẽtia, indulgẽtiáque consumatur. Hinc pręsidium senectutis soboles & successor à Parmenone illo Terentiano his verbis dicitur in Hecyra, Act.1. Sce. 2.Et hæc communia omnia quæ sunt patrum, se senem esse cœpit dicere: illum autem esse vnicum præsidium velle se senectuti suæ.

*Miserè. Sollicitari.* *Iam miserè sollicitari.*) Miserè, valde, nimis. Terentius in And. Act.3.Sce.2. Scimus quàm miserè hanc amarit. Sollicitari autem,inquietari est perturbari & molestia affici. Propriè tamen,vel spem,vel metum ostendere. Terentius in eadem Comœdia, Act.4.Sce.2. Siccine me,atque illam opera tua nunc miseros sollicitarier?

*Ingenium patris.* *Patris vt est ingenium.*)Vt est natura pij cuiusque parẽtis. Hinc inferius dicturus est. Quia hoc inquam patrium est, communia mala bonaque ducere. Hoc qui nescit, fateatur se indignum esse patris nomine.

*Moderetúrne.*)Modum imponat.

*Moderari. Anxius.* *Suis curis nimis anxius.*) Ab ango verbo,fit angor,& anxius, quod sollicitum & mœstũ significat. A quo anxietas & anxietudo, & anxiè aduerbium.

*Proprium sapientis.* *Verè sapientem quod virum decet.*)Cicero libro quinto Tusculan. Quæst. Sapientis,inquit,proprium est,nihil quod pœnitere possit facere, nihil inuitum, splendidè,constanter, grauiter,honestè omnia:nihil ita spectare quasi certò futu-

tum: nihil cum acciderit, admirari, vt inopinatum ac nouũ accidiſſe videatur: omnia ad ſuum arbitrium referre, ſuis ſtare iudiciis: quo quid ſit beatius, mihi certè venire in mentem non poteſt. Rurſus libro quarto: Quiſquis eſt, qui moderatione & conſtantia polleat, quietus animo eſt: ſibíque ipſe placatus, vt neque tabeſcat moleſtiis, neque frangatur timore, nec ſitienter quid expectans, ardeat deſiderio, nec alacritate futili geſtiens deliqueſcat, is eſt ſapiens.

*Abdicatus eſt.*) Alienatus eſt à me. *Abdicatus.*

*Non ſuſtinet animus quieſcere.*) Non ſinit, non ſuffert, non patitur. *Suſtinere.*

*Quin is ſedulò mihi ob oculos, ob mentem verſetur.*) Ea eſt vis amicitiæ, quæ, Marco Tullio teſte, nec debilitari animos amicorum abſentia, nec cadere patitur: verumetiam iam amicum qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur ſui. Quo fit quidem, vt & abſentes adſint, & egentes abundent, & imbecilles valeant, & quòd dictu difficilius eſt, mortui viuant. *Vis amicitia.*

*Abſentem curo haud ſecus: &c.*) Senſus eſt, Non minorem nunc cùm filius abeſt, habeo de eo ſollicitudinem, quàm cum apud me eſſet: quod eſt pij & cordati patris officium. Iuuenum (inquit Plato in Enthiphone) imprimis rationem habere conuenit, vt in optimos viros adoleſcant, haud aliter ac prudentem agricolam teneriuſculis plantis primam curam adhibere decet, deinceps verò & aliàs nõ negligere. *Pij patris officium.*

*Quàm vellem Eubulum dari.*) Mihi offerri, obiici, obuium fieri. Terentius in Heaut. Act. 4. Sce. 5. Te mihi ipſum iamdudum exoptabam dari. *Dari.*

*Cum quo volupe eſt.*) Delectabile, voluptuoſum, gratum, iucundum. Dicitur quoque & volup adiectiuè pro voluptuoſo & delectabili. Plautus: hic ſenex, ſi quid clam vxore ſua, animo facit volup. Terentius in Phor. Act. 4. Sce. 3. Venire ſaluum volupe eſt. Vbi quidem volup legit Donatus, vt facul apud veteres. *Volupe.* *Volup.*

*De abſente commentari filio.*) Commentari propriè, fingere eſt, aut cõmentaria ſcribere. Sed quia qui commentarios ſcribunt, multa vltro citróque proloquuntur, & verborum aggeres accumulant, factum eſt, vt commentari pro loqui accipiatur, ac de re quapiam tractare. Fit autem à comminiſcer, quod fingere eſt. *Cõmentari.*

*Eccum.* *Sed eccum.*)Eccum,eccam, eccos,eccas,ellum,ellam,ellos, ellas,ab ecce composita sunt, quæ per aduerbia resolui debere testantur Donatus & Laurentius Valla, non per pronomina: quamuis planior videatur resolutio, & conuenientior sensui, sed tamen non verior. Eccum itaque significat ecce hîc virum de quo agebam : Eccam, ecce hîc fœminam, de qua mentio erat.Nam quemadmodum (inquiunt) de homine,qui ante conspectum nostrum adest, rectè dixeris,ecce ille,vel ecce ego,siue ecce illum,vel ecce me: ita malè loqueris,si diceres ellum hominem,vel ellum me. Terentius in And. Act.3.Sce. 2. Atque adeò in ipso tempore, eccum obuiam Chremetem. Et in Heaut. Act. 2. Scena 3. Eccos quos volebam.

*In tempore aduenire.* *In tempore ipso aduenit.*) In ipsa opportunitate,in ipso articulo,quo eum adesse cupiebam,innuens gratissimum esse officium quod præstatur in tempore, iuxta illud Terentij: In tempore adesse, omnium est primum . In Heaut.Act.2. Sce.3.Et apud Plautũ in Epid: Nihil homini amico est opportuno amicius.Hinc Laches in Hecyra. Actus 4. Sce.4. Oportunè te mihiPhidippe in ipso tẽpore ostẽdis.EtinAn. Act.5.Sce.6.Charine in tẽpore ipso mihi aduenis.Quo cõtra dicitur vulgari prouerbio:intempestiuã beneuolentiam nihil differre ab inimicitia.

*Præuidere* *Non præuideram te.*)Non ante videram:vox est in ipsis animi motibus oppressorum,&(vt ita dicam)oscitantium. Sic Dauus in And. Act.1.Sce.2.Herus est,neque præuideram.

*Coire.* *Omnes mihi curæ coeunt.*) In vnum sese accumulant adunantur, conueniunt, aggregantur. Terentius in Eunucho, Act. 3. Scena 4. Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræeo, in hunc diem vt de symbolis essemus. Vnde quidam cœtum pro conuentu deductum volunt, quasi coitum, id est, coniunctionem & conuentum.

*Ecclipsis.* *Quod nobis tam cito?*) Ecclipsis.Deest abcesserit, Deest & præpositio à,nisi partitiuè locutionem efferri velis.

*Quid.* *Sed quid valeat miror.*) Quid pro quomodo.

*Sollicitare.* *Quid est quod te sollicitat autem?*)Perturbat,commouet. Vel,de mentis statu te mouet.Id enim sollicitare significat. Sic Terentius in Heaut.Act.2.Sce.3.Quid istuc? quæ res te sollicitat autem?

*Minuere.* *Minue vero hanc improbam curam.*) Minue, tolle, vel ri-

norem redde. Improba verò cura, dicitur magna. Virg.

*Labor omnia vincit improbus.*

Aliàs pro sæua sumitur. Idem.

*Improbus.*

*- Lauet improba teter*

*Ora cruor.*

Interdum lasciuum, petulantem, proteruum, malignum, astutum & nequam, hoc vocabulum significat. Terentius in Andria Actus 1. Sce. 1. Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum, ipsum animum ęgrotum ad deteriorē partem plerunque applicat.

*Gnatus est.*) Ad quem amandum vel natura ipsa impellor, vtpote qua tributum sit, vt ij qui procreati sunt, à procreatoribus amentur. Author Cicero, 4. de Finibus.

*Vt sit.*) Vt pro quamuis.

*Vt.*

*Quorsum attinet, te excruciare?* ) Impudens luctus est, inquit Cicero, mœrore se conficientis, quod imperare non liceat liberis pro arbitrio. *Te excruciare.* ) Affligere torquere. Est autem figura Reiectio, quæ & apodioxis: quum quid videlicet reiicimus tanquā indignum, aut intempestiuum: quale est, De hoc quid attinet dicere? cum ad pręsentem caussam non faciat?

*Excruciare.*

*Mihi sic est vsus.*) Ea est mea consuetudo, id moris habeo. sic Menedemus apud Terentium in Heaut. Act. 1. Sce. 1. Mihi sic est vsus: Respondetur à Chremete: An cuiquam est vsus homini, se vt excruciet? Hinc vsu venire pro accidere dicimus.

*Mihi sic est vsus.*

*Vsu venire*

*Si istuc certum est tibi sic facere abiero.*) Sic Terentius in Eunucho, Act. 2. Sce. 3. Si certum est facere, facias. Pro decretum ac deliberatū est. *Abiero.*) Pro abibo: & hoc gestu abeuntis, vel abituri pronuntiatur.

*Certum est*

*Abiero.*

*Abiero.* ) Virgil.

*Donec me flumine viuo abluero.*

Terentius in Adel. Act. 1. Sce. 2. Ah si pergis, abiero.

*Caue nimium sis sollicitus.* ) Hic Pelargus videtur fuisse in opinione Menedemi illius Terentiani, qui decreuerat tantisper se minus iniurię suo gnato absenti facere, dum fieret miser: nec fas esse eum vlla voluptate frui, nisi vbi ad eū saluus rediisset suus particeps. In Heaut. Act. 1. Sce. 1.

*Caue nimium sis sollicitus.* ) Te nimiis curis afficias, & plus æquo inquetes.

*Esse sollicitus.*

*Status.* *Gnati statum.*) Conditionem, & habitum. Status, inquit Donatus, ad habitum refertur: statura, corpori ascribitur.

*Fata.* *Quin maximis cum fatis totum relinquito curandum.* ) Fatis, id est, iussui, determinationique, ac voluntati diuinæ: alludens vtique ad illud ex Homero relatum: Ioui fuerint hæc omnia curæ. *Fatis totum relinquito.*) Tradit Plato Deum & fortunam atque artem simul cum deo humana omnia gubernare. Quod ita interpretantur Platonis assecl, vt asserant Deum in omnibus per omnia mouere omnia. Mouere quidem mundi spheras, quarum concursus fatum Plato alicubi, at quarto legum fortunam appellat: hinc asserens casus varios circa externa corporáque contingere. Mouere item animas, lumen inspirando mentibus, quò ars non speculandi solum munere accendatur sed agendi. Ab arte tādem externorum, & corporis dispositionem proficisci, quēadmodum à deo cuncta dependent: qui (vt Apostolus Paulus asserit) omnia in omnibus operatur. Animaduertendum est itaque, pro solida huius loci & sequentium elucidatione, quandocunque illa cælestium caussarum ratio ita digeritur, vt artē exculcatam exuperet, dici à Platonicis fatum. Vbi vero sic, vt vincere inertem desidiosúmque eualeat, rursum à solerti strenuóque vinci, appellari fortunam. Vtrobique nihilominus diuinam statuunt prouidentiam, quæ ad finē agat sibi soli notum, quæque vniuersa modis contemperet occultioribus.

*Quid Plato vocet fatum & fortunam.*

*Deus rerū moderator omnium.* *A quorum cura neutiquam exciderit.*) Cicero libro secūdo de Legibus, sit hoc, inquit, à principio persuasum hominibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores deos, eáque quæ gerantur, eorum geri ditione atque numine, eósque optimè de genere hominum mereri: & qualis quisquis sit quid agat, quid in se admittat, qua mēte, qua pietate colat religionem intueri, piorúmque & impiorū habere rationem. *A quorum cura neutiquam exciderit.*) Cadet, aberrabit, defluet. Vel exciderit, in obliuionem veniet. Virg.

*Excidere.*

*Necdum etiam caussæ irarum, sæuique dolores*
*Exciderant animo.*

*Neutiquā.* *Neutiquam.*) Neutiquam, authore Donato, non est omnino negatiuum, sed aliquid assensionis habet. Est enim neutiquam, non nimis, non valde.

*Epicureorum opinio de deo.* *Nec audias Epicureos. &c.*) Erant in hac opinione illi qui Epicuri

Epicuri hæresin sectabantur, vt affeuerarent Deum nihil curæ habere eorum, quæ in hoc seculo fierent: sed qui cœlum inhabitaret, illius itidem tantum curam gerere. Vnde Iuuenalis:

*Sunt in fortunæ qui casibus omnia ponant:*
*Et nullo credant mundum rectore moueri.*
*Non voluente vices & lucis & anni:*
*Atque ideo intrepidi quæcunque altaria iurant.*

Item Marcus Tullius libro de Natura deorum: Epicurus inquit, ex animis hominum extraxit radicitus religionem, quum diis immortalibus & opem & gratiam sustulit. Ita fit vt non modò homines à diis, sed ipsi dij inter se ab aliis negligantur. Quo contra ait ter maximus ille Mercurius Hermes: Neque ignorat deus hominem, sed curam eius habet, ab eóque se cognosci vult. Platonici itaque tradebant, deum curantem rerum: Epicurei ociosum: Stoici extra mũdum positũ, qui in morem figuli extrinsecus torqueret hãc molem: Platonici, qui gubernatoris exemplo intra illud maneret, quod regit.

*Melius Homerus.*) Ecclipsis. Deest audiendus est, vel contendit, vel loquitur. *Ecclipsis.*

*Qui τύχην vagam quum nesciat.*) Eadem ferè iisdémque verbis extulit Macrobius Satur.5. cap.16. Fortunam (inquit) Homerus nescire maluit, & soli decreto, quod μοῖραν vocant, omnia gerenda committit, adeo vt hoc vocabulum τύχη in nulla parte Homerici voluminis nominetur. Contrà Virgilius non solum nouit & meminit, sed omnipotentiam quoque eidem tribuit: quam & philosophi, qui eam nominant, nihil sua vi posse, sed decreti siue prouidentiæ ministrã esse voluerunt. Hactenus ille. Hanc quidem Sortẽ, alij Adrastian, quidam Rhannusiam, nonnulli Nemesim, complures Nortiam dicunt: eam putantes benefactorum remuneratricem, tum regnorum opúmque dispensatricem, quæ alioqui solius dei nutu huc atque illuc transferuntur. Hinc Statius lib. 13. *Homeri sententia de fortuna.*

*Est dea, quam Nemesin dicunt, dea magna poténsque*
*Quæ bona cælestum concessu cuncta deorum*
*Possidet.*

*Vagam.*) Fingunt Fortunam poëtæ ita erroneam volubilémque, vt nullo loco consistere valeat, vagam appellantes *Fortuna vaga.*

& consuetudine illorum, qui citra negotium huc illúcque inutiliter circumcurrunt, dicti quòd vacui, id est, sine negotiis agantur. Insanam quoque esse & cæcam, & brutam perhibet philosophi, vt author est Marcus Tullius in Rhetoricis. Cæcam quidem, ob eam rem, quia nihil cernat, quò sese applicet. Insanam autem, quia atrox, incerta, instabilísque sit. Brutam, quia multis incommodis conflictatur propter immensam pecuniç cupiditatem. Verùm dum hæc omnia falsa esse reputat Homerus, hominem culpa liberare videtur, & eam in fatum reiicere, adstruens vtique omnia à diis ipsis regi mortalia, siue bona siue mala illa fuerint. Hac re quidem innuens non cuiuis contingere quæ optat, sed dari diuinitùs. Hoc autem excerpitur ex Homericarum Iliadum libris tertio & quarto.

*Numen.* *Decreto numinis.*) Numen duo significat, vel potestatem, vel voluntatem dei. Virg.

*Musa mihi caussas memora, quo numine læso,*
*Quidve dolens regina deûm.*

Item pro voluntate:

*Non hac sine numine diuûm.*
*Eueniunt.*

Sumitur & pro ipso deo. Idem:

*Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,*
*Supplicia hausurum scopulis.*

Fit autem à nuo, is, quod veteres pro volo vsurpabant.

*Tractare.* *Tu filium tractasti.*) Tractare hîc gubernare est, vt apud Ciceronem in Bruto: Fuit in Cilicia mecum tribunus militum, quo in munere ita se tractauit, vt accepisse ab eo beneficium viderer, non dedisse.

*Tulit.* *Dum tempus tulit.*) Tulit, duo significat, attulit, & abstulit: passum est, & pertulit. Terentius in Andria, Act. 1. Sce. 2. Dum tempus ad eam rem tulit, siui animum vt expleret suum. Rursus eadem Comœdia Act. 5. Sce. 1. Incœpi, dum rem tetulit: nunc non fert, feras. *Dum tempus tulit.*) Quandiu temporis commoditas tolerauit ac passa est. Dum adhuc in ea esset ętate, qua nullo pacto audent suis parentibus obluctari pueri. Nunc verò, quia iam adultus est (vt est rerum omnium vicissitudo) florémque adsecutus ætatis, eum totum diuino numini curandum relinquito, amatóque haud secus absentem, quàm cum præsens esset.

*Amandatus eſt.*) Ablegatus eſt, ac aliò deputatus. Gell. Neque multo minor amandati ad nutricem aliam filij, quã morte amiſi, obliuio eſt.

*Feras.*) Id pro tua prudentia tolera, ne diis quoquomodo videaris obluctari ac oppedere. *Ferre.*

*Satis pro officio feceris.*) Probi patris functus fueris munere. *Satis facere pro officio.*

*Si perſtet æquus animus filio.*) Aequus pro iuſto & vero; quòd nullam in partem inclinetur. Vel æquus, iuxta Donati interpretationem, beneuolus, non iratus, vel minus iniquus. *Aequus.*

*Decernere.*) Conſtituere, definire, iudicare. Aliàs deliberare eſt. *Decernere.*

*Laudandum fuerit vtroque pollice.*) Summo fauore & ſtudio. In pollice nempe, vt ait Eraſmus, olim fauoris & ſtudij erat ſignificatio. Horatius: *Vtroq; pollice laudare.*

*Conſentire ſuis ſtudiis qui crediderit te*
*Fautor vtroque tuum laudabit pollice ludum.*

*Cum diis quis vnquam vel piè pugnauit, vel fœliciter?*) Cum diis pugnare dicuntur, eodem Eraſmo authore, qui vel naturæ repugnant vel aduerſus fatalẽ neceſsitatẽ reluctantur. Sumptum à Gigantum fabula. Cicero in Dialogo de Senectute: Quid enim aliud eſt Gigantũ more bellare cum diis, niſi naturæ repugnare? Nemo enim vel murmure in deum, vel animi impatientia, aut ferocia, illi obluctando, aliquid rei concupitæ, vel euentus deſiderati nactus eſt: ſed potius ſui deiectione, & in eum firmã tenacique fide, vtpote qui iis potiſsimum flectatur: non autem in eum rebellione & peruicacia. *Cum diis pugnare.*

*Haud vacabis impietatis crimine.*) Vacare ſic ablatiuo iunctum dempta præpoſitione, carere ſignificat, vt vacas ſapientia. Vacare verò ſapientiæ, vel in, & ad ſapientiam, eſt dare operam, vel potius ocium habere, vt placet Linacro. *Vacare.*

*Si vltra fas.*) Non prohibet patrem eſſe ſollicitum ob filij abſentiam, ſed non præter quàm quod pium, religioſum, & fari dignum eſt, quod ſonat vocabulum fas: quo ſanè pulchrè hîc vſus eſt, vtpote qui priùs dixerit cum diis non eſſe pugnandum. Fas namque ad deos refertur, ſicut iuſtum ad homines. Virg.

*Fas & iura ſinunt.*

Id est, diuina humanáque iura permittunt.

*Extendere sollicitudinem.* *Tuam extendas sollicitudinem.* ) Id est, animi curam non solum sedes, sed acriorem facias, explicésque vehementiùs, quàm cum incœpta est. Est autem sollicitudo, quæ inhæret mentibus: sollicitatio, quæ ab alio fit

*Quando exitum futuri &c.* ) Sensus est. Non est quòd tantopere sollicitari & cruciari habeas ob absentem filium, quem deus optimus maximus in suo vnius habet moderamine, quod alioqui neutiquam ab æquo aberrat aut deflectitur. Quò fit, vt nil filio contingere posit, quod æquitati non assonet. Nam (quemadmodum inquit Cicero libro tertio de Natura deorum.) hominum membra, nulla contentione, mente ipsa ac volumtate mouentur: sic numine deorum omnia figuntur, mouentur atque mutantur.

*Quid hic trepidas miser?* ) Hìc aduerbium loci non est, sed temporis pro nunc, vt apud Virgilium.

*Hic annis grauis, atque animi maturus Alethes.*

In qua significatione vsus est & Terentius in And. Act. 2. Scena 3. Hic reddes omnia quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta vt sient.

*Reus.* *An diffidentia tua voles mendacij reum facere deum.*) Cicero libro secundo de Oratore: Reos, inquit, appello non modò eos qui arguuntur, sed omnes de quorum re disceptatur. Vnde à re Reus dicitur, quod rei alicui obnoxius sit, vel à re quam promisit.

*Diffidētia* *Diffidentia tua.*) Tua incredulitate, desperationéque diuinæ subuentionis & auxilij.

*Diuina cura erga hominem.* *Nostri qui curam se suscepisse perhibet?* ) A iudicio & authoritate argumentum est. Id autem dicit Christus apud Matthæum capite sexto, in hunc modum. Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini: & item reliqua. Cui sententiæ & accinit Diuus Lucas Euangelij sui capite duodecimo. Rursus & Apostolorum princeps Petrus in sua priori Canonica, capite quinto: Humiliamini, inquit, sub potenti manu dei, vt vos exaltet in tempore visitationis: omnem sollicitudiné vestram proiicientes in eum quoniam ipsi cura est de vobis. Quod nec tacuit Regius ille psaltes, Psalmo quinquagesimo quarto: Iacta (inquit) super dominum curam tuam, & ipse te enutriet: non enim dabit in æternum fluctua-

tionem iusto.

*Qui capitis etiam nostri pilos omnes in numerato tenet.*) Id quoque est apud Matthæum capite decimo. Nonne, inquit suis Christus, duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos. Id ipsum & Diuus Lucas asserit, Euangelij sui cap. 12.

*In numerato tenet.*) Optime nouit. Sumptam ait metaphoram Erasmus, ab iis qui res suas ad certissimum calculum redegerunt, hoc est, ad pecuniam numeratã. Ego censuerim quoque deductum à computatione quæ fit in digitos, quod quæ semel digitis computauimus, ea quidem postea soleamus optimè nosse. Confine est illud Plautinum in Casina: Numero dicis, pro eo quod est facilè & compendio: siue, vt Festus interpretatur, citò ac celeriter. Idem in Amphitryone: Numero mihi in mentem fuit.

*In numerato tenere.*

*Ecquem te ipsum facis?*) Id est, & qualem te constituis & præ te fers? Sed hec particula ecquis, equa equid, vel ecquid, habet in se quiddam energiæ vehementioris, quàm si diceremus & qualem. Semper autem interrogatiuè cum admiratione quadam in oratione ponitur.

*Ecquis.*

*Vt ex aduerso deo responsites.*) Sic Diuus Paulus ea epistola quæ Romanis delegata est, capite nono. O homo, tu quis es, qui respondeas deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?

*Vt ex aduerso.*) Ex opposito, ex contrario. Vnde aduerso flumine nauigare, pro contra aquã niti. Itaq; ex aduerso respondere deo, est illi rebellare, resistere ac nolle suis edictis cum quadam animi hæsitantia accedere. Responsitare rursus maximè ad iuris prudentes, antistites, ceremoniarúmque conditores pertinet, & Romæ quondam ad pontifices, pro re dubia responsum edere.

*Ex aduerso.* *Responsitare.*

*An inuides illi monarchiam rerũ mortalium?*) Inuidere, propriè, est ex alicuius rebus secundis dolore affici, tractum à nimis videndo, quod nimis intuemur fortunam illius, de cuius fœlicitate sumus solliciti. Monarchiam verò, priùs diximus significare vnius principatum.

*Inuidere.* *Monarchia.*

*Deos quæso vt dent tibi tuam mentem.* *Deos quæso, vt tuam tibi dent mentem.*) Imprecatio prouerbialis est in insanum, & sua dignum mente. Martialis: Dij mentem tibi dent tuam Philæni. Ad quod alludens Horatius.

*Quid facias illi? Iubeas miserum esse libenter,*
*Quatenus id facit.*

Optamus quoque & meliorem mētem iis, qui nobis parum sani videntur, veluti Demea ille Terentianus in Adel. Actus 3. Sce. 3. Meliorem mentem vobis dari.

*Ire in sententiam.* *Cogis tu quidem me ire in tuam sententiam.*) Ire in sententiā, est quod plerique dicunt consentire in sententiam, & in alia omnia. Qui dicendi modus translatus est à discessione, vel pedum itione, id est, à veteri consuetudine, quæ seruari consueuerat, quoties ingens erat turba suffragia ferentium. Cum enim suffragia rogabantur & res erat quæ omnibus placeret, pedibus ibant in sententiam, vel discedebant cum contrà fieret. Inde Pedarij iudices, & pedaria sententia. Cicero Lentulo: Perspiciebant enim in Hortensij sententiam multis partibus plures ituros, quàm apertè Volcatio assentirentur. Titus Liuius: Omnes in eam sententiam ierunt.

*Commemoratio.* *Commemoratio de filio.*) Confabulatio, reductio filij in memoriam. Terentius in And. Act. 1. Sce. 1. Nam isthęc commemoratio, quasi exprobratio est immemoris beneficij.

*Homo sum.* *Homo sum Eubule, humani nihil est à me alienum.*) Argumentum est à coniugatis, quod verba vocis similitudine sub vnum quasi iugum sint deuincta.

*Homo sum*) Hac sētētia vti solemus, vbi peccatū quidē non negamus, sed tolerabile esse dicimus. Sic Chremes ille Terentianus in Heaut. Act. 1. Sce. Homo sum humani à me nihil alienum puto. Vel me moneri hoc, vel percontari puta: *Homo sum.*) Seneca ait hanc sententiam oportere semper homines habere & in pectore, & in ore. Quam alioqui Platonis esse Donatus asserit, dictitantis, ortus nostri partem patriam vendicare, partem amicos. Nempe quòd (vt Stoicis placet) quæ in terra giguuntur, ad vsum hominum omnia creentur: homines autem hominum caussa generentur, vt ipsi inter se alij aliis prodesse possint. Vnde hominem non ab humo, sed à consortio atque concordia vitæ appellatum quidam existimant. Græcę enim

ὁμόνους concors ὁμόνοια cócordia & consensus adpellatur, & ὁμονοῶ concordor siue consentio. Est nempe homo omnium animalium maximè sociabilis. Veteres non hominem, sed homonem dicebant, à quo homonium, hoc est, humanum. Humanum autem propriè dicitur, quod hominis est, & ad hominem spectat.

*Hominis concordia.*

*Vide ne stulto affectu hinc gnatum prosequare.*) Stulto affectu, hoc est, inordinato & inconsiderato amore. Stultus affectus erga aliquem dicitur cùm motus animi, rationi non obtemperant, vt sunt ægritudo, formido, libido, iracundia, amor immoderatus, quæ omnia non cadere in sapientem adstruit Cicero, in tertio Tuscul. Quæst. Stulto quoque affectu filium amat, qui plus æquo illi indulget. Indulgentia, inquit Comicus simus omnes deteriores. Multa sunt (inquit Cicero 1. de Na. Deo.) incommoda in vita, quæ sapientes commodorum compensatione leniunt: stulti nec vitare venientia possunt, nec ferre præsentia.

*Stultus affectus.*

*Quem quidem.*) Subaudiendum affectum, quo eum non satis prudenter prosequeris.

*Putes zelum illi debitum.*) Vel filiationis, vel parentelæ gratia. *Zelum.*) Appositoriè. Est autem zelus animi affectio, quam æmulationem dicimus, ex eo proueniens quòd quis timeat alteri, ne eo inquinetur vitio aut crimine, quo vel à diuinis mãdatis vel à sui ipsius amore degeneret. Hinc Deus Zelotes dicitur, ea ratione, quod ita nos amet, vt nolit fornicari post deos alienos.

*Zelus. Zelotes.*

*Quum sint affectus mali, recti specie commendati.*) Affectus dicuntur à Cicerone, animi & corporis ex tempore aliqua de caussa mutationes, vt sunt gaudium, lætitia, misericordia, cupiditas, metus, molestia, & alia, quæ modò affectus, modò perturbationes à nostris, à Græcis verò Pathi, id est, morbi appellantur. Qui sanè affectus mali vocantur, quum recti specie, hoc est vmbra & prætextu operis boni velati, sub se vel inscitiam, vel imposturam occultãt. Vnde Diuus Paulus dicebat Hebræos zelum quidem dei habere, sed non secundum scientiam. Et Horatio teste, decipimur specie recti. Quia, vt inquit Cicero libro 4. Acad. Finitima sunt falsa veris. Nulla nempe viuendi virtus est, cui non suum vitium sit proximum. In viuendo timiditas & astutia prudentiam adsimulat, seueritas iustitiã

*Affectus. Affectus mali.*

fingit, temeritas velatur fortitudine, parcitas tegitur temperantia, stultus affectus syncero amore. Ad quas si quis adfectet, nisi doctrina rerúmque cognitione firmatus, allucinabitur, cęcutiénsque quicquid se primùm offeret, pro recto sequetur, sæpéque pro virtutibus vitia, quæ illarum mentita speciem obuiam veniunt, amplectetur. Hos autem animi & corporis motus, graphicè depingit Macrobius in somnium Scipionis libro 2. cap. 16. in hæc verba. Motus animæ, est boni malíque discretio, virtutum amor, cupido vitiorum: ex quibus effluunt omnes inde nascentium rerũ meatus. Motus enim animæ, est quicquid irascimur, & in feruorem mutuæ collisionis armamur, vnde paulatim procedens rabies fluctuat præliorum. Motus animæ, est quòd in desideria rapimur, quòd cupiditatibus alligamur. Sed ij motus, si ratione gubernentur, proueniunt salutares: si destituantur, in præceps & rapiuntur & rapiunt. Hos itaque motus modò sine ministerio corporis, modò per corpus exercet anima. Hactenus ille.

*Motus animæ.*

*Vnde non expectes.*) Ex quibus quidem malis affectibus nil obseruare & operiri valeas.

*Expectare.*

*Nisi noxiam imposturam.*) Nocentem fallaciam, qua inconsultè, sed recti tamen specie, decipiaris.

*Noxia impostura.*

*Nouissimum.*) Aduerbium est pro vltimò, quòd quæ recenter fiunt, vltimum locum habeant.

*Nouissimũ*

*Duobus verbis iussit me longum valere.*) Hæc locutionis figura, si ad rem potius quàm ad hominem referatur, magis prouerbialis erit. Rem igitur, à qua nos abdicamus, ei renunciare dicimur, ac longum valere iubere. Sumpta metaphora (vt autor est Erasmus.) ab iis, qui discedunt diutiùs abfuturi, seu nunquam redituri.

*Iubere longũ valere.*

*Num tristis abiit?*) Sic Virgilius:

*Num fletu ingemuit nostro, num lumina flexit?*

*Num lachrimas victus dedit, aut miseratus amantem est?*

*Mihi lachrimas excussit.*) Meũ mouit animũ, me flere coëgit. Terentius in Heaut. Act. 1. Sce. 1. Lachrimas excussit mihi, miserétque me eius. Componitur autem excussio ab ex intentiua particula, & quatio, quod etiam mouere significat. Sic ferè Plautus in Trinummo: Lachrimas hæc mihi quum video eliciunt.

*Excutere lachrimas.*

*Qui tam frigidus erat in patrem.*) Frigidus, crudus, cre-

*Frigidus.*

delis,nulla motus miseratione, ob lachrimarum profusionem. Dicitur quoque frigidus perniciosus, & segnis, quòd frigida naturæ mortalium perniciosa sint & nocua.

*Ita comparatum est natura.*) Id est, institutum, decretum.

*Cōparatū, est.*

*Vt virtutem præsentem minus animaduertamus.*) Sententia hæc tota Horatiana est, ex libro Carminum 3. Ode 24. in hunc modum:

*Virtutem incolumen odimus,*
*Sublatam ex oculis quærimus inuidi.*

*Virtutem præsentem minus animaduertimus.*

Qua quidem sententia hîc prælarus consultor Eubulus cupit innuere, complures esse, & videri plerunque, qui licet non modò primoribus labris (vt verbis Cic. vtar, quib⁹ pro M.Cęlio vsus est) gustauerint hoc genus vitę voluptuariæ, & extremis, vt dicitur, digitis attigerint: sed qui totam adolescentiam voluptatibus dederint, emersisse nihilominus aliquando, & se ad frugem bonam, vt dicitur recepisse, grauésque homines & illustres fuisse. Multi, (inquit idē Cicero) & nostra & patrum memoria summi & clarißimi ciues fuerunt, quorum cum adolescētiæ cupiditates deferbuissent, eximiæ virtutis firmata iam ætate extiterunt. Huius rei exemplo nobis est Themistocles, cuius vitæ turpitudine in desperationem conuersa mater, laqueo mortem sibi cōsciuit. Quem deinde natu maiorem tantæ præstantiæ extitisse ferunt, vt etiam Oratorum omnium excellentissimum, totiúsque Gręcię principem, & incredibili quadā magnitudine consilij atque ingenij fuisse dicat idem Cicero libro 2. de Orat. Idem penè legimus de Manlio Torquato Lucij Manlij fortißimi amplißimíque viri filio, quem ab ineunte ætate adeò hæbetis obtusíque ingenij extitisse ferunt, vt à parente ruri relegatus degeret, vt qui nec priuatis, nec publicis functionibus idoneus esse videretur. Is tamen paulò pòst quasi ignauiæ suæ pertæsus & patrem reū iudiciali periculo liberauit, & in Latino bello ingenti totius Populi Romani plausu triumphum duxit. Hinc nimirum, quòd sublatam, id est, remotam virtutem mox inuidus quæsierit. Nec quisquam etiam æquo ferre animo poßit diu se contemptui, ac ludibrio haberi.

*Themistocles.*

*Manlius Torquatus*

*Mox inuidi.*) Id est, dolore, vel potius æmulatione alienæ fœlicitatis, vel detrimento nostræ famæ pereuntis: per-

*Inuidi.*

quam habuit ad Quirites pôst Reditum iucundior est iis, qui è graui morbo recreati sunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt: sic omnia desiderata magis quàm assiduè percepta delectant. Grauitas morbi, facit vt medicinæ egeamus: eáque nunc appareat, cuius vim non sentiebamus quum valebamus. Hinc amicitiæ, consuetudines, vicinitates, quid habeant voluptatis, carendo magis intelligimus, quàm fruendo.

*Nunc illum pœnitet sui.*) Quæ temerè & perperam egit nunc illi displicere, ac molesta esse incipiunt. *Pœnitere sui.*

*Nimis impensè liber cupiuit esse.*) Abundat nimis: impensè siquidem, nimis vel valde significat: nisi more Terentiano loquatur, qui in Adel. Actus 4. Sce. 1. Miserè nimis cupio, dixit. Vel nimis impensè, id est, nimis vehementer. *Impensè.*

*Quod hic erret modò.*) Vagus sit, & profugus. Erret, subiunctiuus modus pro indicatiuo. *Errare.*

*Quum ad te confugiet naufragus.*) Translatio est de his, qui naui fracta, sua omnia bona amittunt, nil magis tum in votis habentes, quàm periculum euadere, & ad portum appellere. *Naufragus.*

*Velut in tutum portum.*) Vulgaris metaphora est, hominem in cuius præsidio conquiescimus, portum appellare, tropo ducto à natantibus, aut naufragis, aut nauigantibus, quibus, cum iam intra portum sunt, nil est negotij cum vndis & ventis, quorum arbitrio priùs nauigabant, & ferebantur. Hinc & qui se ad tranquillam tutámque aliquam vitæ rationem traducunt, in portum se recipere dicuntur. Author Erasmus. *In tutum portum cōfugere.*

*Id quod futurum ominor.*) Præsagio, auspicor, auguror. *Ominari.*

*Au.*) Interiectio consternati hominis. *Au.*

*Metuo ab omine.*) Metuimus eum qui nobis aliquid facturus est. metuimus ab illo, cuius caussa possumus aliquid mali pati, etiam si ipse nihil in nos mali consulat. Hei mihi, inquit Sosia Terentianus, metui à Chryside. Cum verò metuimus alteri, id fit, in illius vel commodum, vel vtilitatem, vel cum solliciti sumus de eo. Varro autem ait metuere, à quodam metu animi dici, quum videlicet id quod malum casurũ putat, mens refugit. Quũ verò vehemētiùs in mouēdo vt à se abeat, foras fertur, formido *Metuere.* *Formido.*

*Arboribus,stragémque satis.*

Terentius in Adel.Act.3.Sce.4.O Æſchine,pol haud paternum iſtud dediſti.

*Sed ſi quid.*] Subaudiendum dederit,aut euenerit.

*Ne quid quæ eius ſit ætas peruides.*] Ne quid,pro nullo modo. Ne enim pro non frequẽter ſumitur, vt apud Plautum: Ne vult,inquit. Terentius in Phor.Act.2.Sce.1.Amicos aduocabo,ad hãc rem qui adſient, vt ne imparatus ſim, quum adueniat Phormio.Similiter diximus ſuperius,quid aliquãdo aduerbialiter ſumi. Quaſi diceret. Haud propterea te adhortor ad impendendam filio miſericordiã,quòd eum in tãtam miſeriam calamitatémve decidiſſe aut caſurũ putem vt miſericordia egeat, quæ à Stoicis inter vitia adnumeratur,aut in malum aliquod dedecúſq; prolapſum: ſed ſi prolapſus fuerit,vt ſunt humana,hoc dico eã ob cauſſam,quòd minimè peruideas perpẽdáſve eam tenellam, indéque adeò innumeris malis obnoxiam ætatem, in qua tuus nunc eſt filius.

*Ne quid.*

*Quid.*

*In peßima ſequax eſt.*] Prauis inhæret, eo vtique ſignificatu, quo Plinius ſequacem materiam, & Perſius ſequaces hederas, & item Lucretius curas ſequaces, quæ mortalium animos perſequi non deſiſtunt,appellauere. In peſsima ſequax eſt,& quo nouo imbuas,durat in morem teſtulę.Quò fit vt pulchrè moneat Fabius, vt ſtatim optima diſcantur, propterea quòd (inquit) nihil hæret tenaciùs, quàm quod rudibus annis percepimus. Hinc Ariſtoteles quoque ait nõ parui referre,hoc an illo pacto protinus à pueris conſueſiamus, quando naturâ ſumus omnes dociles imitandis turpibus.Ideo,inquit Virgilius:

*Sequax.*

*– Vſqueadeò à teneris aſſueſcere multum eſt.*

*Et in malum propendet.*] Procliuis eſt, vehementer tendit, vergit, inclinatur, ducta metaphora à ſtatera, cùm aliquid in ea ponderatur. Propendere enim propriè, ſurſum pendere eſt:ſicut depẽdere,deorſum pẽdere. Iuxta illud Plautinum in Aſinar.Vbi manus manicæ complexæ ſunt, atque adductæ ad trabem,nec depẽdes, nec propendes, quin malus nequámque ſis.

*Propendere*

*Pectore toto.*] Omnino, prorſus, integrè. Dicitur & toto animo,& totis viſceribus.Cicero de Legibus primo:Vbi illa ſancta amicitia,ſi non ipſe amicus per ſe amatur toto pe-

*Pectore toto.*

ctore, vt dicitur? Rursus in Epistolis familiaribus: De scapulandis hortis toto pectore cogitemus.

*Adolescens suis consiliis relictus.*

*Idq; maximè, dum consiliis suis relinquitur.*] Puer, inquit Salomon, qui voluntati suæ relinquitur, confundit matrē suam. Et si quid Comico credimus, simus omnes deteriores licentia. Heaut. Act. 3. Sce. 1. Vnde fit, vt maximè hanc ętatem à libidinibus arcendam esse à maioribus natu præcipiat Cicero in Officiis, & exercendam in labore patientiàque & animi & corporis, vt eorum, inquit, & in bellicis, & in ciuilibus officiis vigeat industria. Et in Lælio, senectutis esse propriū adstruit, vt adolescentulos doceat, instituat, ad omne officij genus instruat: adolescentium autem maiores natu vereri, ex hísque deligere optimos & probatissimos, quorum consilio & authoritate nitantur, vtpotè quòd ineuntis ætatis inscitia, senum constituenda & regenda prudentia sit.

*Hominis pulchra descriptio.*

*Quid enim valet quod in eo est optimum?*] Homo, inquit Aristoteles, vt perfectione suscepta animantium cunctorum optimus est: sic à lege ac iustitia seiunctus, omnium efficitur pessimus. Dedit quidem optimus ille parens rerum, animis nostris igniculos quosdam, & quasi scintillulas ad omnem virtutem percipiendam. Cæterū igniculos eos malis moribus opinionibúsque deprauatis (vt Marcus Tullius author est) sic extinguimus, vt nusquam lumen ingenitum appareat. Quinimò simul atque in lucem æditi & suscepti sumus, in omni cōtinuò prauitate, & in summa opinionum peruersitate versamur, vt penè cum lacte nutricis errorem suxisse videamur, adeò vt meritò Lucretianum illud comprobari possit:

*O miseras hominum mentes, ò pectora cæca!*
*Qualibus in tenebris vitæ, quantísque periclis*
*Degitur hoc æui, quodcunque est!*

*Sonticum malum.*

*Malum illud sonticum.*] Sonticum malum, graue, noxium, vehemens. Atqui nocere illud dicitur à philosophis, quod perpetuum est, non quod tempore finitur. A iurisconsultis tamen morbus sonticus appellatur, qui cuique rei agendæ impedimento est. Hinc corporis febrem, morbum sonticum nuncupant, quòd is, contra naturam accidat. Quò fit, vt si rei iudicandæ tempore alter ex litigatoribus febre laboret, res non videatur iudicata. Vnde & in veteri militum iureiurando, milites iurabant se affuturos, nisi funus familiare

esset, feriæ vindemiales, calendæ, morbus sonticus, vel auspicium, quòd sine piaculo præterire non liceret sacrificium anniuersarium. Veruntamen sonticum malum hoc in loco appellatur, mali illius originalis fomes & incitabulum, quo excitamur accendimúrque ad obluctãdum Deo: cuius quidem tradux per genituram ex corpore in corpus trãsmeat, & serpit à patribus in filios, quo filij iræ, diuo Paulo teste, nascimur; & quo quisque vt diuus Iacobus ait, tentatur, à concupiscentia sua abstractus à bono, & illectus in malum. Deinde concupiscentia cùm conceperit (inquit) parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.

*Quod πρωτοπλάστης perdidit patres.*] Adamum videlicet & Heuam, vt habetur libri Geneseos capite tertio. Nimirum cùm (vt Mercurius Trismegistus ait in Pimandro) à contemplatione sui patris, ad spheram generationis, hoc est, contemplationem monadis destituens, ad sensibilium prosecutionem homo delapsus est: & qui harmonia superior existebat, in harmoniam inferiorem ruens, seruus peccati effectus est. Id est, à iustitia & dignitate lapsus, mortis perniciem incurrit. *Quod πρωτοπλάστης perdidit patres.*] Protoplastes vel protoplastus, Latinè, primò formatus dicitur, à πρωτὸς primus, & πλασοῦς fictor. Estque epitheton Adami communis generis parentis, quem hominum primum Deus creauit, & ex luto finxit.

*Lapsus primorum parentum.*

*Vitiauit item istius mentem.*] Simili forma corrupit. Vnde vitiatam virginem dicimus, quum pudicitiam amisit. Hinc vitiatio, & vitiositas, quam finiens Cicero libro quarto Tusculanarum quæstionum ait esse habitum aut adfectionem in tota vita inconstantem.

*Vitiare.*

*Quo.*] Qua quidem re, vel, quo sontico malo.

*Non potest non sollicitarier ad cupiditates malas.*] Id est, innato ingenitóque quodam menti, illíque inhærente fomite fieri non potest quin inquietetur ad concupiscendum quod malum est quódque Deo ex aduerso repugnet. Prauam nempe (vt Theophilactus ait) & peccati assuetam voluntatem non esse ex Deo opifice constat, sed nostri animi motu quodam & impetu. Nam aliquid velle simpliciter, Dei est opus: velle autem mala, nostræ mentis est vitiũ. Hinc diuus Paulus Romanorũ 7. Ego, inquit, carnalis sum,

*Sollicitatio ad cupiditates malas à labe primorum parentum.*

venũdatus ſub peccato. Quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo bonũ,hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio. Scio enim quia nõ habitat in me,hoc eſt,in carne mea,bonum. Si autem quod nolo, illud facio: Iam non ego operor illud,ſed quod habitat in me peccatum. Et item reliqua,quæ illic fuſius habentur.

*Prauorum cõtubernio nos in mala duci.* *Quas & pro conſilio Philauti ſtudeat exequi.* ] Hic, iuxta Ciceronis ſententiam, docet non tam ingenerari hominibus mores à ſtirpe generis & ſeminis,quàm ex iis rebus quę ab ipſa natura loci & à vitæ conſuetudine ſuppeditantur, iuxta illud quoque Terẽtiani Simonis: Omnes qui amant, grauiter ſibi dari vxorẽ ferunt. Tum ſi quis magiſtrum cœpit ad eam rem improbum,ipſum animum ægrotum ad deteriorem partem plerunque applicat. In Andr. Act.1. Sce.2. Et rurſus Chremes ille in Heaut. Act.4. Sce.7. Quàm multa,inquit, iniuſta ac praua fiunt moribus!

*Præſens corrector.* *Niſi præſens adſit corrector.* ] Magna quippe (vt idem pro Milone ait) eſt illecebra peccandi,impunitatis ſpes. Et,conſuetudo peccandi, quemadmodum idem author eſt Act.5. in Verrem, Magnam habet iucunditatẽ in improbis & audacibus,quum pœna abeſt,& licentia conſequitur.

*Niſi præſens.*] Præſens, potens, præſtans,efficax, quaſi qui præſit,& ideo præſtans ſit,quale eſt illud Virgilij:

*Quo non præſentius vllum.*

*Prouocare.* *Qui hinc ad meliora prouocet.*] Inuitet,incitet,hortetur. Cicero: Tuis literis amantiſsimis ſum prouocatus.

*Deus optimus morũ corrector.* *Si neſcis, optimus ille corrector Deus eſt.* ] Qui vtique, diuo Paulo conteſtante, ea epiſtola quam Hebræis ſcripſit, cap. 12. quẽ diligit caſtigat, flagellat autem omnem filium,quem recipit. Quis enim filius,quem non corripit pater?

*Deus omnium moderator.* *Cuius manus moderatur omnia.* ] In mundo, inquit Marcus Tullius.1. de Nat. Deo. Deus eſt aliquis, qui regit, qui gubernat,qui curſum aſtrorum,qui mutationes temporum, rerum viciſsitudines,ordinéſque conſeruat, terras ac maria contemplans,hominum commoda,vitáſque tuetur.

*In Deo viuimus, mouemur, & ſumus.* *Et in quo omnes viuimus, mouemur, & ſumus.* ] Cuius aëre circunfundimur,& ſpiramus hauſtu. Verba ſunt autem diui Pauli ſumpta ab Arato poëta,quibus idem Paulus cũ Athenas deueniſſet, idololatriæ deditos Athenienſes à ſpurciſſimo deorum cultu dehortari conabatur. Deus, inquiens,

qui

qui fecit mundum & omnia quæ in eo ſunt, hic cæli & terræ, cum ſit dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, quum ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia. In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus. Act. 17.

*Vt ſummatim dicam.* ] Vt ſemel omnia cōplectar: quæ poſtrema loquendi phraſis, familiaris eſt potiſsimum Quintiliano. Dicimus & in ſumma, & ad ſummam, & breuiter, pro eodem ſignificatu. Eſt autem ſumma, ſententiæ alicuius, aut rerum de quibus verba fiunt, collectio. *Sūmatim dicere.*

*Cum ſit ſolus omnium rerum arbiter.* ] Speculator, moderator, iudex, omnium rerum arbitrium habens & facultatem. Cum, inquit Marcus Tullius 1. de Orat. ipſa natura magnā homini facultatem dederit, tamen ipſe Deus putatur, vt & ipſum quod eſt hominum proprium, non partum per nos, ſed diuinitus ad nos delatum videatur. *Arbiter.*

*Orarier.* ] A te dici, pronuntiari, vel agi. Agit tamen, authore Donato, qui iuſtā rem dicit. Orat, qui animo demiſſo precatur, vt quaſi beneficium præſtetur ſibi. Hinc Oratores, cauſarum actores dicti, quos rhetoras vocant Græci. *Orari.*

*Tam verè.* ] Solidè, ſynceriter, non inaniter, non falſò. *Verè.*

*Quam ſtudioſè.* ] Amanter, beneuolè, cupidè. *Studioſè.*

*Quod de Pericle ferūt.* ] Pericles fuit dux clariſsimus Athenienſis, inclytúſq; philoſophus, ac inſignis orator, qui Reipublicæ quadraginta annis præfuit, quem cùm belli dux crearetur, chlamydem induentem apud ſe dixiſſe ferūt. Attende Pericles, quod geſturus es imperium in liberos, in Græcos, & in Athenienſes. Quo dicto ſe vir cordatiſsimus hortabatur, vt moderatè gereret principatum. Author Eraſmus. *Pericles.*

*Suadela.* ] Diminutiuum eſt à Suada, quæ fingebatur antiquitus perſuadendi dea, quæ à Græcis Pitho nominatur: quā in ore Periclis apud Græcos, in ore Cethegi apud Romanos ſediſſe ſcriptores idonei tradunt. *Suadela.*

*In labiis ſeſsitat tuis.* ] Frequenter ſedet, ac moratur. Frequentatiuum eſt à ſedeo. *Seſsitare.*

*Curam ponere.* ] Pro deponere, vt eſt illud Virgilij: *Ponere.*

*- Ponúntque ferocia Pœni*
*Corda volente Deo.*

*Gnati exulantis.* ] Abſentis, vel patria priuati, iuxta quod *Exulare.*

infrà ipſemet dicturus eſt: Inglorius viuo, patria careo. Exulare, vt author eſt Donatus, duobus modis dicitur, & de loco in quo exul eſt, & de loco ex quo eiectus eſt. Terentius in Eunucho, Act.3. Sce.5. Perij, nam domo exulo.

*In totùm.* *In totùm.*] Aduerbium eſt congregandi, id eſt, in vniuerſum, omnino, prorſus.

*Cedere.* *Fidenti ſperata cedunt.*] Succedũt. Spes, inquit diuus Paulus, non pudefacit. *Fidenti.*] Spem fidémque habenti.

*Nolo vllum in me tibi claudi commodum.*] Hìc paucis explicuit, quod Chremes ille Terentianus multis: Aut cõſolando, inquit, aut conſilio, aut re iuuero. In Heaut. Act.1. Sce.1. Qua alioqui re adhibita, nil amplius in vera amicitia exoptandum.

*Claudi cõmodum.* *Nolo in me claudi.*] Denegari. Sic Terentius in And. Act.3. Sce.3. Si iſtuc animum induxti eſſe vtile, nolo tibi vllũ commodum in me claudier.

# ACTVS TERTII Scena Quarta.

BROMIA, SYRVS.

*Trochaici, Catalectici*

*Gaudeo me defunctã iſtius cœnæ laboribus,*
*Tam negotioſa mihi fuit culina, poſtulem,*
*Si liceret, me oppidò laſſam refocillare Sed*
*Quid Syrus petitũ veniat miror, quum bellaria*
*Intro illata ſint. Ecquid ſit in cœnaculo Syre?*
SY. *Quid fiat rogas? cœna dubia ſeſe explent, atque itẽ*
*Proluti vino ſedent conuiuæ. Solus Pamphagus*
*Ieiunas prætendit fauces, quas vix tandem compleat.*

*Ventri auaro donat omnia.* BRO. *Credo, nil nouum facit.*
*Nam* πολυφάγος *est, si quisquam alius. At hospes quid rei*
*Gerit? An non in raram Laidis formam intẽtus stupet?*
SY. *Imò ait nescire se, quo pacto amoris sumpserit*
*Satietatem.* BRO. *Amor nec consilium, nec vllum habet modum.*
SY. *Vin' tibi beneficium præstem Bromia?* BRO. *Maximè.* SY. *Vide*
*Quid tibi hoc villi sapiat.* BRO. *Hem, Bromion est.* SY. *Bibe largiùs.*
BRO. *Ha, ha. Nunquam, quod sciam, vinum bibi meracius.*
*Hem Syre, viciβim dabo me tibi, quando vsus postulet.*
SY. *Postulat nũc, & locus, & res ipsa, & vsus.* BRO. *Quî Syre?*
SY. *Non te clam est, quàm parcè hic obsonetur, dũ quæstus iacet.*
BRO. *Scilicet.* SY. *Nunc contigit cuius præsentia menstruum*
*Nobis commeatum commodè reponat.* BRO. *Edoce*
*Vnde id fiat.* SY. *Si coniuncta opera penum nos clanculum.*
*Egeramus.* BRO. *Vah, consilium callidum, si verbera*
*Lucrifacere à Pãphago velimus.* SY. *Abi sis stultula;*
*Carptim singulas dapes truncabimus, ne sentiat.*
BRO. *Vulpes annosa laqueis, ne erres, capi haud vllis potest.*
*Tũ, quàm iracundus, quàm plagosus sit Pãphagus, scio:*
*Præsertim, si eum tentes præda fraudare escaria.*
*Ob dapes surreptas, ille cælum terra misceat.*
*Nec bolum cani famelico haud vnquam tutò aufers:*

*Proin, caue, ne vllum tuo tibi iumento accersas malum,*
*Si sapis. Sed heus tibi autem.* SY. *Nam quid est?* BRO.
*Quid? respice,*
*Lais vna cũ hospite interuenit.* SY. *Enimuerò hercule*
*Intempestiuè hîc subsisto, postquam cubitu hos conspicor*
*Surrexisse, procurramus intro Bromia.* BRO. *I pra,*
*sequar.*

*Argumẽtum.* GAudeo me defunctam.] In hac scena, negotiis culinaribus liberata Bromia, Syrum obiter rogat qualia forét, quæ inter Acolastum & Laidem cœnando haberétur colloquia. Quam omnia probè edoctam, subornare tandem conatur ille vt coniuncta vtrinque opera, aliquid commeatuum Pamphago suffurentur clanculũ. Illa verò Pamphagi plus satis vim & astutias experta, Syrum ab hac re totis deterret viribus, reformidans, ne rursus admissum scelus dependat.

*Doctrina.* *Gaudeo me defunctam.*] Vt qui stadium currit, eniti & contendere debet quammaximè posit vt vincat (quemadmodum ait Marc. Tul. 3. Offic.) supplantare eum quicum certet, aut manu depellere, nullo modo debet: sic in vita sibi quémque petere quod pertineat ad vsum, nõ iniquum esse: alteri diripere aut suffurari ex cuius commodo suum comparet commodum, ius non esse, hæc scena imaginem præbet.

*Defunctus* *Gaudeo me defunctam.*] Liberatam, expeditam. Virgil.
*O tandem magnis pelagi defuncte periclis.*
Id est, qui finiuisti & euasisti pericula maris. Terentius in Adel. Act. 3. Sce. 4. Vtinam hoc sit modò defunctum, hoc est finitum, ne videlicet vlterius peccet AEschinus. Item Liuius: Defuncta morbis corpora salubriora esse cæpere, id est quæ euaserunt morbos.

*Tam negotiosa mihi fuit culina.*] Ecce ob quod tantopere gaudet se tot laboribus liberatam esse. *Negotiosa.*] Plena negotiis, occupationibus, curis, molestiis, laboribus Sallust. Prudentissimus quisque quasi maximè negotiosus erat. *Negotiosus.*

*Postulem.*] Pro postulo, vel postularem.

*Oppidò.* *Me oppidò lassam.*] Valde multúmque fatigatam. Teren-

tius in Hecyra, Act.2. Sce.1. Enim lassam oppidò tum aiebât. Tractus quidem sermo, vt author est Donatus, ab agros colentibus, qui cum interrogarétur quantum messium collecturi essent, volentes ad sufficientiam & multum dicere, respondebant oppido, id est, & ad se, & ad oppidum suffecturas. Hinc venit in consuetudinem, vt de quacunque re loquentes, oppidò pro valde multum sumatur.

*Refocillare.*] Recreare, oblectare, vnde refocillatio pro recreatione. Veteres quoque foculare pro focillare inueniuntur vsurpasse, & focula pro nutrimentis. Fit nempe à nomine focillus, quod à focus diminutiuum est, quæ vtraq; à foueo deducuntur. *Refocillare*

*Quum bellaria intro illata sint.*] Pompeius testatur Bellaria à veteribus dicta res bello aptas, vtpotè arma, sagittæ, & id genus similia, quasi instrumenta bellica. Significant tamen hîc omne mensæ secundæ genus, quòd vt illa belli, ita hæc mensarum instrumenta sint, vel à bonitate dicta, quòd iis cibis (vt Donatus est author) irritari gula soleat. Ea Græci pemmata, vel tragemata appellarunt, quæ ferè mellita, vt Gellius author est, esse consueuere. Vnde vina quoque dulciora in antiquis Comœdiis Liberi, Bellaria appellata fuisse testatur Macrobius lib.2. Sat.cap.8. *Bellaria.*

*Ecquid sit in cœnaculo Syre?*] Perpende quàm blãdum initium. Sicut autem penarium vbi penus, vbi cubabant cubiculum (vt inquit Varro) ita vbi cœnabant cœnaculum dixere veteres. Sed postquam in superiori parte cœnitare cœperunt, superior domus vniuersa cœnaculum dicta est. Festus verò cœnaculum dici asserit, ad quod scalis ascenditur, quod & cœnatio, & dieta dicitur. Iuuenalis: *Cœnaculũ.* *Cœnatio.*

*- Et algentem rapiet cœnatio solem.*

*Cœna dubia sese explent.*] Hoc prouerbio vsus est Terentius in Phorm. Act.2. Sce.2. Cœna dubia, inquit, apponitur. Quo sanè significare contendit, cœnam lautam, copiosam, ac variis instructam ferculis. Repertum, aiunt, apparet à Parasitis, quemadmodum ex Donato refert Erasmus. Dubium quoque, periculosum significat, quò fit vt dubia cœna possit intelligi, quæ non careat suspitione veneni. Horatius in Sermonibus: *Cœna dubia.* *Dubium.*

*Vides vt pallidus omnis*
*Cœna desurgat dubia?*

Hinc res parum tutas appellamus dubias. Terétius in And. Act.2. Sce.2. Mea quidem hercle certè in dubio est vita. Et in Adelph. Act.3. Sce.2. Tua fama, & gnatæ vita in dubium veniet.

*Prolutus vino.* *Atque item proluti vino.*] Egregiè poti, temulenti, ebrij, vino madentes, & lauti. Proluere nempe multum seu multo tempore lauare est. Persius:

*Nec fonte labra prolui Caballino.*

*Sedere.* *Sedent conuiuæ.*] Hoc dicto eorũ ignauiam cessationémque denotat, quę vino potis aut otiosis accidere solet, vt est illud Virgilij:

*Sedeant specténtque Latini.*

*Solus Pamphagus ieiunas prætendit fauces.*] Hic Syrus Pamphagi meminit inuidiosè ac cauilatoriè, quòd sciret à Bromia parum diligi. *Ieiunas prætendit fauces.*] Prætendere hoc in loco præmonstrare est & exhibere. Cicero: Priuatorum munus est non se efferentem prætendere. Aliâs præferre. Virgilius:

*– Fumósque manu prætende sequaces.*

*Complere.* *Quæ vix tandem compleat.*] Complere, est ad summum, seu vndique implere. Cicero lib.6. de Repub. Quis est qui complet aures meas, tantus & tam dulcis sonus?

*Vēter auarus.* *Ventri auaro donat omnia.*] Auarum ventrem vocat, ciborum cupidum ac voracem, ducta tralatione ab æris auidis, nimiúmque pecuniæ cupidis, ac tenacibus. Qua alioqui periphrasi dicitur & terra auara, quum id quòd in se recipit, cumulatiore fœnore reddit. *Auara terra.*

*Credo, nil nouum facit.*] Est id nobis mali à natura insitum, vt facili negotio iis assentiamur, qui quibus sumus inuisi obloquuntur.

*Nam πολυφάγος est, si quisquam alius.*] Id est, multi cibi capacissimus, omnia vorans, multum mãducans. Latinè diceretur manduco, seu mando, mandonis: sed heluo siue lurco latinius. Fit autẽ πολυφάγος à πολὺ, quod Græcis multũ significat, & φάγω comedo. Hinc Pamphagi, populi dicuntur cuncta comedentes. *Pamphagi*

*Stupere.* *An non in raram Laidis formam intentus stupet?*] Stupere propriè, est quodámodo præ admiratione rei obiectæ alienum esse à sensibus, adeò vt præ eius constipatione, impediatur inuestigatio causæ rei adparentis.

*In raram Laidis formam intentus.*) Intentus nomen est hîc, aliquando participium. Fit autē ab intendo, quod animaduertere est, & diligenter intueri. Virg. *Intentus.*

*Intenti expectant signum.*

Raram verò sumi pro præstanti siue eleganti venustáque superius diximus, quod quæ rara sunt, eadem sint & præclara. *Rarus.*

*Amoris sumpserit satietatem.*) Sumere pro occipere posuit, quemadmodum sumere epistolam, librum, cænam, & huiusmodi dicimus. Terentius in Phorm. Act.5. Sce.5. Quo pacto satietatem amoris ait se velle sumere? Aliàs impendere & consumere est, vt apud eundem in Adel. Act.2. Sce. 4. Hilarem hunc sumamus diem. Vnde & sumptum dicim⁹, pecuniam quæ insumenda est. *Sumere.* *Sumptus.*

*Amor nec consilium, nec vllum habet modum.*) Verba sunt Parmenonis Tetentiani in Eunucho, Act.1. Sce.1. Here, inquit, quæ res in se neque consilium, neque modum habet vllum, eam consilio regere non potes: & item reliqua quæ illic sequuntur.

*Vin'.*) Vis ne? Per crasin seu contractionem. *Vin'.*

*Tibi beneficium præstem Bromia?*) Præstem, exhibeam, tribuam, Vel pręstem, re ipsa perficiam, siue persoluam. *Præstare beneficium*

*Maximè.*) Confirmationis aduerbium est, qualia sunt, certè, profectò, vtique, nimirum, scilicet. Aliàs quantitatis seu comparandi, idem significans atque precipuè, summè, excellenter. *Maximè.*

*Vide quid hoc tibi villi sapiat.*) Qualem saporem habeat. *Hoc villi.*) Villum diminutiuum est à vinum, quod & vinellum dicitur, quemadmodum vllus fit ab vnus. Terentius in Adel. Act.5. Sce.2. In angulum aliquod abeam, atque edormiscam hoc villi. A vi autem deducitur, quod vim inferat menti. Vnde à Platone dicitur fomes quædam & incitabulum ingenij virtutísque. Huius ferunt esse quatuor precipuos sapores, dulce, acutum, lene, & austerum. *Sapere.* *Villum.*

*Hem.*) Interiectio fœminina est, ac matronalis, sicut ehē. Sostrata in Hecyra Terentij, Act.3. Sce. 2. Hem, istoc verbo animus mihi rediit, & cura ex corde excessit. *Hem.*

*Bromion est.*) Iocosè, simul & ingeniosè vinum Bromion vocat, allusionem faciens sui nominis ad Bacchum vini repertorem, qui Græcis Bromos dicitur. Festa cuius à Græcis *Bromion.*

*Ambrosia.* Ambrosia à Romanis verò Brumalia dicebantur à quibus & Bacchus Bromius appellatus est. Virgil. in Copa:

*Est hic munda Ceres est Amor, est Bromius.*

*Largius.* *Bibe largius.*) Abundantius, vel liberalius.

*Meracius.* *Nunquam, quod sciam, vinum bibi meracius.*) Fragrantius, vel purius. Merus enim per translationẽ pro puro sumitur.

*Dare se alicui.* *Dabo me tibi.*) Dabo tibi mutuas operas, tibi obtemperabo. Sic Terentius in Heaut. Act. 4. Sce. 3. Da te mihi vicissim. Id est, accommoda te meæ voluntati. Vbi quidem Donatus, dare inquit, est quod repetas. Dedere est ad perpetuũ. Damus nos & amicis: Dedimus tantum hostibus.

*Vicissim.* *Vicissim.*) Pro etiam, similiter. Terentius in Phor. Act. 5. Sce. 5. Vicissim partes tuas acturus est.

*Vsus.* *Quãdo vsus postulet.*) Pręsẽti vsus est, pfuturo. *Vsus.*) Op⁹.

*Locus.* *Postulat nunc & locus.*) Opportunitas, occasio.

*Et res ipsa.*) Quam aggredi paro.

*Vsus.* *Et vsus.*) Vtilitas, necessitas rei imminentis.

*Qui.* *Qui.*) Pro quomodo.

*Clam esse.* *Non te clàm est.*) Nõ ignoras, non es inscius. Terentius in Hecyra, Act. 4. Sce. 4. Satis certò scio, nõ me clam haberet, quæ celasse intelligo. Id est, non tacuisset, parúmque celasset. Et in eadẽ Comœd. Act. 4. Sce. 1. Non ædepol clam me est.

*Parcè.* *Quàm parcè.*) Tenuiter, auarè, aridè.

*Quęstus iacet.* *Dum quæstus iacet.*) Dum lucrum numorum extat ac situ͂ est. A quo quæstuarius, quæstuosus, & quæstura. Aliàs quęstus pro actione ipsa, atque artificio lucrandæ pecuniæ accipitur, Quintilianus: Nam vt lingua primum cœpit esse in quæstu. Terentius in Eunucho, Act. 2. Sce. 2. Is quæstus nũc est multo vberrimus.

*Præsentia.* *Nunc contigit cuius præsentia.*) Astutè præsentia, quò videlicet decipiatur Pamphagus & cautius & facilius, dum presto est, indéque minus obsoniis prospicit & incircunspectius. Deinde ne causari posset eos id fecisse dum abesset, sua forsan deterriti præsentia, si adfuisset.

*Commodè.* *Cõmode nobis reponat.*) Aptè & vtiliter nobis suppeditaret,

*Reponere.* vel resarciat ac instauret. Vnde reponere poma in vetustatẽ dicimus ad eum finem reponere, vt diu incorrupta seruẽtur.

*Mẽstruus commeatus* *Menstruum commeatum.*) Menstrui commeatus dicuntur cibaria vnius mensis in priuatam alimoniam. Fit autem mẽ-

ſtruus à mẽſe, pro quo & mẽſtrualis dicitur Plaut.in Capt. Quibus ſolebam menſtruales epulas ante adipiſcier.

*Si penum nos clanculum egeramus.*) Exhauriamus. Lact.lib. 1.Qui fimum ſtabulo,quàm qui vitia de corde egerit. Hinc dapes egerere dixit Ouid. Et egerere prædam ex hoſtium tectis apud Liuium legitur. Et Valerius Flac. Dies, inquit, egeritur querelis & queſtu. Eſt autem penus, omne eſculentum poculentúmque quo veſcimur. Feſtus autem ait ſignificare res neceſſarias ad victum quotidianum. Locum verò vbi hę reponuntur,Varrone teſte penarium appellamus. Terentius in Eunucho, Act.2.Sce.3.Prius ad te penum omnem congerebam clanculum. Dicimus autem hic vel hæc penus per quartam inflexionem, & hic penus,ni, & hoc penus, oris, & hoc penum, peni. Veteres quoque dixiſſe hoc penu. Author Donatus.

*Egerere.* *Penus.*

*Clanculum.*)Furtim.

*Coniuncta opera.*)Mutuis auxiliis,& laboribus.

*Vah.*)Clamoſa interiectio,Syri conſilium vt damnoſum reſpuentis. Aliàs ad gaudium ſpectat. Terentius in Heaut. Act.2.Sce.4.Vah,ergo mea Antiphila,tu nunc ſola reducẽ me in patriam facis.

*Clanculũ.* *Coniuncta opera.* *Vah.*

*Conſilium callidum.*)Vafrum.Ironia eſt.Sic Terẽt.in And. Act.3.Sce.4.Vah,con ſilium callidum.Vbi quidẽ Donatus, Callidus,inquit,dictus eſt,qui dolos exercet.

*Callidus.*

*Si verbera lucrificare à Pamphago velimus.*) id eſt, ſi cupimus verberari & pœnas luere. Eſt autem verber, inſtrumentum longum & exile,qualis eſt virga,baculus, arundo, id quod prius fuſtem appellauit illa.

*Lucrificare verbera.* *Verber.*

*Abi ſis ſtultula.*)Vox eſt,qua ſtupiditatis & incogitantiæ taxantur rudes, inſcij, & improuidi, quum aliquid quod ſtultitiæ aſſonat,vel agunt, vel loquũtur. Quod ſit quadrifariam,vel quum non eis venit in mentem quod oportet: aut quum aduenit, non admittunt: aut quum recto non adhærent conſilio: aut quum malo adſtipulantur & conſentiunt. Sic Dauus apud Terentium Getæ verenti ſibi verba ſua credere,Abi ſis,inquit inſciens. In Phorm. Actus primi, Scena ſecunda.

*Sis ſtultula*

*Carptim ſingulas dapes truncabimus, ne ſentiat.*( Iſtud eſt Syri conſilium,quo ſubornare Bromiam connititur, vt cõiuncta vtrinquę opera,dolos ſtruant Pamphago. *Carptim.*)

*Carptim.*

id est,hinc atque illinc decerpendo, non ipſam ſeriem ſequendo. Truncare autem amputare eſt,quod fit à Truncus, eo quod veteres authore Seruio,plerunque truncũ pro vno quoque genere interemptum dixerint. Eſt enim truncus, pars arboris,quæ ramis truncatis ſuperſtat.

*Truncare* *Truncus.*

*Vulpes annoſa laqueis capi haud vllis poteſt.*) Oſtendit hoc prouerbio Bromia longą ætate multáque rerum experientia callidiorem eſſe Pamphagum,quàm vt vlla arte dolisve capi queat. Iactatur nempe hoc prouerbium in callidos ac verſutos,quos non facilè ſit obiecto munuſculo, aut aſſentatiuncula pollicitiſve fallere. Huic parum diſsimile: Vulpes haud corrumpitur muneribus. Ferunt enim huic animali tantum fraudis,calliditatis, ac vafriciei ineſſe, potiſsimùm cum vetuſtum eſt,vt nulla eſca quantumuis allicienti capi valeat,aut circunueniri. Hinc à Græcis Cerdo dicitur, à Cerdoſyne,quæ aſtutia eſt maximè fallens. Dicitur quoque ab eiſdem Cinados. Cicero inde libro de Officiis primo,Fraudem vulpeculę tribuit,vim leoni. Vnde Lacedęmonius Lyſander,cum ei vitio verteretur à nõnullis quod fraude ſubinde agere videretur. Quo, inquit, Leonis peruenire pellis non poteſt,vulpinam aſſuiſſe, haud dedecuerit. Nõ ab ſimile eſt huic illud quod apud Terẽt.in Phor. Act.2.Sce.2.extulit Phormio Paraſitus: Non rete accipitri tenditur,neque miluo.

*Vulpes annoſa laqueis non capitur.*

*Tum.*)Præterea. Hìc certior metus eſt & grauior, quòd id quidem iam ſuo malo didicerit.

*Tum.*

*Quàm iracundus.*)Iratus,fit ex cauſſa,iracundus, ex moribus. Ira de cauſſa eſt,iracundia de vitio multum iraſcentis, Author Donatus. Diffinitur autem iracundus, qui ex parua vel nullá cauſſa iraſcitur,quique natura ad iram procliuis eſt,etiam ſi tunc nulla moueatur ira,quem & moroſum alio vocabulo dicere poſſumus.

*Iracundus*

*Quàm plagoſus ſit Pamphagus,ſcio.*) Plagoſus ab Horatio vt hic etiam ſumitur dicitur, qui ſæpe plagas infert. Dicitur & qui plagis plenus eſt.

*Plagoſus.*

*Si tentes.*)Coneris,exquiras.

*Tentare.*

*Eum præda fraudare eſcaria.*) Egregiè Præda, & Eſcaria, quò eum ſubnotet non ſecus atque culinę addictiſsimos canes, aut more vulturum,venari. Cum fraudare dicit, reſpicit ad eorumdem canum rixas, quibus ringi familiare eſt,

quum illis edentibus adproximat alius,qui quod illi arrodunt,exculpere aut præripere conetur.

*Ob dapes surreptas,ille cœlum terræ misceat.*) Cœlum terrę miscere,prouerbialis hyperbole est,vt ait Erasmus, pro eo quod est,omnia perturbare,nihilque non facere. Virgilius in quinto de Iunone omnia tentante: *Cœlũ terræ miscere.*

*-Maria omnia cœlo Miscuit.* Iuuenalis:

*-Clames licet,& mare cœlo*

*Confundas,homo sum.*

T.Liuius:Quid est quod cœlo terrã ,terræ cœlũ misceãt? Idem alibi:Quid tandem est,cur cœlum ac terras misceãt?

*Nec bolum cani famelico haud vnquam tutò auferes.*) Prouerbium est & istud,quo vtimurErasmo interprete,quoties commoditas aliqua,quæ iam propemodum tenebatur,præter expectationẽ subitò præripitur. Terent. in Heaut.Act. 4.Sce.2.Crucior bolum tantum mihi esse ereptum subitò,è faucibus.Est autem bolus cuiusque rei frustum , vnde bolũ terræ, glebam dicimus: bolum argenti, massam argenteam. Hinc & aliud vulgò dicitur prouerbium : Ne bolus quidẽ relictus est, hoc est, nec vel pauxillum quidem, quod nos vulgata magis quàm Latina lingua dicimus morcellum. Priori haud parum dissimile est & istud : Esurienti leoni prædam exculpere. *Bolũ cani famelico auferre.* *Bolus.*

*Proin.*) Sicut exin & exinde,dein & deinde,sic proin & proinde Comicis familiare est & frequens.Terentius in Eunucho.Act.1.Sce.1.Proin tu, dum tempus est, etiam atque etiam cogita. *Proin.*

*Caue, ne vllum tuo tibi iumẽto accersas malum.*)Qui sibi malorum est author,suo iumẽto sibi malum accersere dicitur, tanquam suo sumptu, suáque opera , quasi suopte plaustro malorum sarcinam adportet sibi.Plautus in Amphitryone: Ipse homo sibi à me malam rem accersit iumẽto suo. Sumpta metaphora , quemadmodum ait Erasmus,à plaustris onerariis.Nam id quoque significat iumentum. Aut certè ab animalibus tergo vectantibus onera. Consimilia sunt, Suo sibi iugulari gladio,suóque telo: incidere in foueam,quam quis sibi fecerit: Suo ipsius capi laqueo : Technam in seipsum struere: Sibi mali fontem reperire , & alia innumera, quæ quotidie pro tempore,personis,& rebus finguntur. *Suo iumento sibimalũ accersere.*

*Sed heus tu, tibi autem.*)Deest prospice, vel prouide. Sic

apud Terentium in Adel, Actus 4. Sce.1. Syrus loquitur Ctesiphoni, hem tibi autem. Respondetur. Quidnam est? Syr. Lupus est in fabula.

*Anastrophe. Nam.* *Nam quid est?* Anastrophe est pro quidnam est. Quanquam & in hac postrema quoque locutione abundat nam, authore Donato, sicut & in nummam

*Interuenire.* *Lais vnà cum hospite interuenit.*) Interuenire, est in medio negotio quasi ex insidiis superuenire, & opprimere in ipso actu eos, qui rem celatam vellent. Terentius in Adel. Act.3. Sce.3. Nam vt numerabatur fortè argumentum, interuenit homo de improuiso.

*Enimuero.* *Enimuerò hercle.*) Enimuerò significationem habet vel valde permoti, vel irati animi. Terentius in Andria Actus primi Scena tertia. Enimuerò Daue, nihil est loci segnitiæ, neque socordiæ. Rursus in Phor. Actus secundi Scena quarta. Enimuerò Antipho multis modis cum hoc animo es vituperandus.

*Subsistere.* *Intempestiuè hic subsisto.*) Gradum sisto, demoror. *Intẽpestiuè* *Intempestiuè.*) præter tempus, vltra quàm oporteat. Gellius: intempestiuè atque insolitè differebat.

*Surgere cubitu.* *Postquàm cubitu hos conspicor surrexisse.*) Cubitu nomen potius est, quàm supinum, nempe quòd hoc, verbis è loco non detur, sed nominibus adiectiuis, aut substantiuis eorum vice fungentibus, vtrinque absolutè, vt turpe incœptu, mirabile visu, facile expurgatu, procliue factu.

*I præ.* *I præ, sequar.*) I præ, Anastrophe est, pro præi.

# ACTVS TERTII Scena quinta.

ACOLASTVS, SYRVS, LAIS.

*Senarij, Septenarij, & Octonarij.*

*Heus seruule, quisquis es, adesdum, paucis te volo.*

SYR. *Quid me volt hospes magnificus?* ACO. *Vt dum fiet tempus, voces*
*Nos ad repotia, prodeambulamus isthic interim.*
SY. *Factum puta, nihil aliud vis?* LA. *Manda, lectum vt dapsilem*
*Concinnet.* ACO. *Heus, Genialem insterni lectulum*
*Dehinc curato sodes puer.* SY. *Curabitur prōptissimè.*
ACO. *Non possum quin te amplectar mea vita, mea voluptas vnica.*
LA. *Amplectere lubens animule mi Acolaste.* ACO. *Nunc iuuat*
*Demum viuere, nūc deleo ex animo omnes ægritudines,*
*Postquàm ô faciem pulchram te contigit videre & alloqui,*
*Adesse in vnis ædibus, cibúmque vnà capere.*
*Da mihi suauium, si amas me, delicium meum.*
LA. *Imò vel decem ocelle mi.* ACO. *O lubentias vitæ, ô Deûm*
*Voluptates! Quàm vernant, quàm lenocinãtur omnia,*
*Quæ in te, & quæ circum te video! digna es, cui benè faxim lubens.*
*Quicquid possideo, tuum est.* LA. *Habeo pol gratiã tibi,*

*Passercule mi.* ACO. *Num quid poscis? quicquid id est, dabo. Vis aureum.*
*Spinter? Vis flameum? Vis armillas? Dabo.* LAIS *Nihil*
*Horum volo.* ACO. *Vis aurum?* LA. *Torquem istum, mea mentula.*
ACO. *Et istuc, & si amplius optes quicquam dari dabitur. Mihi*
*Enim negare amicæ quippiam religio est maxima.*
*En accipe torquem hunc aptandum collo tuo tornatili.*
LA. *Hem mi dulcis pusio, quid iam? satin' placeo tibi?*
ACO. *Tu ne? etiam si nihil adiumenti ad pulchritudinem fiet,*
*Formâ venerem exuperas ipsam. Quid quod Lais mea rogo?* LA. *Quid*
*Acolaste?* ACO. *Num me ames?* LA. *Ludis? potius me non amem,*
*Quàm tibi desit amor: hoc tam verum crede, quàm te viuere.*
ACO. *Age credo. Næ fœlix ego sum, qui Laidi*
*Placeam, Osculum, mea lux. Hoc melle dulcius est, meus obsecro*
*Sis animus, quando ego sum tuus.* LA. *Certè nullus mihi charior*
*Acolasto.* ACO. *Te vicissim amplector pro dimidio animæ meæ.*
*O molles dactyli, ô genæ rubentes! eia vt elegans*
*Es!* LA. *Quis te quoque spernat Veneris catelle?* ACO. *At vror intimè,*
*O mea festiuitas.* LA. *Locus est, vbi ardorem hunc tuum*

*Extilles. Quid suspiras corculum?* ACO *Te, faustitas mea:*
*Tu pol meum mihi iecur vlceras amoribus.*
SY. *Ita vt iussisti hospes, thoros instruximus.*
*Quando voles, commessatum intrò concede, omnia.*
*Sunt apparata.* ACO. *Ehodum ad me. Seruus tu quidem spectatus es*
*Satis, cui res mea curæ sit: cape hoc donarium.* SYR. *Bonus*
*Hercle es vir, & perliberalis, perpetuò me tibi facis.*
*Deuinctum hoc beneficio tuo: deos quæso, vt saluus sies*
*Nobis in multam ætatem. Quàm sæpe accidunt,*
*Quæ non ausis sperare! Furtum meditanti, in sinus*
*Illabitur aurum præter spem, saluus sum.* ACO. *Iam ne imus, meum*
*Nectar, meum mel?* LA. *Quando vis nulla in me erit mora*
ACO. *Abeamus, hãc solidam noctem consecratum Veneri.* LA. *Placet.*

HEm *seruule, quisquis es.*) Hac in Scena Acolastus inter obambulandũ cum Laide, èius ita inflammatur amoribus, vt quod petit illa, religionem sibi esse non minimam denegare exiſtimet. Qui vt etiam magnificum ac perliberalem præ se ferat, indéque adeo fauorem amicæ captet faciliùs, aliquot pecuniolis Syrum donat, vt quem satis spectatum cui res suæ curæ essent, pertentasset. *Argumẽtum.*

*Hem seruule, quisquis es.*) Quemadmodum ipsum verbum est amoris (vt author est Marcus Tullius) ex quo amicitiæ nomen est ductum: ita si ad fructum (quod Meretricum est simul & pecudum) tantum referatur, non ad illius commoda quem diligimus, non id quidem esse amicitiam, sed mercaturam quandam vtilitatum suarum, hæc scena exprimit. *Doctrina.*

*Hem.* *Hem.*) Ad animaduertendum incitantis, vel vocantis interiectio.

*Adesdũ.* *Adesdum.*) Ades imperandi vim habet. Dum autẽ parelcon est, quemadmodum in Ehodũ supra monstrauimus.

*Paucis te volo.*) Geminæ sunt Ecclipses. Deest autem colloqui, & verbis. Sic Terentius in And. Act. 1. Sce. 1. Sosia, Adesdum, paucis te volo.

*Paucis te volo.* *Quid me volt hospes magnificus?*) Nominatiua vtitur oratione, maioris honoris & vrbanitatis gratia, simul & faciliùs firmiúsque eius conciliandæ gratiæ caussa. Qua & vsos fuisse hac ratione plerunque veteres deprehenduntur,

*Magnificus.* apud probos authores. *Quid me volt hospes magnificus?*) Aristoteles libro Ethicorum quinto scriptum reliquit, illum dici magnificum, qui in magnis pro dignitate sumptũ facit, quique circa publicam magnificentiam impensas facit honorificas, veluti in ludis, in rebus diis sacrificatis, in

*Magnificentia.* ædificiis, in epulo publico, nõ qui in seipsũ sumptuosuę est. A quo magnificẽtia, quæ à Cicerone interpretatur, rerum magnarum & excelsarum, cum animi amplitudine quadam & splendida propositione cogitatio, atque administratio.

*Vt vbi tempus fiet.*) Sic Terentius in Eunucho, Act. 3. Sce. 1. Huc prouiso, vt dum tempus fiet, deducam.

*Repotia.* *Voces nos ad repotia.*) Repotia propriè dicta sunt, quũ postridie nuptiarum apud nouum maritum cœnatur, quòd quasi reficiatur potatio. Vel Repotia dicuntur, Acrone in Horatium interprete, septimus dies, quo noua solet nupta redire ad parentes suos. Pro festis diebus posuit Horatius lib. 2. Ser. Saty. 2.

*Ille repotia natales aliósue dierum*
*Festos albatus celebret.*

Hìc verò sumi mihi videntur repotia, pro vespertina compotatione.

*Prodeambulabimus* *Prodeambulabimus isthic interim.*) Duæ hìc præpositiones vni dictioni connexę, ingẽtes voluptates, quas cũ Laide capiebat Acolastus, plus satis exprimunt. Ambulare siquidẽ, est, animi caussa se exercere, quod & adauget prępositio, vtpote quæ hìc pro causa testimonij perhibendi sumitur, ea ratione qua dicimus, pro mutuo animo, pro recõciliata gratia, hoc est, causa mutui animi, & causa reconciliatæ gratiæ. Sic Terentius in Adelph. Act. 5. Sce. 1. Sed postquàm intus

sum

ſum omnium rerum ſatur, prodeambulare huc libitum eſt.

*Manda lectum, vt dapſilem concinnet.*) Verbum meretrici conuenientiſsimum: & vide quàm gnara artis meretriciæ. *Vt dapſilem concinnet.*) Hoc ſummiſſore voce pronunciandum venit. *Vt dapſilem concinnet.*) Aptè componat, eleganter adornet. Dapſilem pro lautũ poſuit nomen pro aduerbio. Propriè tamen dapſilis, abundans, largus & liberalis dicitur. Plautus in Aul. Iſtas magnas fictiones, dotes dapſiles nihil moror. Id eſt, affluentes, liberales & largas. Vnde δαψίλειαν Græci largitatem, abundantiámque rerũ & liberalitatem appellant.

*Cōcinnare. Dapſilis. Dapſilia.*

*Genialem inſterni lectulum dehinc curato puer.*) Inſterni, componi. Terentius in Adelph Act.2. Sce.4. Lectulos iube ſterni nobis, & parari cætera. Aliâs tegere atq; implere eſt. Vnde ſternere equos, ſternere humũ floribus dicimus. Virg.

*Inſternere.*

*Sternitur omne ſolùm iaculis.*

*Genialem inſterni lectulum.*) Genialis lectus dicitur, qui in nuptiis ſternitur, vel quòd in eo indulgem⁹ Genio, vel quòd in honorẽ Genij apparatur, vel à generandis liberis. Virgil.

*Genialis lectus.*

*Fulgent genialibus altis*
*Aurea fulcra thoris.*

Dicitur & genialis dies, id eſt, lætus & voluptuari⁹. Iuuen.

*Genialis dies.*

*Genialis agatur*
*Iſte dies, propera ſtomachum laxare ſaginis.*

*Sodes puer.*) Sodes, exhortantis vel precantis vocem eſſe, quidam exiſtimant pro ſi audes, vt ſunt amabo, rogo. Dictũ autem ſic à veteribus breuitatis cauſſa, quòd (vt quidã perhibent) qui à populo alicui negotio præficeretur, id illi cũ poteſtate diceretur.

*Sodes.*

*Mea vita.*) Blandè, & amatoriè, quòd ſine ea viuere non poſſet. In his autem omnibus Epicureorum dogma per omnia ſequitur.

*Mea vita.*

*Mea voluptas vnica.*) Quòd cum delectatione animum demulceret.

*Mea voluptas.*

*Animule mi.*) Mollis oratio & fœminina, multis implicata blandimentis. Mi etiam maximam vim blandimenti habet, maximéque amoribus accommodatur. Terentius in And. Act.4. Sce.2. Tu modò anime mi, noli te macerare. Et in Heaut. Act.2. Sce.4. Salue anime mi. Sed animulus diminutiuum, habet quippiam adhuc energiæ maioris. Vn-

*Animulus.*

*Diminutiua quorsum inuenta.* de & ea inuenta asserunt aut necessitatis, aut modestiæ, aut blandiendi adulandíve caussa, quòd imminuta, cultiora atque lepidiora esse, ac magis placere soleant.

*Delere.* *Nunc deleo ex animo omnes ægritudines.*) Delere hoc in loco, in totum leuare ac remouere significat, quemadmodum & apud Terentium in Eunucho, Act.2. Sce.3. O faciem pulchram delebo omnes dehinc ex animo mulieres. Ducta tralatione à tabella geometrica, in qua solet illi scribere, seu lineas depingere, quas postea delent, vt aliæ superfiant.

*Postquam ô faciem pulchrã te contigit videre & alloqui.*)

*Metaplasmus.* Alloqui metaplasmus est, nisi verbum ad personam referas, vt sit, & te Laidem alloqui. Vel dicas Sinecdochen esse.

*Adesse in vnis ædibus, cibúmque vnà capere.*) Quatuor hi gradus siue lineæ sunt, quibus potissimùm & mutuus amor paratur, & conseruatur, videre, alloqui, adesse, vnà cibum capere: quos & in ordinem digessit, quo maiorem voluptatem inter eos esse noscatur. Sic Terentius in Eunucho, Act.2. Sce.3. Videbit, colloquetur, aderit vnà in vnis ædibus, cibum nonnunquam capiet cum ea, interdum propter dormiet.

*Quatuor gradus amoris.*

*Da mihi suauium.*) Tria osculandi genera tradit Donatus, Osculum, basium, & suauium. Sed oscula ait esse efficaciora, basia pudicorum affectuum. Suauia libidinum, vel amorũ. Terentius in Eunucho, Act,3. Sce.2. O Thais mea, meum suauium.

*Suauium.*

*Delicium meum.* *Delicium meum.*) Delicium, & deliciæ in plurali, oblectamentum oblectamentáve dicuntur, quæ nobis voluptati sunt, à delicio deductum, quemadmodum suprà eliquidauimus. Martialis:

*Stelle delicium mei columba,*
*Verona licet audiente dicam,*
*Vicit maximè passerem Catulli.*

*Delicia.* Reperitur & delicia in fœminino genere apud Plautum. Mea voluptas, inquit, mea delicia.

*Imò vel decem.*) Deest, accipe.

*Ocellus.* *Ocelle mi.*) Diminutiuum ab oculo. Persius:

*Patranti fractus ocello.*

*Ocelle mi.*) Mirè, elegantérque pro meretricio more ocellũ

vocat, quòd nihil sit in homine, quod magis ametur, quàm oculi, vtpote quòd quibusdã indiciis in eis existétibus amoris, rem ad se pelliciant amatam. Vnde & meri cordis nuncij dicuntur, in quibus animus inhabitat. Plautus in Milite: Nam ego quidem meos oculos habeo, nec rogo vtendos foris. Terentius in Adelphorum Actus quarti Scen. 5. Dij me pater omnes oderint, ni magis te, quàm oculos nũc amo meos.

*O Lubentias vitæ.*) Lubentia & libentia, à lubeo & libeo quidem deducta pro hilaritate atque voluptate sermonum locorúmve dicuntur. Plautus in Asina: Lubentiorem te faciam, quàm lubentia est. *Lubentia.*

*O deûm voluptates.*) Deûm genitiuus pluralis est. Tam elata autem demulcetur letitia, opinione præsentis boni, vt æternæ perpetuæque illi deorum vitæ æquari videre sibi videatur, vtpote qua, Marco Tullio authore, nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluẽtius cogitari possit. Hæc ille primo de Natura Deorum. Sic Pamphilus ille Terẽtianus in Andria Actus quinti Scena quinta. Ego, inquit, vitam deorum propterea sempiternam esse arbitror, quòd voluptates deorum propriè sint. Nam mihi immortalitas parta est, si nulla ægritudo huic gaudio intercesserit. *Deorũ voluptates.*

*Quàm vernant.*) Splendent, pulchra ac læta sunt, ac luxuriantur. Translatio est à vernali facie terræ, quòd verno tempore, hoc est (vt verbis Mercurij Trismegisti vtar) renouatione cursúque circuli numerosæ naturæ, omnis conspiratio mundi eadem natura florescente, lætari videatur. Vnde vernans cœlum dicitur, vernam quandam temperiem præ se ferens. *Vernare.*

*Quàm lenocinantur.*) Blandiuntur, & ad se pelliciunt: quod planè lenarum, hoc est, meretricum est proprium. Cum enim (vt autor est Cicero) verum decorem naturæ habere nequeunt, adulterinis fucis adfectatæ pulchritudinis lenocinantur speciem, non veritatem. Vnde & Lenocinium pro exquisitiore elegantia sumit Suetonius, quum in hunc modum depingit Augustum: Forma, inquit, fuit eximia, & per omnes ætatis gradus venustissima, quãquàm & omnis lenocinij negligens, & in capite comando incuriosus. *Lenocinari.* *Lenocinium.*

*Benè faxi.* *Benè faxim.*) Id est, ex animo. Quod perinde est ac si diceret: Nō solùm te laudo, sed etiam iuuo, illud voce, hoc actu. Sic Terentius in Adel. Act.5. Sce.5. Seruum haud illiberalem præbes te, & tibi lubens benè faxim.

*Passercul⁹.* *Passercule mi.*) Conuenienti vocabulo passerculū appellat, ob insitam omnibus passeribus à natura libidinem. Id enim animal adeò efferatæ libidinis esse adstruūt, vt iisdem velut in venerem procliuioribus subuehi ea de caussa deam amoris fingant poëtę. *Passercule mi.*) Vide quàm familiariter sæpius hoc idem repetit blandimentum. Vult enim poëta velut peculiare verbum, hoc esse Laidis.

*Spinter.* *Vis aureum spinter?*) Spinter, fibula dicitur in humeris, aut armilla, quibus quondam mulieres vtebantur, brachio summo sinistro. Author Priscianus. Plautus in Menæch. Iubeas spinter nouum reconcinnarier.

*Flameum.* *Vis flameum?*) Flameum, genus esse veli rubri seu crocei ferunt, gestari solitum à mulieribus nuper nuptis: sic dictum, quòd eo assiduè vtebatur Flaminea, id est, flaminis vxor, cui non licebat facere diuortium. Qua certè gratia, tenebatur nupta vti flameo, vt perpetuò cum viro maneret. Lucanus de Martia iterum nubente Catoni.

*Lutea demissos velarunt flamea vultus.*

*Armillæ* *Vis armillas?*) Armillæ (quas brachialia Priscianus vocat) ornamenta sunt in circulorum modū, quibus viri militares ab imperatoribus, mulieresque ab amatoribus donatæ, ea in sinistris brachiis gestare consueuerunt.

*Paronomasia.* *Vis aurum?*) Quia horum prius dixerat, nunc Paronomasia vtitur, iucunda videlicet quadā vocum collusione, significatu tamen diuerso, vt est illud Terentij in Prologo Heaut. Mea causa causam hanc iustam esse animū inducite.

*Torquis.* *Torquem istum.*) Deęst volo. Et vide quàm varium & mutabile sit muliebre ingenium, quàmque verissimum illud extet Ouidianum in Arte amandi:

*Quod rogat illa timet, quod non rogat optat vt instes.*

Est autem torquis, circulus aureus, flexibilis, obtortus, colli ornamentum, & summi pectoris.

*Mentula.* *Mea mentula.*) Verbum meretriciæ impudentiæ & procacitati conuenientissimum diminutiuum est à mēta, quod vtrumque genitale membrum significat.

*Religio.* *Religio est maxima.*) A casibus argumentum. Donatus

autem & Seruius, religionem, metum vel sollicitudinem significare adstruunt, ab eo quòd mentem religet, atque cõnexa sint timor & religio. Terentius in Heaut. Act.2. Sce.1. Nã nihil esse mihi, religio est dicere. *Religio est maxima.*) Id est, nefas ac verecundum esse existimo. Vnde & religiosos dies docet Gellius libro 4. Noct. dici tristi omine infames, infaustos, impeditósque, vtpote quibus res diuinas facere, aut rem quampiam aliam nouam exordiri esset nefarium.

*Religiosi dies.*

*Aptandũ collo tuo tornatili.*) Aptandum, conuenienter accommodandum, sicque sibi datiuum vendicat, vel accusatiuum intercedente ad præpositione. *Collo tuo tornatili.*) velut torno facto, & polito. Ducta tralatione à lapidibus, qui instrumento fabrili cauantur, tornantúrque in vasa coquendis cibis vtilia.

*Aptare.*

*Tornatile collum.*

*Hem.*) Interiectio animi lętitiam denotans, cuius alibi exempla subiecimus.

*Hem.*

*Mi dulcis pusio.*) Pusio hîc amatoriè paruus puer dicitur. Aliâs pro masculo scorto sumitur.

*Pusio.*

*Quid iam?*) Deest tibi videtur, vel dicis de me, idque cum corporis sui ostentatione.

*Etiam si nihil adiumenti ad pulchritudinem fiet.*) Adiumentum ab adiuuo fit, sumitúrque pro auxilio, seu supplemento additamentóve, quod à re quapiam præstatur. Terentius in Phor. Act.1. Sce.2. Virgo pulchra, & quo magis diceres, nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem.

*Adiumentum.*

*Formâ venerem exuperas ipsam.*) Hoc dicit, vt ad se amandum vehementiùs pelliciat meretricem, quarum natura huc semper tendit, conatúrque pro virili, vt ob venustatem, gratiam, & formam, à suis probentur amatoribus.

*Quid quod Lais mea?*) Blandimenti genus est, sed aliquãtò durioris agrestiorísque hominis. Quid quod cum simul iunguntur, modus est loquendi (vt suprà retulimus.) mirificam Romano candori venustatem pariens: quo vtique solemus vti, quum quempiam alterum interrogamus. Cicero in Officiis: Quid quod Theseus exegit promissum à Neptuno? Id est, quod à multis ineptè diceretur, quid tibi videtur? Vel, quid dicis? Rursus. Cicero in Catone maiore: Quid quod sapientissimus quisque animo æquissimo moritur? Horat.

*Quid quod*

*Quid quod libelli.*

*Stoici inter sericos iacere puluillos amant?*

*Ames pro amas.* *Num.* *Num me ames?*) Ames, pro amas: quia num particula soli indicatiuo iungitur ad quod interrogatio spectat: nisi dicere malis, num postponi verbo finito, quod præmissum hîc subintelligitur, quia tunc subiunctiuum postulat, vt sit, Rogo num me ames. Priori autem significato, vbi per negationē fit interrogatio, adfirmatio subintelligitur, vt hîc, num me amas? vbi quidem sibi poscit responderi à Laide, ego te amo. Paulò diuersiùs extulit locutionem Terentius in Eunucho, Actus 3. Scena 2. O Thais mea, meum suauium, quid agitur? ecquid nos amas de fidicina hac?

*Ludere.* *Ludis?*) Iocaris? Hoc autem non tam admiratiuè, quàm cum quodam blandimento, simul & ioculari venustóque risu pronunciandum.

*Quàm tibi desit amor.*) Deest meus. Est autem fictio atque circumuentio meretricia, qua turpis lucri gratia, solent verba dare suis amatoribus, ac doli ignaros in suos casses illicere.

*Na.* *Na.*) Pro certè, vel pro valde: vtroque enim modo potest hîc accipi.

*Eclipsis.* *Mea lux.* *Osculum mea lux.*) Decora ecclipsis amatori. Deest da mihi. Hoc autem dicit amplexando, exosculandóque Laidem. *Mea lux.*) Ritè suam lucem eam appellat, quòd illi omnia viderentur velut quædam tenebræ, si ea frui non daretur.

*Quando.* *Quando ego sum tuus.*) Quando, pro quoniam. Terētius in Eunucho, Actus 1. Sce. 2. Meus fac sis postremò animus, quando ego sum tuus.

*Certè, nullus mihi charior Acolasto.*) Commodiùs, maiorique cum beneuolentia dixit Acolasto, quàm si te dixisset, vt cùm Turnus apud Virgilium incusaretur, dixit: Nulla mora in Turno. Et Dauus apud Terentium in And. Act. 3. Sce. 2. Ne tu hoc posteriùs dicas, Daui factum consilio, aut dolis.

*Pro dimidio animæ meæ.* *Pro dimidio animæ meæ.*) Id est, vsque ad diuisionem animæ & corporis. Pro etenim hoc in loco, ad significat, eo vtique significatu quo dicimus pro viribus meis, id est, ad meas vires. Dimidium autem est pars altera ex dimi-

diato, vnde fit, vt suæ locutionis obseruatione colligatur eum vsqueadeò meretricis amore captum, vt eius gratia se partim in illius pectore viuere innuat, partim sui animi motu. Tantus enim est amor, vt ab illo indiuiduo natus, in singulos ipse diuidatur. Præbet enim se diuidendum ex indiuiduo, & rursus ex diuiso ad indiuiduū reuertitur, sua quidem implens officia, & naturæ suæ arcana non deserens. *Amor quantus.*

*O molles dactyli.*] Dactylus Græcis, Latinis dicitur digitus. Dicitur & metri pes: & dactyli caricæ, fructus palmæ vocantur. A Columella quoque vuæ quoddam genus in longum porrectę, dactylus appellatur, à digitali prælonga gracilitate. Dactylion etiam Græci annulum vocant à digito: vnde & dactyliotheca, à Budæo in Asse annulorum repositorium. *O molles dactyli.*] Delicati, asperitate carentes. Hinc & mollia vina, dicuntur defecata, vel, molles, suaues, iucundi, vt Virgilius: *Dactylus.* *Molles.*

*-Mollesque sub arbore somni.*

Molles autem homines, effœminati dicuntur, non seueri, non fortes, non constantis animi. Et molliter, delicatè.

*O genæ rubentes.*] Hilares, venustæ, rubore quodam interfectæ, quod pulchritudinis argumentum est vel maximum. *Genæ rubentes.*

*Eia.*] Corrigentis potiùs, vel admirantis, quàm adhortantis, vt est illud Terentij in Eunucho, Act.5. Sce.9. Eia, haud sic decet. Et in Heaut. Act.5. Scena quinta. Eia, vt elegans est. *Eia.*

*Vt elegans es.*] Vt, pro quantum. Elegans hîc ad formam, aliàs ad orationem & verba refertur. *Elegans.*] Culta, ornata, polita, quasi quæ eligere sciat, aut quæ potius sit ipsa eligenda. Quo nimirum significatu Gnato ille Terétianus in Eunucho, Actus tertij, Scena prima, Regem elegantem appellat. *Vt.* *Elegans.*

*Veneris catellæ.*] Catellus diminutiuum est à catus, quod & catulus dicitur à sagaci acutóque sensu. Potest sumi hîc & pro cane, sicut in Apuleio, Catulos, inquit, secum ducés venaticos atque sagaces: quòd canum natura propensior sit in Venerē: vel quod Catulire, gestire sit, & coitum appetere. Plautus: Quin meam vxorem vidi catulientem. Hinc Catulitio dicitur, quum canes maritari quærunt. Plinius: Catulitionem rustici vocant gestiente natura semina accipere, eáque animam inferente omnibus satis. *Catellus.*

*At.* *Vri.* *At vror intime.*] At discretiuum est superiorum diminutiuorũ. Vri verò, comburi est libidinis ardore. Licet de frigore veriùs quàm de calore dicatur, quòd frigus vrat, vnde & amantis pectus frigidius glacie, à Nasone Ouidio describitur. Et Phædria ille Terentianus totum se tremere horreréque dicebat, postquàm aspexisset Thaidem. Naturales nempe asserũt, nimium ignem effectum frigoris reddere, sicut ex frigore nimio effectus ignis existit. Hinc Virgilius;

*– aut Boreæ penetrabile frigus adurat.*

*Festiuitas.* *Facilitas.* *O mea festiuitas.*] Festiuitas dicitur iucunditas & lætitia quædam in dictis: facilitas verò in animo & factis. Author Donatus. Terẽtius in Eunucho, Act.5. Sce.9. Quid commemorem primum, aut laudem maximè? An mei patris festiuitatem, & facilitatem?

*Extillare.* *Locus est, vbi ardorem hunc tuum extilles.*] Tuã voluptatem expleas. Et vide quàm elegãti verbo vtitur, & quàm apposito luxuriæ diffluentibus æstu. Extillare siquidem, est guttatim finire, vel pauxillatim liquorem aliquem stillatímq; emittere, quod & colare dicimus. Ducta tralatione ab aquarum distillatione, quum ex totius herbæ substantia vapores exhalãt ignis calore: qui postea in aquam versi, omniũ herbæ partium vires adseruant. Vel quòd, authore Donato, potius ignis meretrix accipienda sit, quàm ara Apollinis: vel quia amatorum proprium sit vri: vel quia auida & auara sit meretrix non minus quàm ignis alimẽtorum. Terentius in Phorm. Act.5. Sce.8. Hisce ego dictis illam ita tibi incensam dabo, vt ne restinguas lachrymis, si extillaueris; id est, si lachrymæ ex corpore guttarent, aut corpus guttatim finiretur, vel totum in lachrymas conuerteretur. Et item in Eunucho, Act.1. Sce.2. Accede ad ignem hũc, iam calesces plus satis.

*Suspirare.* *Corculum.* *Quid suspiras corculum?*] Suspirare, est spiritum ab imo pectore trahere argumentũ quidem vel sollicitudinis, vel doloris, vel amoris vehementioris. *Corculum.*] Diminutiuum est à cor, quasi sapiens cor. Veteres enim corculum, sapientem & acutum dicebant. Vnde & Nasica ille prudens, bis consul, Corculum appellatus est, vt ait Cicero lib.1. Tuscu. Catos quoq; corculos apud Romanos cognominatos esse, quòd sapientia præstarent, refertur à Plinio, lib.7. Naturalis historiæ.

*Te, faustitas mea.*] Faustitas, fœlicitas dicitur, quòd se eius fruitione, Epicureorum more, beatum putaret ac fœlicem. *Faustitas.*

*Tu pol meum mihi iecur vlceras amoribus.*] Dilanias, & quasi hulcus facis. Et pulchrè iecur, quòd in eo iræ atque insaniæ caussam esse volunt sapientes, & amoris sedem, sicut pauoris in corde, in splene lætitiæ. Aiunt enim oportere locũ adesse aliquem, quasi lares focúmque, quo naturæ fomites & præcordia ignis natiui contineantur, feruentúrque. Iecoris autem membrum, vt Plato inquit, esse cõstat nobilissimum concoctionis cibariæ gratia cõtributum. Quò fit, vt ex spiritu ab eo resoluto (vt Galenus ait) in toto corpore, appetentia oblectãtium exoriatur, animato verò spiritu exhalãte ab felle, indignatio enascatur. *Vlcerare. Iecur.*

*Thoros instruximus, quando voles, comessatum intro concede.*] Veterum morem exprimit in stratis lectis comedere solitorum, maioris voluptatis fruendæ gratia. Virgilius: *Edẽdi mos antiquorũ.*

*Inde thoro pater Æneas sic orsus ab alto.*

*Seruus tu quidem spectatus es.*] Probatus. Sic Demea apud Terentium in Adel. Act. 5. Sce. 6. de seruo Geta: hominẽ maximi pretij esse hodie te iudicaui animo meo. Nam is mihi est profectò seruus spectatus satis. *Spectatus.*

*Cui res mea curæ sit.*] Qui curam ac sollicitudinem habeas mei negotij venerei. Res enim, authore Donato, tria significat, imperium seu diuitias, litem, & venerem. *Res.*

*Cape hoc donarium.*] Hic donariũ, donum significat. Aliâs locum, vbi reponuntur dona, quæ Deo offeruntur. Sumitur & pro templo ipso. *Donariũ.*

*Bonus hercle es vir, & perliberalis.*] Asty smus est: festiuè enim ac vrbanè, bonum & perliberalem appellat. Bonus autem, humanus dicitur, beneuolus, tranquillus, simplex, apertus, comis, facilis, suauis, tractabilis, indulgens, & huiusmodi. Terẽtius in Adel. Act. 3. Sce. 4. Maior filius tuus AEschinus, quem fratri adoptandum dedisti, neque boni, neque liberalis functus officium est viri. Vbi quidem Donatus: Bonus, inquit, est qui non nocet: Liberalis, qui etiam prodest. Bon⁹, qui nõ peccat in facto: liberalis, qui nec verbo quidẽ. *Astysmus Bonus. Liberalis.*

*Deos quæso vt saluus sies nobis in multam ætatem.*] Sic Terẽtius in Adel. Act. 3. Sce. 1. Saluus nobis, deos quæso, vt fiet. *In multam ætatem.*

*In multam ætatem.*] Hoc est, diu, longinquóque tempore ac prolixo, vt est ætas.

*Multa insperata eueniunt.* *Quàm sæpe accidunt, quæ nō ausis sperare.*] Sæpenumerò rem multò secus euenire, quàm vel fuerat instituta, vel probabilibus coniecturis euentura videbatur, demonstrat. Sed (vt inquit Homerus) præpollet magis iouis vsque volūtas. Terentius in Phor. Act.5. Sce.1. Dij vestram fidem, quàm sæpe fortè temere eueniunt, quæ non audeas sperare. *Quæ non ausis.*] Pro quæ non audeat quis.

*Ausis.* *Illabi.* *In sinus illabitur aurum præter spem.*] Illabi propriè, est introlabi, hoc est, sensim & leniter à superiori loco ī aliquid, quod inferius est, ruere. vnde ait in sinus, allusione ducta vel ab amatorum largitione in eas, quarum congressu frui desiderant. vel ab expensa, quę fit ad aucupandum fauorem in petitione magistratuum, atq; nouo regum aut triumphantium ingressu in vrbes regias.

*Iam ne imus.*] Terentianum est in Eunucho, Act.3. Sce.2.

*Nectar.* *Meum nectar.*] Nectar, deorum potio à poëtis dicitur, quo quidem nomine amoris dulcedinem designant. Altissima, inquit Macrobius, & pulcherrima pars corporis mūdi, quæ hyle dicitur, qua vel sustentantur diuina vel constant, nectar vocatur, & creditur esse potus deorum: inferior verò & turbidior, potus animarū, & hoc est quod veteres letheum fluuium vocauerunt. Hæc ille in somnio Scip. lib.1.

*Solidus.* *Solidam noctem.*] Integram, plenam, sine interruptione, nihil voluptate vacuum relinquentes. Eadem significatione Solidum gaudium dixit Terentius in And. Act.4. Sce.1. Et solidum corpus, in Eunucho, Act.2: Sce.3. pro non vitiatum, sed plenum, forte, hoc est, non flaccidum.

# ACTVS QVARTVS

## Scena prima.

### PAMPHAGVS SOLVS.

*ITan' ad clarum dormiui diem?* *Octonarij.*
*Nox multa adhuc meis*
*Est oculis: eiiciendus hercle iste*
*est veternus ab animo:*
*Intendendi sunt nerui quæstui*
*nostro. Sed nausea*
*Quæ tãta stomacho? Quidnam*
*hæc oscitatio volt? Extẽdere*
*Hos neruos nũc demũ iuuat, iuuat & oculis propellere*
*somnum. Quid? An ructas etiã Pamphage crapulam*
*hesternam? Insolens*
*Istuc quidẽ facis, valẽs stomachus, cui et cruda cõcoquit.*
*Quid? An acidis opus erit inulis, quæ mihi fastidia*
*Extundant? homini opinor latrare stomachum impran-*
*so vt solet,*
*Saburra enim vẽtris nunquã tantũ memini grauarier.*
*Vt eam egerere stomacho esset opus, vbi ipsam æthnam*
*circunfero.*
*Sed heus? Pantolabúmne? Sic tam manè, heri qui tãtum*
*biberit? Hem.*

*ITan' ad clarum dormiui diem?*] In hac scena solus induci- *Argumentum.* tur Pamphagus, qui ob crapulam, qua pridie se ingurgitauerat, nondum satis digestam apud se expostulat, quò tamen rerum suarum satagat, totus adhuc vino madens expergiscitur.

*Itan' ad clarum dormiui diem?*] Quemadmodũ oculus con- *Doctrina.* turbatus non est probè affectus ad suum munus fungẽdum (vt Author est Marcus Tul.) & reliquæ partes, reliquúmve

corpus, cum à statu est motum, officio suo & muneri deest: ita vel ebrietate obliuionis matre, vel ira, vel cupiditate mala conturbatum animum, non esse aptum ad exequendum munus suum, hæc scæna nobis solidam homeosin ponit ob oculos. Munus autem animi, est ratione vti. Hęc ille. 3. Tusc.

*Itan'.* *Itan'.*) Itáne, id est, vsqueadeò ne. Vox est hominis sese corripientis, quòd tū munere suo minùs attentè fungatur, cum vel callidū, vel propēsum ad suas res eū esse oporteret.

*Nox in oculis.* *Nox multa adhuc meis est oculis.*) Miranda locutio, sed vino sopitis apta: vel quòd vinolentis dupla obiecta videantur & appareant: Vel quòd marcore quodam in oculis ipsorum ob vinum nimio potatum contracto ac lippitudine, obtundatur oculorum obtutus, & acies.

*Veternus.* *Excutiendus hercle iste est veternus ab animo.*) Veternus, est morbus ex nimio ocio perpetuum somnum inducens. Verū quia hic morbus pigros homines reddere assolet, & ad exequenda munia minùs idoneos, instar senectutis fit vt veternus aliquādò pro pigritia & segnitie sumatur. Vir. 1. Georg.

*Nec torpere graui passus sua regna veterno.*

Sumitur hîc pro nimia dormitione. Hinc pinguescere veterno dicuntur glires. Et qui graui somno premūtur, veternosi appellātur. *Veternosi.* Don. veternosū senē appellat morbo vetere cōfectū, hoc est, veterno, quales sunt, qui hydropen patiuntur. Veternosus, inquit Cato, quàm plurimùm bibit, tam plurimùm sitit.

*Intendere.* *Intendendi sunt nerui quæstui nostro.*) Intendere verbum à venatoribus translatum, qui retia intendunt ad feras captādas: vel (vt author est Donatus) à sagitariis, quum vis conatúsque tendentis arcum non in volatum teli, sed in ruptionem nerui expectatur. Quia ergo parat Acolastum fallere, hoc verbo vsus est, alludens ad Plautinum prouerbium in Trucul. simul & in Asinaria: Ad suum quémque quæstum, æquum est esse callidum. Natura siquidem comparatū est, vt aduigilet quisque ad id quod expetit. Sic Terentius in Eunucho, Actus 2. Scena 3. Siue adeò digna res est, vbi tu neruos intendas tuos. Hinc Horatius intendere animū dixit, Sallustius, ingenium, Cicero, litem.

*Sed nausea quæ tanta stomacho?*) Deest verbum substantiuū. *Nausea.* Nausea autem dicitur propriè stomachi ad vomitum ex graui odore perturbatio. A naui deductum nomen, ex cuius

sentina mouetur vomitus. Plautus in Amphyt. Lassus sum hercle, à naui vt vectus sum huc, etiam nunc nauseo.

*Quidnam hæc oscitatio volt?*) Oscitatio est oris commotio, apertio, atque diductio præ somno aut tædio: quæ si toto corpore fiat, pandiculatio appellabitur. Hinc Cicero 2. de Oratore, Oscitantem & dormitantem sapientiam dicit. Sumitur & pro animi ocio ac securitate. Dictum ab ore ciendo, id est commouendo. Vndę oscitantes, authore Donato, dicuntur, securi, vel nihil prouidentes. Terentius in And. Act. 1. Sce. 2. Id voluit nos sic nec opinantes duci falso gaudio, Intereà oscitantes opprimi. *Oscitatio.* *Oscitantes*

*Extendere hos neruos nunc demũ iuuat.*) Repetit quod priùs dixerat, quò innuat id difficulter & operosè fieri ab ebriis, vt mens suis perfungatur partibus.

*Propellere.*) Procul pellere, amandare, amouere. Sallust. Collegam suum Antonium pactione prouíciæ propulerat, ne contra rempub. dissentiret. *Propellere.*

*An ructas etiam Pamphage crapulã hesternam?*) Quod obscœnè abs liberali homine fieret, id elegãtervenustéq; à parasito fieri ostendit. Ructare quippe sordidorum est, & propriè dicitur cibi digestionem, & concoctas escas in ventum efflare. *Ructare.*

*An ructas etiam crapulam hesternam?*) Crapula, vel Græcè crepala, dicitur capitis lucta fluctúsque & agitatio, quòd temetum capiti detrimenta concinnet. Nam & inde videtur nominis etymon dici, quòd caput iactetur, vibretúrque, maximè si id resinatum fuerit. Ab Aristotele autem in problematibus, Crapula dicitur esse feruor quidam & inflãmatio, quæ plus conflictat quàm temulentia, quod illa mentem quatiat & alienet: crapula verò mente constante dolorem admoueat. *Crapula.*

*Insolens istuc quidem facis.*) Semetipsum alloquitur, quod stupidorũ est ac temulentorũ. *Insolens.*) Insolitus. Cicero: Moueor etiam loci insolentia. Terentius in And. Actus 5. Sce. 4. Quid tu Athenas insolens? *Insolens.*

*Valens stomachus.*) Mihi videtur Antiptosin esse, pro valẽs stomacho. Id est, sanus & potens: nisi subintellexeris verbum, Est tibi. *Antiptosis.* *Valens.*

*Cui.*) Ad seipsum, qui loquitur, relatio est.

*Quid?*) Stomachãtis est & indignantis ob crebros ructus. *Quid.*

Hoc quippe dicit ructando.

**Inula.** *An acidis opus erit inulis.*)Inula,herba est, quæ Græcis Elenium,Officinis Enula, Rusticis Campana dicitur. Hanc Dioscorides astruit stomacho vtilem esse in passo conditā, eiúsque decutere fastidium, magnarum quoque virium ad affectus thoracis.Crassos & lentos humores tenuat,ac foras euacuat,cum dulcibus ventriculum roborat,calculum renū & vesicæ discutit,vrinam cit,multum quoque aduersum pestem commendatur.Hæc ille.Horatius libro secundo Sermonum Saty.2.

*-Mala copia quando*
*Aegrum sollicitat stomachum, cùm crapula plenus*
*Atque acidas mauult inulas.*

**Acidus.** *Acidis.*)Asperis. Non quia acidæ sint,sed quòd concoquantur & aceto condiantur. *Acidis.*)Aliquantulum acescentibus,& ita punctiuis, vt appetitus excitent.

**Extudere.** *Quæ mihi fastidia extundant.*)Expellant,extorqueant,decutiant. Aliàs inuenire est. Virg.1.Georg.

*Et varios vsus meditando extunderet artes*
*Paulatim.*

**Impransus** *Impranso vt solet.*) Impransus ieiunus dicitur, qui nihil adhuc edit,ab in priuationem connotante particula,& prāsus quod vocabulū vsurparūt antiqui ꝑ eo, cui nihil deerat.

**Saburra.** *Saburra enim ventris.*)Saburra hic pro stomachi onere accipitur. Vnde & Saburratus apud Plautum in Cistellaria noue quidem,sed admodum eleganter dicitur,pro onustus cibo. Sumpta Metaphora à nauibus, quas onerant harenis,aut argilla ad certam mensuram,ne vecti iactentur,vacilléntque in fluctibus.

**Egerere.** *Vt eam egerere stomacho.*)Egerere hoc in loco,euomere significat.Vnde egestio, & egestus, ventris exonerantia. Aliàs exhaurire, vt superius diximus.

**Aethnam circunferre** *Vbi ipsam Aethnam circunfero.*) Aethnam Siciliæ montē in prouerbium abiisse, satis colligitur ex sententia Marci Tullij in Catone maiore, cum onus Aethna grauius dicit. Quod & contestatur Lucilius apud Gellium lib.16.cap.9. Cuius verba,si voles, illic inspicito. Ouidius in Metamor.

*Cúmque suis videor translatam viribus Aethnam*
*Pectore ferre meo.*

Hinc autem natum prouerbium putant docti, vel quòd

Gigas eũ montẽ ſua mole premat, vt fabulantur poëtæ. Vel ꝙ crebris incẽdiis grauis & pernicioſus olim eſſet accolis. *Heus.*

*Sed heus.*) Heus, interiectio eſt ſemet ipſum reuocantis cũ admiratione, ad intentionem conſiderationémque rei ex improuiſo obiectæ.

*Pantolabum ne hic tam manè?*) Ecclipſis haud illepida atque familiaris rem inſperatã nunc primùm videntibus. Deeſt autem video. *Ecclipſis.*

*Heri qui tantum biberit.*) Sic Terentius in Heaut. Act. 3. Sc. 2. Equidem te demiror Chreme tam mane, qui heri tantum biberis.

*Hem.*) Interiectio perculſi re ſubita & noua. Vel vocãtis aduerbium. *Hem.*

## ACTVS QVARTI
## Scena Secunda.

PANTOLABVS, PAMPHAGVS.

O *Salue columen ordinis Paraſitici.*
PAM. *Salue ô primum decus ſectæ Gnathonicæ.*
PAN. *Sic mutuũ muli ſcabunt, ſanè feſtiuiter,*
*Dum mutuum teſtimonium inuicem damus.*
PAM. *Pantolabe, ecquid placuit heſterna epulatio?*
PAN. *Nunquàm quidem cœnaui, quod ſciam, vnctius:*
*Gulam oppleui meam vſque ad ſummum dapſili*
*Luxu, quid tu?* PAM. *Genio ipſe indulſi maximè.*
*Non poſſum, ſumma, quin circunlingã labra.*
*Mel Atticum ſapiunt heſterni iuſculi*
*Reliquiæ.* PAN. *Pol dentes & mihi volupe eſt ingi*

*Suctu macerare. Quin nidorem carnium*
*Vncti supremè digiti offundunt naribus.*
PAM. *I nunc, & somnia irride posthac mea.*
PAN. *Non arbitrabar istuc mi Pamphage fore.*
*Fælices, qui tam propitium habuimus Comum.*
PAM. *Quid? agnoscis etiam per quem huc promoueris?*
PAN. *Dis te patrono factus sum, mi Pamphage,*
*Ex mendico.* PAMPH. *Lubens feci.* PAN. *Est quod gestiam.*
PAM. *Est quod triumphem.* PAN. *Io liber pater.*
PAM. *Io, io*
*Ceres.* PAM. *Age ineamus quaso cantiunculam,*
*Qualem sonant Euanti Thyades.* PAM. *Gaudia*
*Seruemus ista vespertinis horulis,*
*Quibus voluptuabitur hospes cum Laide.*
*Incoctus stomacho sic extundatur cibus,*
*In proximam cœnam. Ieiunos haud decet*
*Stultescere tripudiis.* PAN. *Sapidissimè mones.*
*Quid nunc fiet?* PAM. *Quod somnij portenderat*
*Pars reliqua.* PAN. *Quid id est?* PAM. *Num iam meministi?* PAN. *nihil.*
PAM. *Dolosa vt alea huius loculos atteram.*
PAN. *Communi num nam id fiet sorte, Pamphage?*
PAM. *Fiet.* PAN. *Meritò te amo & colo.* PAM. *Fac interim*
*Curetur prandium, & cella penuaria.*
PANTOL. *Faciam. Quid hic habes?* PAMPH. *Lucrosas aleas.*
*Nostin'?* PAN. *Noui & sensi talos benè polypos,*
*Quibus facultatum bona pars periit mihi.*
PAM. *Nisi fallor, audio screantem Acolastum. Vale.*

*O salue*

O *Salue columē.*) In hac ſcena vtriq; paraſiti ſeſe mutuis ſalutationibus mirātur ac prædicant, de ventris negotiis conferunt, geſtiunt immoderatiùs. Ad poſtremum ſe accingit Pamphagus ad demādandum executioni, quod pars altera ſui ſomnij portendebat, nempe vt pecuniis ſpoliet emungátque Acolaſtum. *Argumētū*

*O ſalue columen.*)Quemadmodum temperantia ſedat omnes appetitiones(vt Marcus Tullius aſſerit) & efficit vt hæ rectę rationi pareant, cõſeruátque conſiderata iudicia mẽtis:ſic huic inimicam intemperantiam, omnem animi ſtatũ inflammare,conturbare,incitare exemplo horum duorum paraſitorum,nobis imaginem præbet hæc ſcena. *Doctrina.*

*O ſalue columen.*)O interiectio eſt optantis aduentum,aut repentè perculſi.Sic Terentius in And. Act.1.Sce.5. O ſalúe Pamphile. *O.*

*Columen ordinis paraſitici.*) A mutuo blandimento mutuáque congratulatione, ſimul & laude vtrique incipiunt, vt facere aſſolent, qui quod ſperabant ſunt conſecuti.*Columen ordinis paraſitici.*)Columen,culmen dicitur, columna, ſuſtentaculum,decus,præſidium: cui vtique reliqua familia paraſitorum innitatur. Terentius in Phor. Act.2.Sce.1. Oh bone cuſtos ſalue,columen verò familiæ, cui commendaui filium hinc abiens meum.Plautus in Caſſ.Sed eccum egreditur Senati columen, præſidium populi. Item Horat. lib. car.2. Ode 17. *Columen.*

*Nec diis amicum eſt nec mihi te prius*
*Obire Mecœnas mearum*
*Grande decus columen rerum.*

Hinc & columellę apud veteres dicebātur, authore Donato,ſerui maiores domus. Et columnæ dictæ, domus fulcimenta. Huic aſtipulatur & illud Virgilianum: *Columellæ.*

*-In te omnis domus inclinata recumbit.*

*Salue ò primum decus ſectæ Gnatonicæ.*)Primum hîc ad laudem non ad ordinem ſpectat, id eſt, precipuum. Terentius in Heaut. Act.5.Sce,2.Vbi te vidi animo eſſe omiſſo & ſuauia in preſentia quæ eſſent,prima habere. *Primum decus.*) Decus dicitur honorificentia ex rebus benè geſtis prouenięns.Virg.5. *Primum.* *Decus.*

*Oblitus decoris ſui,ſociúmque ſalutis.*

Huius contrarium eſt dedecus, pro ignominia.

*Mutuum mulis scabũt* *Sic mutuum muli scabunt sanè festiuiter.*)Hoc prouerbium, authore Erasmo, dicitur, vbi improbi atque illaudati se vicissim mirantur ac prædicant. Translatum à mulis, qui sicut reliqua iumenta sese inuicem dentibus scabere solent. Huic consimilia sunt hæc: Tradunt mutuas operas: Senes mutuũ fricant: Fricantem refrica: Ferrum ferro acuitur: Quorum omnium interpretationem, simul & originem habes apud eundem Erasmũ Chiliade prima, Cẽturia 7. prouerbio. 97.

*Mutuũ testimonium dare.* *Dum mutuum testimoniũ inuicẽ damus.*) Subest hic & aliud prouerbium, quod idem Erasmus interpretans, in eos rectè iaciendum dicit, qui se mutua talione laudant efferúntque. Aut qui mutuo studio sibi inuicem suffragantur. Aut qui ad gratiam testificantur, neglecta religione. Vnde Cicero pro L. Flacco, repudians eleuánsque Græcorum testium fidem: Veruntamen, inquit, hoc dico de toto genere Græcorum. Tribuo vel literas, do multarum artium disciplinam, nõ adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam. Deinde si qua sibi alia sumunt, non repugno. Testimoniorum religionem & fidem, nũquam ista natio coluit, totiúsque huiusce rei quæ sit vis, quæ authoritas, quod põdus, ignorãt. Vnde illud est. Da mihi testimonium mutuũ. Non Gallorum, non Hispanorum putatur. Totũ illud Græcorum est, vt etiam qui Græcè nesciant, hoc quibus verbis à Græcis dici soleat, sciant. Hactenus ille.

*Vnctius.* *Vnctius* Mollius, nitidius, affluentius, splendidius, lautius, magnificentius, genialius.

*Gulam opplere.* *Gulam oppleui meam.*)Gulam propriè suprà diximus esse anteriorem colli partem, qua cibus atque potus deuoratur. Sumitur & pro gulæ vitio apud Iuuenalem: Dum inquit gula sæuit. A quo gulosus, huic vitio deditus.

*Luxus.* *Dapsili luxu.*)Luxus non solum pre re Venerea, sed & ferè semper propriéque pro omni superfluitate ac nimia profusione, & sumptione cibi, potus, vestitus, & aliarum rerum sumitur. Virg. *At domus interior regali splendida luxu.*

*Indulgere genio.* *Quid tu?*)Deest egisti.

*Genio ipse indulsi maximè.*) Indulgere genio, est animo obsequi: sicut defraudare genium, negare naturæ quod appetit. Persius Saty. 5.

*Indulge genio, carpamus dulcia.*

*Lingere.* *Summa circumlingam labra.*) Lingere propriè, est aliquid

lingua molliter tangere. Plautus in Caſſ. Mel mihi videor lingere. Dicitur & quum aliquid in ore tenentes, guttatim id defluere in ſtomachum ſinimus, quę res linctus dicitur.

*Mel Atticum ſapiunt heſterni iuſculi reliquiæ.*) Quanta dulcedo inſit mellis liquori, eiúſque potiſsimum quod in Attica regione aut Sicula conditur, his verbis author eſt Plinius libro vndecimo Nat. hiſt. cap. 13. Mellis Attici in toto orbe ſumma laus exiſtimatur. Ibi verò optimus habetur ſemper, vbi optimorum doliolis florum cõditur. Hinc mel Atticum cęteris pręferunt, quod & hymetum dicitur, quòd mons hymetus regionis Atticæ iucundiſsimus ſit, diuerſis florib⁹, thymóque maximè abundans. De quo Ouidius de medicamentis faciei: *Mel Atticũ.*

*Adiice de flauis Attica mella fauis.*

Dicitur & mel hibleum, à monte Siciliæ hibla, thymo & ſalicum copia referto.

*Heſterni iuſculi reliquiæ.*) Iuſculum & minus vſitatè iuſcum, appellát quidam quodlibet cibarium liquidius, quod cõſtat vitellis ouorũ, omphacio, iure pingui, croco, & cynnamomo. Alij dicunt eſſe liquorem eorum quę coquuntur. *Iuſculum.*

*Pol dentes & mihi volupe eſt iugi ſuctu macerare.*) Macerare, atterere lingua & cõfricare eſt. Aliàs mollificare, vt fit quũ quippiam tandiu in aqua tenetur donec tenereſcat. Terentius in Adel. Act. 3. Sce. 3. Salſamenta hæc, Stephanio, macerentur pulchrè. *Macerare.*

*Iugi ſuctu.*) Continua humoris ex iuſculis illis prouenientis ſorbitione. Fit autem à ſugo, quód & ſugeo dicitur, à quo exugeo, id eſt, ſuccum extraho. *Iugi ſuctus*

*Sũpremè.*) In extremitate, ſiue in ſummitate. *Supremè.*

*Offundunt.*) Iniiciunt, adferunt. Aliàs obſcurare, & obcęcare eſt. Vnde luna perpetuo ſanguine offuſa dicitur à Lactantio: & à Cicerone pro Roſcio, offuſa reſpublica. *Offundere.*

*Nidorem carnium.*) Nidor propriè dicitur carnium aſſarum in culina, cæterarúmque epularum coctarum putor & olfactus. A nideo, es, deductum quod redolere ſignificat. Martialis: *Paſceris & nigræ ſolo nidore culinæ.* *Nidor.*

Sumitur quoque pro riſu ab Horatio in Sermonibus interprete Phorphyone, cum ait: *Naſum nidore ſupino.*

*I nũc.*) Nõ abigétis eſt vox, neq; vt recedat imperátis, ſed inſultantis potiſsimũ, & apud aliũ ob ſecũdos pſperóſque *I nunc.*

successus immoderatius gloriantis. Sic quippe dicere assolent, qui iam compotes sunt votorum omnium, perfectique in rebus vniuersis.

Fore. *Non arbitrabar fore.*) Futurum esse. Tarditatis antiquæ, simul & insipientiæ, somniorúmque conteptus se excusare conatur, vt faciunt illi, qui pœnitentia tandem ducuntur, se aliorum conatum in aggrediendis rebus arduis irrisisse, vbi vident eos assecutos quod prius illi non sine animi trutina moliebantur.

Propicius comus. *Fœlices, qui tam propicium habuimus comum.*) Tam commodum atque fauētem, sedulúmque rei penuariæ prouisorem. Nam in potentiorum domibus, alius est promus, alius condus, alius alij ministerio adsignatus. Promus, qui præest cibariis promendis, hoc est, qui victum familiæ promit. Condus, qui recondit in cellam penuariam ipsa penora.

Condus. *Agnoscis etiā per quē huc promoueris?*) Perpēde philautiam parasiticam, & quonam pacto ad habendam sibi gratiā, suū inducit commilitonem.

Dis. *Dis factus sum ex mendico.*) Dis, pro diuite: facit autem in nominatiuo plurali dites, sicut diuites à diuite. Terent. in Adel. Act.5. Sce.1. Dis quidem esses Demea ac tuam rē constabilisses. Sumitur & pro diuitiarū ac inferorum deo, quod diuitiæ ex intimis terræ visceribus effodiantur.

*Te patrono.*) Te me afferentē ab inediȩ famísque periculo.

Est quod. *Est quod gestiam.*) Duobus quidem verbis conficta oratio, sed non minùs elegās, & apposita, pro eo quod minùs aptē diceremus, est opus, vel oportet. *Est quod gestiam.*) Gestire,

Gestire. authore Donato vt supra retulimus est sensum corporis gestu indicare, quod brutorum magis est animalium, quàm hominum. Virg.

*Et studio in cassum videas gestire lauandi.*

Triūphare *Est quod triumphem.*) Triumphare hîc pro exultare capitur, vt apud Cæsarem in Commentariis: Quod euenisse nobis gaudeo, & triumpho. Aliàs, triumphum agere est, vt suprà docuimus.

Io. *Io, liber pater.*) Io, inquit Erasmus, acclamatio prouerbialis est, qua consueuimus vti, re gnauiter fœliciterque peracta. Ouidius in opere de arte amandi:

*Dicite io pean, & io bis dicite pean.*

*Decidit in casses prada petita meos.*

Et in Methamorphosibus:

*Et bis io Aretusa, io Aretusa vocauit.*

Horatius quoque in Odis:

*Et in triumphis acclamabatur, io triumphe,*

*Non semel dicemus io triumphe.*

Vnde autem originem sumpserit, si nosse voles, legito Erasmum, Chiliadis secundæ Centuria 4.

*Liber pater.*) Macrobius tradit Satur. lib. 1. Ideo Bacchum à Romanis Liberum patrem appellatum, quòd liber & vagus sit. Hinc etiam liber pater, bellorum potens apud eos vocatur, quòd eum primum ediderunt authorem triumphi. Virgilius quoque 1. Georg. scribit Liberum patrem solem esse, & Cererem lunam, quòd pariter fertilitatibus glebę, & maturandis frugibus, vel nocturno temperamento, vel diurno calore moderentur. Vnde ait: *Liber pater*

*- Vos, ô clarissima mundi*

*Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum*

*Liber & alma Ceres.*

*Io, io Ceres.*) Ter hic gestientis particulam lætitię adfectũ exprimentem proferunt, adludẽtes ad sacra Apolini quondam in Pythicis ludis fieri solita, in quibus ter iterari consuetum erat, in memoriã Latonæ matris Apollinis & Dianæ cum Pythone depugnantis, deinde vincentis, ad postremum ouantis. *Io, io Ceres,*) Cicero libro de Natura Deorum scribit Cererem dictam esse tanquam Geres, à gerendis frugibus, casu prima litera immutata, à Græcis Δήμητηρ, quasi γήμητηρ, hoc est, terræ mater, quod cunctarum frugum creatrix sit, & alimenta largiatur. Vel (vt ait Fulgentius) Ceres ex eo dicta est, quod Græcè χαρὰ gaudium dicitur. Et ideo illam frumenti deam haberi, quòd vbi plenitudo frugum est, gaudia semper superabundent necesse sit. *Io, io.* *Ceres.*

*Ineamus quæso cantiunculam,*) Inire cantionem, incipere & aggredi est. Aliquando assequi & comparare significat, vt cum gratiam vel beneuolentiam alicuius inire dicimus. *Inire cãtionem.*

*Qualem sonant Euanti Thyades.*) Thyades, sacrificulæ erant Bacchi, vtpote cuius annua sacra Thyia dicebantur, in Menalo Archadiæ monte celebrari solita. Hinc Virgilius, Aeneid. 4. *Thyades.*

*Qualis commotis excita sacris*

*Thyas, vbi audito stimulant Trieterica Baccho*
*Orgia, nocturnúsque vocat clamore Cithæron.*

*Evan.* *Qualem sonant Euanti Thiades.*) Phryges Aan Bacchum nominant, vnde Priscianus Euan inflecti asserit, authoritate Virg. fretus, qui in 6. Aeneide, in hūc modū loquitur:
*- Euantis orgia circum.*

Quidam nihilominus Euan, interiectionem esse contēdunt, & exclamantis vocem, laudantium Bacchum: & interpretatur bone puer.

*Vespertinæ horulæ.* *Vespertinis horulis.*) Videtur adludere ad deas illas Homericas, quæ quatuor anni temporibus præsunt, à quo Aulæ cælestis custodes, ab Ouidio verò Deæ Celeres appellātur, Solísque ministræ, quòd ex Solis cursu horæ conficiantur. Vnde & à sole nomen accepisse, qui apud Aegyptios Horus dicitur, tradit Macrobius Satur. 1. cap. 21. Hora quoque ab Ennio iuuentutis dea dicitur.

*Hora.* *Te Quirine pater veneror, horámque Quirini.*

*Voluptuari Voluptas.* *Quib⁹ voluptuabitur hospes cū Laide.*) Voluptuari delectari quidē est, sed prȩter modū, elata videlicet quadā animi lȩtitia opinione præsētis alicuius ingētis boni. In quo alioqui Epicurus summū bonum constituit. Fit autem à voluptate, sic vtique dicta, quòd quæ delectatione aliqua animum demulcent, maximè velimus.

*Incoctus.* *Incoctus cibus.*) Id est, crudus, & indigestus, ducta tralatione à decoctione metallorum, quum deplumbantur, vel deargentantur, aut deaurātur. Vnde vasa ænea, quæ ad ignē inferuntur, incoctilia dicuntur.

*Extundere.* *Sic stomacho extundatur.*) Comminuatur, conficiatur, attenuetur. Imperantis est, pro futuro indicatiui.

*In proximam cœnā.* *In proximum cœnam.*) Id est pro proxima cœna. Sic Terentius in Hecyra, Actus 1. Scena 2. Ita dij deæque faxint, si in rē est Bacchidis. Id est, si ꝓ re & vtilitate est Bacchidis.

*Stultescere.* *Stultescere.*) Imprudenter, stultè, & improuidè agere.

*Tripudiū.* *Tripudiis.*) Tripudium, quasi terripauium dicitur. Sic enim à vetustissimis dicebatur, pòst à veteribus terripudiū, deinde à perfectæ latinitatis conditoribus tripudium dictum, à pauio, quod est ferio. Est autem tripudium, saltatio, dicta, à pauienda terra, quòd videlicet saltando terra pauiatur. Tit. Liuius. Per vrbem ire cū tripudijs solenníque saltatu iussit.

*Sapidissimè.* *Sapidissimè mones.*) Licet sapidus significet id quod gra-

tum ſaporem habet, tranſfertur tamen aliquando ad animum, pro eo qui recta ſapientia vel opinione pollet.

*Nihil.*) Pro non. Sic Terentius in And. Act.1. Sce.2. Nihil circuitione vſus es. *Nihil.*

*Doloſa vt alea huius loculos atteram.*) Hæc emerſura ſuperiùs vaticinatus fuerat, cum dicebat. Tum neſcio quid viſus talorum iactus portendat ominis boni. *Vt huius loculos atteram.*) Atterere hoc in loco, conſumere eſt, vel rodere, vel diminuere. Sic Virgilius: *Atterere.*

*Et grauis attrita pendebat cantharus anſa.*

Id eſt, conſumpta, vel attenuata Rurſus in Georg.

*Depreſſo incipiat iam tum mihi taurus aratro*

*Ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere vomer.*

Id eſt, Roſus. Salluſtius tamen pro opprimere poſuit per trãſlationem: Pòſt vbi eorum famam, inquit, attriuere, maiora alia impendebant.

*Doloſa.*) Fraudulenta, plena dolo. Aliâs, inuidioſum ſignificat. Dolus autem, à lædendo dicitur, id eſt, à dolando, quod minuere eſt. *Doloſa. Dolus.*

*Cõmuni ſorte.*) Pari lucro, damnóve, ducta deflexione à prima illa pecunia, quæ à mercatoribus cõfertur in ſocietatem, vt lucrum fiat. *Communis ſors.*

*Meritò te amo & colo.*) Mira ſuppalpatio, quò eũ beneuolentius alliciat ad ſibi præſtandum quod poſtulat. Amo, eo quod merearis. Colo, amore & officio. Minores quoque colimus, humanitate & beneficiis, hoc eſt, amamus, vt apud Terentium in Heaut. Actus ſecundi Scena quarta. Quippe forma impulſi noſtra, nos amatores colunt. Vbi quidem Donatus: Colere, inquit, eſt inferioris perſonæ ad ſuperiorem: nonnunquã ſuperioris ad inferiorem. Idem in Adel. Act.5. Sce. 8. Meritò te amo. *Merito te amo. Colere.*

*Cella penuaria.*) Ea dicitur, in qua res eſculentæ, & poculentæ reponuntur, ſic dicta cella, quòd in ea celentur, quæ eſſe volumus occulta. Capit autem ſignificationem ſecundum ea quæ illi adduntur adiecta, vt cella vinaria, olearia, farinaria, pomaria, lignaria, libraria, caſearia, penuaria, & huiuſmodi. *Cella penuaria.*

*Lucroſas aleas.*) Id eſt, ad lucrum idoneas, plenas lucro. Plinius: Et auctionibus eam adhiberi lucroſum putant *Lucroſa alea.*

*Noſtin'.* *Noſtin'.*) In ſignificationem præteritorum, quæ cum aliquibus, aut in eorum conſortio egimus, noſtin' dicimus. Autor Donatus.

*Benè.* *Et ſenſi talos benè polypos.*) Benè pro valde. Alludit autem ad prouerbium, Bis ſeptem plagis polypus contuſus, dici ſolitum, vt inquit Eraſmus, vbi quis multo tandem malo fit emendatior. Quemadmodum indomitis adoleſcentibus, aut ad luſum feruidioribus, qui plurimorum experientia malorum, aut re omni deperdita tandem quieſcunt & cicurantur. Aiunt autem polypum piſcem captum diu multúmque tundi ſolere, quò mitior fiat, & ad eſum accōmodatior. Quod & in talis ſuis facere ſolent luſores, quò gliſcant faciliùs.

*Bona pars.* *Bona pars.*) Id eſt, magna, iuxta illud Salluſtij: Bona pars militum inde diſceſſerat.

*Screare.* *Screatus.* *Audio ſcreantem Acolaſtum.*) Screare, cum conatu quodam de pectore ſputum eiicere eſt. A quo fit ſcreatus. Terentius in Heaut. Actus 2. Scena. 3. Gemitus, ſcreatus, tuſſis, riſus.

# ACTVS QVARTI
## Scena Tertia.

### PANTOLABVS SOLVS.

*Seazontes.*

*Abiit homo, vt iſtius pecuniam emungat*
*Omnem, tot callet artes, tot dolos nouit.*
*Principiò, dū aleam ludit, ſatis fingit*
*Se ludi indoctum, nonnunquàm & manus blandè*
*Remittit, qua re, velut hāmo illicit piſces*
*Eſca prætento: mox vbi incalet luſor,*

*Cupidini lucri auctioris incumbens,*
*Pecuniæ omneis grumos alea in lusum*
*Coniectos, iactu Vno facit suos: quippe*
*Lucrosam presso pollice Venerem mittit,*
*Quoties volt. Tum Caniculæ imperat, iactu*
*Vt ne cadat damnosa, id quod meo dudum*
*Didici malo, qui hic perdidi facultates*
*Meas: Ictus piscator sapio. Verùm hospes*
*Amissa re, protrudetur forás, dura*
*In quem fient exempla timeo: quid dixi*
*Timere me? Imò gaudeo, quòd minùs lædant*
*Communia mala. Quin adiutor accedam.*
*Miseriæ illius, quando res feret. Cur non*
*Mihi quoque liceat in alios, quod ipsorum*
*De me licuit licentiæ? Sed heus exit*
*A nobis nescio quis, si Leno sit miror.*
*Certè ipsus est. Quid quod commotus apparet?*

*Argumẽtũ.* A*Biit homo.*) In hac scena Pantolabus depingit Pamphagum artis alearum doctißimũ: adeóque venustè denarrat, quibus dolis sciat inescare doli ignaros homines, & pecunia emungere, vt veriùs geri res videatur, quàm narrari. Ait postremò suum sibi videri malum tolerabiliùs & leuiùs, si in eam decidat calamitatem Acolastus, in quam quondam prolapsus est: quòd minùs, inquit, lædant communia mala.

*Doctrina.* *Abiit homo.*) Quemadmodum si vnumquódque mẽbrum (vt inquit Marcus Tullius 3. Offic) hunc sensum haberet, vt posse putaret se valere, si proximi membri valetudinẽ ad se traduxisset, debilitari & interire totum corpus necesse esset: sic si vnusquisque nostrũ ad se rapiat cõmoda aliorum, pertrahátque quod cuique poßit, emolumenti sui gratia, societatem hominum & communitatem euerti necessum esse, hæc scena demonstrat.

*Abiit homo.*) In hac scena, quæ docendi instruendíque spectatoris caussa inducitur, mirè extrinsecus lepores

& facetię cernũtur, & sales comici. Id enim est artis poëticę vt cùm narrationi argumenti detur opera, iam tamen res agi, & comedia spectari videatur. Autor Donatus. *Abiit homo.*) Hæc proloqui oportet Pantolabum, vt ex eius persona reminiscatur spectator rei gerẽdæ simúlque ex huius personæ verbis, quid agat altera persona monstretur.

*Abiit homo.* *Abiit homo.*) Miram parasiti confidentiam ostendit cum ait homo, vt est illud Virgil.

*Donat habere viro decus, & tutamen in armis.*

Quis enim ignoret parasitum hominem esse? Sed quiddã ocultioris energiæ donat intelligi, quum eum hominẽ vocat, quale est illud Terentij in Eunucho, Act.2. Sce.2. Ibi homo cœpit me obsecrare, vt sibi liceret discere id de me. Rursus in Phor. Act.1. Sce.2. Est parasitus quidam Phormio, homo confidens.

*Emungere pecuniam.* *Emunctus.* *Emunctæ naris.* *Obesæ naris.* *Vt istius pecuniam emungat.*) Istius, haud dubiè quin Acolasti, sed per contemptum, vt suprà. *Pecuniam emungat.*) Pecuniis exhauriat ac denudet. Terentius in Phor. Act.4. Sce.4. Emũxi argento senes. Vnde emunctus, exhaustus dicitur apud Plautum in Bacch. Miserum me, inquit, aurũ esse emũctũ. Horatius per deflexionẽ emũctæ naris Lucilliũ appellat, id est, elegantẽ, facetum, nasutũ acri exactóque iudicio, quasi purgatis naribus, mucóque emunctis. Contrà, obesæ naris, stupidiores vocantur.

*Callere.* *Tot callet artes.*) Callere, perfectè scire est, quemadmodum superiùs diximus: Persius:

*Dicenda tacendáque calles.*

Terentius in Heaut. Act.3. Sce.3. Etenim quo pacto id fieri soleat, calleo.

*Ludo cum accusatiuo.* *Principio dum aleam ludit.*) Ludo hîc cum accusatiuo cõstruitur, vt apud Suetonium de Augusto: Aliquãdo vt vincat, aleam ludit.

*Fingere.* *Satis fingit se ludi indoctum.*) Cum satis addit, maximũ animi dolũ & imposturã cupit innuere, & rẽ abundè notã.

*Satis.* *Satis fingit se ludi indoctum.*) Fingere, quum peculiariter cõponere vel formare significet, generale tamẽ vocabulũ est ad omnia, quæ vel ingenio vel manu artificiosè formantur, Vnde & simulare significat, quòd quæ simulamus, ita formemus componamúsque, vt vera esse videantur. Terentius in Phor. Actus 1. Scena 2. Omnia hæc confingam, quòd

erit mihi bonum atque commodum, quum tu horum nihil refelles, vincam scilicet.

*Nonnunquam & manus blandè remittit* ] Mira poëtæ inuentio, cum blandè dicit, quasi humaniter, suauiter, populariter, & cum assentatione, vt faciunt illi, qui vt acriùs incitét eos, quibus cum ludunt, simulant se primùm ludi ignaros, quò auctiùs lucrum faciant. Hinc adulari dicimus, quoquomodo vel voce vel gestu fauorem quærere. Blandiri verò, propriè fit tactu. Quitil. Tu non cogitas quéadmodum suspensa manu sonantem blandè cardinem flectas. *Blande.* *Adulari.* *Blandiri.*

*Manus remittit.*] Fingens vtique eas præ negligentia laxare se. Vnde & animum remittere dicimus, quum curas deponimus, & negligimus. Cuius contrarium est intendere, sumpta vtrinque tralatione ab arcu. Cicero: Quæro non quibus intendam animum rebus, sed quibus remittã. Hinc remissio, relaxatio animi dicitur. *Manus remittere.* *Remissio.*

*Qua re.*] Duæ sunt dictiones.

*Velut hamo illicit pisces esca prætento.*] Est hîc figura Syllepsis, vt sit, illicit (incautos homines subaudiendum) velut hamo esca prætento pisces, supplendum, illiciuntur. *Syllepsis.*

*Velut hamo.*] Hamus, vncus est, quo pisces capiuntur. *Esca prætento.*] Quasi aliud quàm sit, ostenso. Metaphora ab aucupibus, qui auibus capiendis effundunt cibum. Contegitur autem instrumentum hoc piscatorium esca velut quodam illectamento, ne præsentientes pisces, à morsu resiliãt. *Hamus.* *Escã prætendere.* *Esca.*

*Esca prætento.*] Apposité de parasito dictum est, cuius artis est primùm velut escis quibusdam illectare iuuenes, vt postea totos deuoret. Vbi quidem notandum venit, escam per translationem, appellari illecebram illam, quæ trahit in fraudem. Vnde Plato (quemadmodum autor est Cicero in Catone maiore) voluptatem malorum escam dicit, quòd ea homines capiantur, vt hamo pisces. Vnde inescare homines hac metaphora dicit Terentius in Adelphorũ Actus 2. Scena 2. *Inescare.*

*Mox vbi incalet lusor.*] Incalere, valde calere est, ab in intentiua particula, & caleo. *Incalere.*

*Cupidini lucri auctioris incumbens.*] Incũbere propriè, est alicui rei obnixè operã dare. Vnde studiis, vel in studia incumbere adolescentem dicimus. Pergite, inquit Cicero, adulescentes, & in hæc studia, in quibus estis, incumbite. *Incũbere.*

*Cupido & cupiditas.* *Cupidini.*] Cupiditati:quanquā cupiditas leuior est,quàm cupido. vnde cupiditatem ex homine, cupidinem ex stulto nunquam tolli asserunt, quòd cupiditas, pars sit temperantior,defluens à cupidine.

*Auctior.* *Lucri auctioris.*] Ab augeo fit auctus,à quo auctior,id est, amplior,vehementior,auidior.

*Cacosyntheton.* *Pecuniæ omnes grumos aleæ in lusum coniectos iactu vno facit suos.*] Cacosyntheton est. Debet autem hic textus sic ordinari,Pecuniæ omnes grumos in lusum coniectos,facit suos, vno aleæ iactu.

*Grumi.* *Pecuniæ omnes grumos.*] Coaceruationes & aggeres pecuniæ,alludens vtique ad illam terræ collectionem, siue congeriem,minorem tumulo, quam grumum vocant, & quæ à Columella Cliuulus appellatur. Grumos, inquit, quos ad versuram plerunque tractæ crates faciunt, despicimus ita, necubi ferramentum fœnisecis possit offendere.hinc diminutiuum est Grumulus.

*Coniicere in lusum.* *In lusum coniectos.*]Pro lusu,vel ad lusum confertos,collectos, simul iacentes. Dicimus & coniicere in lætitiam & in gaudium.

*Vno iactu.*] Vna emissione,de quo superius egimus.

*Lusus talorū apud antiquos.* *Quippe lucrosam presso pollice venerem mittit.*] Pro præsentis,sequentiúmque locorum absoluta elucidatione, annotandum venit, veteres genere quodā Ossiculi lusisse, quod Talum & per diminutionem Taxillum vocabant: quod & nostra quoque ætate quibusdam in locis animaduertere licet.

*Talus.* Est autem talus,ossis genus in articulo pedis,vétre eminens,concaua in vertebra,solidissimis neruis ligatum,quadratum forma,altera parte concauum, altera ferè planum. Quanuis & fierent ex ebore, aut quauis alia materia. Situs itaque tali, numerū facit,eúmque pro lateris differentia diuersum.

*Canis siue Canicula.* Latus quod vnitatē significat,Canis, siue Canicula appellatur,in quem conuerso talo, deponebatur ab eo qui iactauerat,numus vnus, aut quantum inter se pacti fuerant, sine aliquo lucro.Idcirco dānosa Canis vocabatur.Persius:

– *Damnosa Canicula quantum*
*Raderet.* Ouidius:
*Quid valeant tali,quo possis plurima iactu*
*Figere damnosas effugiásque canes.*

*Venus seu Cous.* Eius oppositum Venus dicitur,siue Cous, significans se-

ptenarium numerum. Et is qui talorum iactu hunc numerum reddidisset, sex lucrifaciebat, quicquid præterea esset Caniculæ iactu erasum. Alia duo latera, Chius & Senio dicebantur, ternarium ille, hic quaternarium significans. Nam binarius & quinarius numerus, in talis non erat. Chius, tres numos lucrabatur. Senio, quatuor. Ideo dexter, hoc est, fœlix & propitius dicebatur. Persius:

*Chius.* *Senio.*

*-Quid dexter Senio ferret,*
*Scire erat in voto.*

Quod si pluribus positis talis eadem facies erat, pro vno accipiebatur, diuersitas numerum augebat. Duo Seniones, quatuor lucrifaciebant, Chius & Senio septem. Fuit etiam in talis aliquando octonarius numerus, quem Stesichoritem vocant, à sepulchro Sterichori poëtæ, quod talorũ octo figura conditum fuit. Aliæ quoque differentiæ in hoc ludi genere fuere, vt ferè in cæteris ludis accidit. Nam habebant & vultorios, & Herculem Basilicum. Plautus: Talos poscit sibi in manum, prouocat me in aleam, iacit vultorios quatuor. Talos arripio, Herculem iacio Basilicum. Quapropter ab Augusto scriptum legimus talis iactatis, vt quisque canem, aut Senionem miserat in singulos talos, singulos denarios conferebat in medium, quos tollebat vniuersos, qui Venerem iecerat. Hactenus de lusu Talorum.

*Stesichorites.* *Vultorius.* *Hercules Basilicus.*

*Presso pollice.*

*Presso pollice.*] Antiquitùs in pollice fauoris erat studiique significatio. Qui faueret, pollicem premebat, qui minùs faueret, pollicem conuertebat. Qui gestus, in prouerbiũ abierunt, vt iam premere pollicem dicatur, qui quoquo pacto fauet: conuertere qui malè vult. Plin. lib. 27. cap. 2. Pollices cum faueamus, premere etiã prouerbio iubemur. Iuuenalis:

*- Conuerso pollice vulgi*
*Quemlibet occidunt populariter.* Author Erasmus.

*Meo didici malo.*] Meo detrimẽto, mea iactura, meo damno: quanuis damnum, authore Donato, sit rei, malum verò hominis.

*Meo malo.*

*Qui hîc perdidi, &c.*] Hîc aduerbiũ loci non est, sed temporis, vt apud Virgilium:

*Hîc annis grauis atque animi maturus Alethes.*

*Hîc.*

Et Terentius in And. Act. 2. Sce. 3. Hic reddes omnia quę nunc sunt certa ei consilia, incerta vt fient.

*Qui hîc perdidi facultates meas.*] Facultates, opes dicũtur,

*Facultates*

quòd diues facilè quod vult agit. Facultas nempe propriè, est facilitas agẽdi. Aliâs pro potestate & copia sumitur. Authores Varro, Festus, & Diomedes.

*Ictus pisca tor sapit.* *Ictus piscator sapio.*] Prouerbium est, quod in eos conuenit, quos stultè factorũ serò pœnitet. Idque ferunt, authore Erasmo, ab huiusmodi quodam euentu natum. Cum piscator quispiam, piscibus, quos intra rete tenebat, manum admouisset, atque à scorpio pisce feriretur, ictus, inquit, sapiã. Itaque suo malo doctus, cauit in posterum. Simile est illi, quod suprà retulimus, factum stultus agnoscit.

*Protrudere* *Protrudetur foras.*] Protrudere, est violentia quadam expellere. Plautus in Asina. Ille ecastor hinc protrudetur. Terentius in Eunucho, Act. 2. Sce. 3. quatietur foras dixit, pro trudetur, siue expelletur. id est, verberibus, non expulsione, sed detrusione.

*Exempla.* *Dura in quem fient exempla.*] Exempla, graues pœnæ dicuntur atque tormenta, vel quòd pro exemplis narrentur, vel quòd documento sint cęteris, ne delinquant. Terentius in Eunucho, Act. 5. Sce. 5. Quid ais? In quem exempla fient? Item Act. 5. Sce. 7. Tu iam pendebis, qui stultum adolescentulum nobilitas flagitijs, & eundem iudicas: vterque in te exempla edet.

*Quid dixi timere me?*] Facetè semet redarguit ipsum ob timoris expreßionem, quum vtique illi potius lætandum esset ob sortem communem miseriarum.

*Minus lædunt cõmunia mala.* *Quod minus lædant communia mala.*] Miserorum leuamen atque solatium, est habere calamitatis cõsortes. Hinc & vulgari iactatur prouerbio, Commune naufragium, omnibus esse solatium. Multò enim faciliùs fertur malum, quod nobis est cum omnibus, aut cum multis commune.

*Accedere* *Quin adiutor accedam miseriæ illius.*] Vide infœlicium iuuamen. *Accedam.*] Adiungar, adero, præsto ero, id est, adiuuabo eius miseriam, quò fiat miserior.

*Res.* *Quando res feret.*] Res pro caussa, vel occasione.

*Licere.* *Licentia.* *Libertas.* *Quod ipsorum de me licuit licentiæ.*] Licuit, concessum fuit, & fato quodam permissum. *Licuit licentia,*] Mira quidem locutio & infrequens, sed venusta tamen, si intimiùs dispiciatur. Licentiæ autem dixit pro libertati: quia licentia dicitur, quum id sibi quis arrogat, quod non licet, qua vtique, teste Comico, fimus omnes deteriores. Libertas verò, quum

non deterretur, quin ea quæ honesta sunt, apertè agat, vnde licentior epistola dicitur, in qua nimis liberè scribimus. Licentiora mancipia, quæ nequiora sunt, quasi per multam licentiam facientia.

*Licentior epistola.*

*Quid quod commotus apparet?*] Venusta præparatio in subsequentem scenam. *Commotus.*] Perturbatus, atque contritus. Terentius in Phor. Act. 1. Sce. 4. Quidnã ille commotus venit? Et in And. Act. 1. Sce. 3. Sed quidnam Pamphilum exanimatum video?

*Cõmotus.*

# ACTVS QVARTI.
## Scena Quarta.

SANNIO, PANTOLABVS, PAMPHAGVS.

*Tetrametri omnes.*

*Dii immortales, quod hoc proluuium est? quæ istæc tanta largitas?*
*Salus si cupiat ipsa, non possit seruare istunc virum.*
PAN. *Mi Sannio, cuius quæso viri casum miseraris?* SAN. *hospitis.*
PAN. *Quid ille?* SAN. *Rem omnem amisit alea.* PAN. *Cuius captus dolis?*
SAN. *Cuius censes, nisi Pamphagi?* PAN. *Dixin' fore? O versutias*
*Hominis versipellis! Sed quid Acolastus?* SAN. *Perplexus iacet*
*In fermento.* PAN. *Censen' verò hominem hîc durare diu posse?* SAN. *Non*
*Equidem arbitror. Nam proximũ est, vt vel miser hospes præ inopia*
*Fugiat aliquò, vel finiat vitam laqueo, non viuere*

*Malens, quàm miserè viuere.* PAM. *Iámne erumpere hoc mihi gaudium*
*Licet? Proh Mercuri quàm dextro me aspexisti sidere!*
*Nunquam satis vos collaudem meos talos: vobis enim*
*Debeo, meam quod tuear vitam ab inedia. Sic censeo*
*Capiendos esse adolescentes istos pecuniâ ebrios.*
PAN. *Quis hic tam procaciter insultat dulci fortuna ebrius?*
PAM. *Sed vbi mihi nunc Pantolabus est, cogito.* PAN. *Me nominat.*
PAM. *Vt huius gaudij ille particeps fiat.* PAN. *Quid Pamphage?*
*Quid gestis obsecro?* PAM. *Quid gestiam rogas? Fœliciter*
*Cecidit alea. Viden' loculos vt auro multo turgeant?*
PAN. *Festiuum caput. Amabo, númnam lucrum tecum partiar*
*Vt conuenit?* PAM. *Non pugnabimus istic.* SAN. *Meis in ædibus*
*Tibi parta res est, quare quod hic ius publicum est, redde.* PAM. *Accipe*
*Prædæ partem, quò post queã integra vti amicitia tua.*
SAN. *Quis soluet ius hospitij?* PAM. *Quid id autem mea?* SAN. *ædeis in meas*
*Tu introduxti hominem.* PAM. *Sunt ei vestes.* SAN. *Quid tum?* PAM. *Illas exue*
ἀχρήματον *nebulonem. Quod si illinc nihil resoluitur,*
*Redito ad me, faciámne quid querare.* SAN. *Vbi decoctor est?*
PAM. *Ab alueo intrò proruit commotus, Laidis, nisi*
*Fallor, fruendæ gratia, dolorem complexu vt leuet.*
SAN. *Abeo, vt meum ius postulem.* PAN. *Age Pamphage,*

*phage, sortem mihi face*
*Diuiduam.* PAM. *Ne nihil habeas, cape.* PAN. *Tantillum?* PAM. *Non amplius.*
PAN. *An hæc promissa fides est?* PAM. *Irritor, nisi desinas.* SAN. *Papæ,*
*Rixantes audio, quos animis rebar coniunctos benè.*
PAM. *Quos?* SAN. *Istos. De plumis amator surda sit supplex Laidi.*
*Vos adiutate me præcor, ô boni, vt resoluat debita.*
PAN. *Agedum fores stipemus, ne effugiat hodie nostras manus.*

D*Ii immortales.*] Sãnio in hac scena inducitur, qui & prodigalitatẽ admiratur Acolasti, & ruinã eius deplorat, quòd videlicet eum suis dolis Pamphagus ita circunuenerit, vt sua omni exhauserit pecunia. Inducitur & Pãphagus, qui ob lucrum, gaudium suum erumpit, & suis talis congratulatur, & prodigo subsannat: quódque iuris erat publici postulanti Sannioni ex præda impartit. Idem facit & Pantolabo. Ad postremum, constipantur fores, ne prodigus eorum manus effugiat, donec tum Lenonis, tum scorti ius omne persoluerit. *Argumentum.*

*Dij immortales.*) Quemadmodum locus in mari sine portu, nauibus non potest esse tutus (vt inquit Marcus Tullius lib. 1. de inuẽtione) sic animum sine fide stabilem amicis esse non posse in his rebus, quæ sub eandem rationẽ cadunt, hęc scena nobis præbet & exemplar & documentum. *Doctrina.*

*Dij immortales.*) Admirantis exclamatio est, cum lenonis commotione. Sic Terentius in Eunucho, Act. 2. Scen. 2. Dij immortales homini homo quid præstat! *Dij immortales.*

*Quod hoc proluuium est?*) Proluuiũ seu proluuies, per trãslationem dicitur profusio & prodigalitas, quum quis videlicet more aquæ opes profundit, hanc Græci προθυμίαν dicunt, vt author est Donatus, id est, prõptum animum ad largiendum. Terẽtius in Adel. Act. 5. Sce. 9. Quid istuc? quæ res tam repente mores mutauit tuos? Quod proluuium? Quæ istæc subita est largitas? *Proluuiũ.*

*Quæ istæc tanta largitas?* Hic largitas pro profusa prodi- *Largitas.*

galíque largitione sumitur.

*Salus si cupiat ipsa non poßit seruare istunc virum.*) Hîc prodigi deploranda cõtinetur calamitas, & est locus ab impossibili. *Salus si cupiat ipsa.*) Salus apud veteres, salutis dea credita est, à qua salutaris porta Romæ appellata ab huius Deæ æde, quam ei proximam tradunt. Ab ipsis verò cultam sub lunæ nomine, author est Macrobius Satur. 1. quòd lunaris naturæ effectus sit, quo animantium corpora iuuantur, à salutifero firmata tẽperamento, sicut vis Solis subuenit animis corporibúsque mortalium, quem etiam sub AEsculapij titulo venerabantur.

*Salus.*

*Non poßit seruare istunc virum.*) Seruare, vt pereũtem, non mederi vt ægro. Sic Terentius in Adelph. Act. 4. Sce. 7. Ipsa si cupiat salus, seruare prorsus non potest hanc familiam.

*Seruare.*

*Cuius quæso viri casum miseraris?*) Lepidè miseraris dixit, non misereris. Nam miserari, est deplorare ac lamẽtari, hoc est, verbis aut opere dolorem quem ex alicuius miseria habeas, ostendere. Vendicátque sibi accusatiuum. Sallust. Eos multa pollicendo, ac miserando casum suum confirmat. Misereri verò, est ex alicuius miseria animo anxium esse.

*Miserari.*

*Misereri.*

*Quid ille?*) Subaudiendum fecit.

*Dixin' fore?*) Hoc cum quadam admiratione gestúque parasitico pronunciandum.

*Dixin' fore*

*Dixin' fore?*) Ibi, Abiit homo, vt istius pecuniã emungat.

*O versutias hominis versipellis!*) A versutus fit versutia, qđ calliditatem ac malitiam significat. Dicitur autem versutus, interprete Marco Tul. lib. 3. de nat. deor. à versando, vtpote cuius tanquam celer rota mens versatur. Plaut. in Epid. versutiores quàm rota singularis. Ponitur tamen pro perito apud eũdem Plautum, cum ait: Nec magis versutum, nec quo careas ægriùs. Propriè tamen versutus dicitur, qui mentem crebrò ad malitiam vertit.

*Versutia.*

*Versutus.*

*Hominis versipellis.*) Versipellis, versutus & dissimulator hinc dicitur, quòd facilè pellem vertat, hoc est, vultũ & adparentiam, & quomodolibet faciem mutet, videlicet modò vnum, modò aliud ostendens. Plautus in Amphit. Versipellem se facit, quando lubet.

*Versipellis.*

*Sed quid Acolastus?*) Deest facit, vel dicit.

*Perplexus iacet in fermento.*) Perplexus dicitur, qui periculoso negotio cõsternatur animo, nec rationem inuenit qua

*Perplexus.*

explicet ſeſe, quique deſperat vllum ſibi affulgere ſubſidium.

*Iacet in fermento.*] Iacere,inquit Eraſmus,in fermento dicebantur, qui animo eſſent ægro, quique iracundia turgerent.Plautus in Mercat. Vxor tua in fermento iacet, pro eo quod eſt,intumeſcit ira. Item in Caſina, Nunc in fermento tota eſt,ita turget mihi. Nota verò tralatio eſt,fermentũ enim & acorem habet & tumorem. Vnde & in diuinis literis fermentum, malitiæ rancoriſque ſignificationem habet. Epulemur,inquit diuus Paulus,non in fermento veteri,neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azimis ſynceritatis & veritatis.1.Cor.5.

*Iacere in fermento.*

*Proximum eſt.*] Breui aderit. Proxima quippe, vt ait Donatus, nobis aut præterita aut futura ſunt. Nam præſentia ea ſunt,in quibus nunc ſumus.

*Proximum eſt.*

*Vt miſer hoſpes.*] Miſer is dicitur,cui animæ miſeria eſt,& qui flebilis,aut calamitoſus exiſtit.Terentius in Heaut.Act.4.Sce.7.Vah fruſtra igitur gauiſus miſer.

*Miſer.*

*Præ inopia fugiat aliquò,aut finiat vitam laqueo.*] Hęc ſunt deſpõdentiũ animũ propria: Vnde Demea ille Terẽtianus de filio ſuo ferè iã perdito ſic coniiciebat quod futurũ erat: videre,inquit,videor iam diem illũ, quum hinc egens ꝓfugiet aliquò militatum.In Adel.Act.3.Sce.3.Et apud Plautũ, qui vitæ tædio tenebatur,optat numũ,quo reſtim emat. In re etenim vehemẽter indigna,neque vllo pacto toleranda veteres arborem ſuſpẽdio deligendam eſſe dicebant. Rurſus Plautus in Curcul. Mea præda illa eſt,proin tute in laqueum duas.Hinc illud quod ſuprà retulimus,ad reſtim res rediit.

*Finire vitam laqueo*

*Non viuere malens,quàm miſerè viuere.*] Antitheſis, id eſt, contrapoſitũ iucundum ſchema augendis rebus,quale eſt illud in Catilinam:Honeſtè viuere cum non poſſet, turpiter perire maluit. Qui laudis virtutiſq; ſplẽdore charus omnibus eſſe non potuit,maluit vitiorũ turpitudine cunctis eſſe infenſus. Alludit autem ad vetus illud prouerbium quod Marcus Tullius Epiſtolarum familiarum libro 7. refert in hunc modum. Vetus eſt,inquiens, vbi non ſis qui fueris,nõ eſt cur velis viuere. Et rurſus: Ita viuere, vt non ſit viuendum, miſerrimum eſt. Quod alioqui ſumptũ ait Eraſmus,à cõmuni mortaliũ affectu,qui nihil minus tolerandũ putant,

*Nolle viuere præ tædio*

quàm vt inter eos neglecti aut etiã notati viuant, apud quos aliquando cum splendore atque authoritate sint versati. Adeò vt exilium vbiuis præoptét potiùs, aut etiam è vita decedere, quàm mutatæ fortunæ pudoré perpeti. Id quod notauit Euripides in Hecuba, quam ita facit loquentem, vt dicat sibi pudorem in caussa, quo minùs obtueatur Polymnestorem. Afferens pudere in tam calamitoso rerum statu conspici ab eo, cui aliquando visa sit florens.

*Erumpere gaudium.*

*Iam ne erumpere hoc mihi gaudium licet?*) Pamphagus maximè lętus ob imposturam prodigo factam, iam in mediũ prosilit, sua immoderatiùs erupturus gaudia, vt facere assolent victores capta præda, dum diuidũt spolia. Erumpere autem gaudium, exclamare est præ gaudio, quemadmodum erumpere vocem dicitur, qui exclamat, vel vocem emittit. Sic Terent. in Eunu. Act. 3. Sce. 5. Iam ne erumpere (inquit Chærea ob vitium illatum virgini) hoc licet mihi gaudium?

*Proh.*

*Proh Mercuri.*) Proh, exclamantis interiectio est, vt illud in iam aduocata comœdia & Actu, & Scena: Proh Iupiter.

*Mercurius*

*Proh Mercuri.*) Mercurium appellat, potiùs quàm alium quempiam è diuis, vel quòd bene vertere negotia credatur: vel quòd subdolum & versipellem vocitent: vel ꝙ auctionibus & mercimoniis præesse fingãt: vel quòd vitæ dux sit, vt apud Homerũ Priamo: vel quòd imposturę pręsit, & pręstigiarum repertor credatur: vel quòd lucris augeat negociatores, vel deniq; quòd in certaminibus præconiis vice fungatur, & deorum minister sit. Veteres nanque quondam in iactu alearum, solebãt ominis gratia pręfari Mercurium. In ducẽdis quoq; sortibus, ea quæ prima erat, dici solebat Mercurius. Quò fit, vt qui de summa periclitantur, dicantur omnem iacere aleam: qui verò primùm tentãt aliquid, dici possunt Mercurium ducere. author Erasmus.

*Iacere aleam.*

*Dextro sydere.*

*Dextro sydere.*) Perinde est ac si diceret, fœliciter atq; auspicatò, propicióque ac fauẽte sydere, ꝙ syderibus quęque afflentur mortalia: vnde & sinistro sydere dicitur. Eiusdem quoque generis est, sed obscurius quod apud Horat. in sermo. legitur, amico hercule: item apud Persiũ dextro herculo & Ioue dextro, quorũ interpretamẽta apud Erasmũ leges. Videtur aũt ad hoc prouerbiũ alludere, semper fœliciter cadunt iouis taxilli: dicitvtique solitũ in eos quibus res omnes perpetuo quodã fortunæ fauore, ex animi sẽtẽtia cedunt.

*Nunquam satis vos collaudem meos talos.*) Collaudem, pro collaudabo, vel collaudare possum. Eleganter autem & pro more parasitico ad suos talos sermonem cōfert, vt quorum opera atque beneficio, voti compos euaserit, quod alioqui dudum omen lætum portenderat. *Collaudare talos.*

*Vobis enim debeo meam quod tuear vitam ab inedia.*) Tueri, cum secundæ inflexionis est, defendere significat, & ablatiuum quandóque habet interposita præpositione, vt hîc. *Tueri.*

*Capiendos.*) Inescandos, irretiendósque, ex tralatione ferarum, atque venatus. Horatius in Sermo. *Capiendus.*

*Te coniux aliena capit meretricula Dauum.*

Terentius in And. Act. 1. Sce. 1. Habet, captus est.

*Pecunia ebrios.*) Ebrij pecunia dicuntur, qui ea pleni sunt atque affluunt, ducta tralatione ab iis, qui nimio potu alienati sunt mente, quòd pecuniosi sint plerūque intemperantiores, & malè sani. Vnde Cato voluntariam insaniam appellabat ebrietatē, hac vtique ratione adductus, quòd ebrij (vt author est Macrobius Satur. 7. cap. 6.) laborent tremore membrorum, linguæ titubantia, abundantia loquendi, iracundiæ concitatione. Plautus: Facite mihi cœna vt ebria sit, id est abundans & opiparè parata. *Pecunia ebrios.*) Pecunia, ebrios reddit, quòd ea ita temulenti reddantur qui pecuniosi sunt, vt non aliter suas effundāt pecunias, quàm sermones inter pocula solent ebrij. Hinc prouerbium: Citra vinum temulentia. *Pecunia ebrij.*

*Quis hic tam procaciter insultat dulci fortuna ebrius?*) Horatianum est hoc, qui insolentiam ebrietatem vocat ad hūc modum: fortunâq; dulci ebria, &c. Perbellè autem dulcem appellat fortunā, nimirum quòd maximè ad se alliciat. Nihil est, inquit Marcus Tullius, magis optandum homini, quàm prospera, æquabilis, perpetuáque fortuna, secundo sine vlla offensione cursu. Hæc ille ad Quirites post reditū. *Dulcis fortuna.*

*Tam procaciter.*) Tam insolenter, tam inuerecundè, tam petulanter. Fit autem procacitas (à qua procaciter) à procando, hoc est, poscendo. Procare nempè, authore Donato, poscere est nimiùm lasciuè. vnde procaces meretrices ab assiduè poscendo dicuntur. Et proci, vxorem poscētes in matrimonium, vel in eandem libidinem nimia adpetentia conspirantes. *Procaciter. Procare. Procaces. Proci.*

*Insultat.*) Irridet, vel contumeliosiùs in alium dicit, fa- *Insultare.*

citve,fit autem ab in particula & ſalto,a in u mutata. Terẽtius in Eunucho. Act.2.Sce.2. Ne tu iſtas faxo calcibus ſępe inſultabis fruſtra. Aliâs inſilire ſignificat. Vergilius.

*Inſultare ſolo,& greſſus glomerare ſuperbos.*

Mihi. *Sed vbi mihi nunc Pantolabus eſt, cogito.*) Eleganter mihi interſeruit, vt Terentius in Heaut. Act.2.Scen.1. Is mihi vbi adbibit plus paulò,ſua quæ narrat facinora! Et in Phormio. Act. quinti, Scena nona. Qui mihi vbi ad vxores ventum eſt,tum fiunt ſenes.

Me nominat. *Me nominat.*) Sermonem Pamphagi intercipit, vt hac re quàm cupidè ipſum conuenire velit ſignificet, cauſſámque, noſſe tanti gaudij.

*Vt huius gaudij ille particeps fiat.*) Cõtinuatio eſt pręcedentis ſermonis,quem interrupit Pantolabus.

Particeps. *Vt huius gaudij ille particeps fiat.*) Particeps dicitur,qui rei alicuius partẽ capit. Dicitur autẽ particeps gaudij, & in gaudio. Eadem loquendi formula vtitur damus apud Teren. in And. Act.2.Sce.2. Sed vbi,inquit, inueniã Pamphilũ,vt metum,in quo nunc eſt,adimã, atque expleam animũ gaudio?

Fœliciter cecidit alea. *Fœliciter cecidit alea.*) Prouerbialis figura eſt, pro eo quod eſt,fortuna fauente caſuque ſecundo, omnia mihi ex animi ſentẽtia ſucceſſerunt. Alea quippe fortunę potiùs ludus eſt, quàm artis. vnde tropicę ſi quando ancipitem rei euẽtum ſignificamus,quaſi nõ ab arbitrio iacientis,ſed à fortuna pendentis,aleam iaci dicimus, hinc Plutarchus ſimilem eſſe dixit vitam humanam alearũ ludo, in quo & iacere oporteat accommoda,& iis,quæ ceciderunt,rectè vti. Quid cadat,id in manu eſt fortunæ: diſtribuere verò rectè, quæ ſorte ceciderunt, id in nobis ſitum eſt. Quam collationem imitatus. Terentius in Adel. Act. 4.Sce 7. vita hominum,inquit,perinde eſt quaſi ludas teſſeris, vt quod iactu non cecidit, id arte vt corrigas.

Iacere aleã.

Feſtiuum caput. *Feſtiuum caput.*) Donatus ait hanc orationem per Sinecdochen efferri, vt pars ſit pro toto, quæ aut eminet ex toto, aut maioris precij eſt ad id quod agitur. Nam per caput Pamphagi intelligitur ipſe Pamphagus, vt apud Terentium in Adelphis, Act. ſecundo,Scena tertia. Feſtiuum caput, qui omnia ſibi poſt putauerit eſſe pro meo commodo. Feſtiuum autem dicitur id quod iucundum eſt & lepidum,vt feſtiua oratio,feſtiuus ſermo,feſtiuum dictũ. Di-

Feſtiuus.

citur & festiuum gaudium, pro festum.

*Amabò.*) Interiectio est amantis, siue hortãtis aduerbiũ, si Linacro credimus, qualia sunt amabo te, sodes, sultis, & ehodum. Quidam tamen pro gratum erit accipiunt. Terentius in Eunucho, Act. 3. Sc. 3. Si istuc ita certum est tibi, amabò, vt illuc transeas, vbi illa est. Gellius libro vndecimo. Amabò fili mi quiescas, neque deseras, neque criminare aduersus iunonem. *Amabò.*

*Vt conuenit.*) Vt pactum est inter nos. Nam priùs spopõderat communi se id facturum sorte. *Vt cõuenit*

*Istic.*) Pro ista re. Sumitur nempe pro iste apud Terentiũ in Heaut. Act. 2. Sce. 3. Abeas si sapis. Respondetur, Quid istic? Manebit. *Istic.*

*Tibi parta res est.*) Id est, acqu isita. Virgil. *Tibi parta res est.*

*Ite ait egregias animas quæ sanguine nobis*
*Hanc patriam peperere suo.*

*Quod hîc ius est publicum redde.*) Ius triplex est, Singulare, publicum, consuetudinis. Singulare dicitur, quod contra tenorem rationis, obaliquam vtilitatem, authoritate constituentium introductum est. Publicum, quod in cõmuni est consuetudine & vsu, quemadmodum & publica verba. Vel quod in morem vetustas vulgi approbatione produxit. *Ius triplex*

*Quò pòst queam integra vti amicitia tua.*) Vtimur semper rebus bonis ac necessariis, diuinis quoque & inanimatis, vt domo, diligentia, consuetudine, studio, amicitia. Terentius in Hecyra, Act. 1. Sc. 2. Aliàs vt vti posim caussa hac integra. *Vti.*

*Quid id autem mea?*) Deest verbum interest, quo vsus est Terentius pro differentia in Adel. Act. 1. Sce. 1. Hoc inquit, pater ac dominus interest.

*In ades meas tu introduxti hominem.*) A consequentibus.

*Quid tum?*) Hac voce vtimur, quum leuiora contemnimus. Terentius in Hecyra, Act. 4. Sce. 1. Quid tum postea, si molestè, ac raró hoc facit? *Quid tum*

*Illas exue ἀχρήματον nebulonem.*) ἀχρήματος, egens pecuniarum & indigus dicitur, ab ἀ priuatiua, particula & χρῆμα pecunia. Potest quoque interpretari vilis, contemptus, triobolaris, ac nullius precij homo. Gal. *bellistre, marault, coquin, poulleux.* *ἀχρήματος*

*Illuc.*) Ex illa parte.

Resoluere. *Resoluitur.*)Satisfit,vt est illud Terentij in Adel.Act.2. Sce.1.Neque tu verbis vnquam solues, quod mihi re malefeceris, Aliâs destruere est.Virgil.1. Geor.

*Inuitat genialis hyems,curásque resoluit.*

Queri. *Faciam ne quid querare.*) Ne in aliquo de me conqueraris & expostules.

Alueus. *Ab alueo intro proruit commotus.*)Alueus hic lacum in balneis significat.Sumitur & pro tabula aleatoria,à quo diminutiuum alueolum.Ponitur & pro ventre cuiuslibet rei inanimatæ,vnde & pro fluminis fossa,per quā labitur flumē, quandoque capitur.

Frui. *Laudis fruendæ gratia.*)Rectè fruendæ dixit. Quippe frui propriè authore Donato est delectationem fructúmque capere,non proprietate potiri.Terēt.in Phor.Act.1.Sce.3.ita me dij ament,vt mihi liceat tandiu quod amo,frui.

Leuare dolorem. *Dolorem complexu vt leuet.*) Extenuet leuémque faciat:vel prorsus auferat. Virg.

*Nostrûmque leues quæcunque laborem.*

Id est,leuem facias,interprete Seruio.

*Abeo,vt mecum ius postulē.*) Haud dubiè quin lenoninū. Sic Sánio apud Ter.in Ad.Act.2.Sc.1.Egó meū ius ꝑsequar.

Diuiduū. *Sortem fac mihi diuiduam.*)hoc est,diuide:id quod alia locutione dicimus, fac mihi partem. Diuiduum autem dicimus,quod separabile & separatum est,à diuisione, sicut dimidium à dimensione.Est autem figura Macrologia.Terēt. in Adel.Act.2.Sc.2. Potiùs quàm venias in periculū Sánio, serues ne an perdas totum, diuiduum face. Plautus in Rud. diuiduum talentum faciam. Id est,in duas partes diuidam.

Macrologia.

Tantillum *Tantillum?*)Deest tribuis,vel adnumeras.Id autem summa cum indignatione, atque stomacho pronunciandū est. Est autem tantillus tertio gradu diminutionis diminutiuum à tantus. *Tantillum?*)Perinde est ac si diceret,Adeóne tam pusillam partem ex tātó lucro mihi tribuis,qui pollicitus fueras, id ex æquo inter nos duos partiendum?

An hæc promissa fides est. *An hæc promissa fides est?*) Virgilianum est in sexto Aeneidos. Sic Terentius in Andria Act.2.Sce.5. Nulláne in re esse homini cuiquam fidem? Verum illud verbum est, volgò quod dici solet, Omnes sibi meliùs malle, quàm alteri.

Irritari. *Irritor.*)In iram prouocor,commoueor, succenseo. Tra-

ctum à canibus, qui cum prouocantur irruunt. Vel quòd restrictis dentibus, R literam imitentur. Author Donatus. Terent in And.Act.3.Sce.4.Potes nunc, dum animus irritatus est.Et Plautus in Amphitryone irritare crabrones dixit.Est autem frequentatiuum ab irruo,per v in i mutationem,euphoniæ gratia.

*Rixantes audio.*]Rixari iurgari est & contendere: fictitiũ quidem verbum à ringendo,quod canum est quando irritantur. Vel quia, vt Festus ait, in diuersum rumpantur & contrarij sint ricto. *Rixari.*

*Benè.*]Multum,vt apud Terentium in Hecyra,Act.2. Sc. 1. Primũ dies cõplusculos benè cõueniebat sanè inter eos. *Bene.*

*Quos?*]Inducit rogantem Pamphagum poëta, quò spectatoribus adpareat non inter parasitos hanc turbam obortam velle intelligere Sannionem, sed inter Acolastum & Laidem: quod & inaudierat, cum iisset ius suum postulaturus.

*Istos.*] Odiosè & contemptim. Iste nanque pronomen spernentis est,& odium demonstrantis. Terẽtius in Eunucho,Act.1.Sce.2.Cum milite isto præsens absens vt sies. *Iste.*

*De plumis amator surdæ fit supplex Laidi.*] Vide rerum vicissitudinem,supplicat qui priùs imperabat:sese meretrici summittit,qui paulò ante, nullis ne diis quidem se cessurũ pollicebatur. Sed hæc omnia ab inconstantia manant, simul & arrogantia, quæ plerunque in adolescentibus tanta est,vt motus animi appetentes nullo pacto regere & sedare posint,sempérque aduersante libidini(vt verbis Ciceronis vtar)moderatam in omni re seruare nequeant constãtiam.

*Amator.*]In hoc nomine contemptus est & odiũ, quòd amator sit(quemadmodũ superiùs diximus)qui ad tẽpus & solum corpus amat:amicus,qui perpetuò & animum amat. Amator,quandiu fuit superstes pecunia : nunc supplex & plorabundus,quum consumpta est & lusu deperdita. *Amator.*

*De plumis.*]Plumarum nomine,puto res leues,vacuas,inanes,& nullius momenti, hoc est promissa, falsa intelligi, quòd plumæ leuitas maxima insit & agilitas, & pro ventorum,motu circunagatur.Vnde quę falsò promittuntur,nec ad effectum perducuntur,plumas appellari existimo. Hinc à Plauto in Menech Erotium meretrix esse leuior pluma dicitur. Et à Marco Tullio ad Attic. lib.8,hæc effertur sentẽ- *De plumis.*

tia. Nec me COS. mouent, qui ipsi pluma, aut folio facilius mouentur.

Adiutare. *Vos adiutate.*) Comicè, simul & vetustè, pro adiuuate, vt apud Terentium in prologo Phormionis: Quem actoris virtus nobis restituit locum, bonitásque vestra adiutans, atque æquanimitas.

Resoluere debita. *Vt resoluat debita.*) Soluat quod debet iure hospitij.

Stipare. *Agedum fores stipemus.*) Occludamus. Est etiam stipare. circundare aliquem defendendi caussa. Liuius lib. I. Stipatus agmine armatorum, in forum irrupit.

Effugere. *Ne effugiat.*) Euadat. A quo effugium, & effugia, giæ.

# ACTVS QVARTI Scena Quinta.

LAIS, ACOLASTVS, SYRA, SANNIO, PANTOLABVS.

Trochaici Catalectici

QVIN *soluis noctem sceleste?* ACOL. *Quæso te Lais mea.* LAIS. *Quid Lais mea? an tibi adeò digna videor, quam dolis*
*Sic illudas, & spe vana producas?* ACO. *Numerabitur*
*Aurum tibi.* LAIS. *Quando? ad Græcas Calendas?* ACO. *Non, sed ad.* LAIS. *Satis*
*Iam diu dedisti verba nobis.* ACO. *Audi obsecro te.*
LAIS. *Quem audiam? Quid audiam?* ACO. *Quæso Paulisper.* LAIS. *Hem Syra.*
SYRA. *Quid vis?* LAIS. *Vestem huic detractam.*
SYRA. *Quid ita?* LAIS. *Quia lubet: cape*

*Vestem.* ACO. *Itan' Lais?* SAN. *Mea hic res agitur. Hem Lais, satis*
*Hoc sit exuuium tibi: mihi cedant hæ manubiæ,*
*Ensis cum pileo.* PAN. *Quod reliquum est prædæ, nostrum est, exue.*
ACO. *Vis quidem est hæc, obsecro, ô populares.* PAN. *Quin os comprimis?*
ACO. *Haccine fieri flagitia in libera ciuitate? Vah,*
*Totus deglubor miser. Num nam relinquetis mihi*
*Amiculum?* PAN. *I sanè iam quò vis.* SAN. *Vapula.*
ACO. *Hei hoi verbera*
*Insuper misero additis?* SAN. *Diuortite ad me omnes simul.*
LAIS. *Heus tu nebulo, respice ad me, vestitum hũc depexum habe.*

Quin soluis noctem.) Hac in scena Prodigus, omni re sua luxu lusúque deperdita, cum nihil superesset vnde tum Scorti tum lenonis ius persolueretur, ab iis tãdem & suis exuitur vestibus, & verberibus affectus, seminudus foràs ad porcos agendos protruditur. *Argumẽtũ*

*Quin soluis noctem.*) Quemadmodum hirundines (vt ait Marcus Tullius) æstiuo tempore præstò sunt, frigore pulsę recedunt: ita falsos amicos sub Laidis persona sereno vitæ tempore præstò esse, simul atque fortunæ hyemẽ viderint, deuolare omnes, & à misero quicquid adhuc possunt recędendo abripere, hæc scena nobis exemplo est, & documẽto. Quod & his verbis confirmat Horatius: *Doctrina.*

*Vilis amicorum est annona bonis vbi quid deest.*
*Paßim habentur amici qui petant: qui dent, perpauci.*
*Perit honos homini amicis orbato.*

Id est, pecuniis.

*Quin soluis noctem sceleste.*) Conuitiis incipit lacessere, quem se tantopere paulò superius amare simulabat. *Quin.*

*Quin.*) Cur non. Terentius in Heaut. Actus quarti, Sce. septima. Hei, quid hic stas? quin accipis? *Sceleste.*) Scelestus *Scelestus.*

propriè, dicitur ſceleratus, impius, flagitioſus, & contaminatus, à ſcelero verbo quod polluere ſignificat. Terentius in Eunucho, Act.4. Sce.4. Exi foras ſceleſte: at etiam reſtitas? fugitiue prodi, malè conciliate.

*Sceleroſus.*

*Soluere noctem.*

*Soluis noctem.*) Quod pro nocturno concubitu debes, quod ſanè magnum erat. Nullum etenim ad ſe admittebat, niſi daret, quod poſcebat illa, ſicut ſuprà diximus.

*Illudere dolis.*

*Quam dolis ſic illudas.*) Derideas, vel ſeducas: Cuiuſmodi eſt illud Simonis in Andria Terentij act.3. Sce.2. O Daue, itáne contemnor abs te? aut itáne tandem idonens tibi videor, quem tam apertè fallere incipias dolis? Rurſus in Heaut. Act.4. Sce. 4. Bacchis Meretrix ita loquitur Syro paulò differenti diutiùs extorquere à menedemo decem minas quas poſcebat illa: Quam rem agis ſcelus? Dignam me putas, quam illudas? dicimus autem illudo tibi, illudo te & illudo in te, pro inſulto. Terentius in And. Act.4. Sce.5. Adeóne videmur vobis eſſe idonei, in quibus ſic illudatis? Et in Eunucho, Act. 5. Sce. 4. Ego pol te pro iſtis dictis & factis ſcelus vlciſcar, vt ne impune in nos illuſeris.

*Spe vana producere.*

*Et ſpe vana producas?*) Tuis pulchris lepidíſque pollicitationibus protrahas, atque ita cunctanter proroges. Quæ ſignificatio fruſtrationem commonſtrat, vt faciunt comperendinatores, nouam ſubinde cauſſam comminiſcẽtes, quò negotium proferant. Aut illi, qui nimis anxiè & ſuperſtitioſè rei gerendæ captant opportunitatem. Sic Charinus de Pamphilo expoſtulans apud Terentium in And. Act. 4. Sce.1. Non tibi ſatis eſſe hoc viſum ſolidum eſt gaudium, niſi me lactaſſes amantem, & falſa ſpe produceres?

*Quando.*

*Quando?*) Hoc maxima cum arrogantia, ſimul & furia.

*Ad calẽdas Græcas*

*Ad calendas Græcas?*) Prouerbium eſt, quo & vſum quondam fuiſſe tradunt Auguſtum. Cum enim ſignificare vellet (vt recenſet Eraſmus) aliquem nunquam ſoluturum mutuum, dicebat eum ad Græcas calendas ſoluturum. De quo in ipſius vita ſcribit Tranquillus ad hunc modũ. Quotidiano ſermone, inquit, quædam frequentiùs, & notabiliter vſurpaſſe eum, literæ ipſius Authographi oſtentant. In quibus idemidem quũ aliquos nunquam ſoluturos ſignificare vult, ad calendas Græcas ſoluturos ait. Hinc autẽ deductum eſt prouerbium, quòd Græci calendas non habeant

more Latinorum, sed nouilunia. Apud quos id moris erat, vt ad lunæ recursus soluerẽt vsuras. Huic penè similia sunt, quæ nunc inter eruditos iactantur. Anno magno Platonis: Cùm mula pepererit: Acessei luna: vbi per arma fulgurarit, & complura alia.

*Non, sed ad.*) Decora Aposiopesis, & prodigo sua omni dilapidata substantia vix hiscere auso accommoda. *Non*) Subaudiendum numerabitur tibi aurum ad calendas Græcas, sed ad, subaudiendum pręsentes vel pòst paulò futuras, hoc est, statim, protinus.

*Aposiopesis. Ad.*

*Satis iam diu dedisti verba nobis.*) Iam diu, id est, multo iam tempore, vbi quidem continuatio temporis significatur, non momentanea actio. Iam diu dedisti verba nobis, adhuc tamen non desinis.

*Iam diu.*

*Dedisti verba nobis.*) Dare verba, fallere est, quòd qui rẽ expectat, & nihil præter verba inuenit, deceptus sit & falsus. Terentius in Adel. Act.4. Sce.4. Abi, abi iam, satis diu verba dedisti nobis: satis adhuc tua frustrata est fides. Persius, Saty.4.

*Dare verba.*

*Vt manus, da verba, & decipe neruos.* Ouidius.

*Verba dat omnis amans.*

Huic confine est, Sublinire os.

*Audi obsecro te.*) Plorabundè & misericorditer scortum implorat, quasi quæ ad vim inferendam accingatur.

*Quem audiam.*) Emphasis est. Quasi diceret, eum ne, qui pecunia adeò exhaustus sit, vt ne obolus quidem restet, quo laqueum emat? An miserabilem, deridiculúmque hominem, ac me modis omnibus illudentem?

*Quẽ audiã*

*Quid audiam.*) Vanáne ac inania pollicentem? hinc illud: De plumis amator surdæ fit supplex Laidi.

*Quid audiam.*

*Quæso paulisper.*) Rursus ad blanditias redit, tentaturus num eam per vim ius suũ postulátem quoquomodo ad misericordiam flectat, inuertat, & emolliat. Sed quid muliere peius, aut audacius? Aut amat, inquit Seneca, aut odit mulier, nihil est tertium.

*Vestem huic detractam.*) Enallage est, pro volo vt huic vestem detrahas. Detrahere autẽ propriè exuere est quicquid manu contingi aut detrahi potest, vt sunt vestimenta, socci, palmites, & huiusmodi. Terentius in Heaut. Act.1. Sce.1. Assido, accurrunt serui, soccos detrahunt.

*Enallage. Detrahere.*

*Quid ita.* *Quid ita?*] Supplendum est verbum dicis, vt sit, Quid ita dicis? Quam sanè locutionem, vnam esse partem orationis asserit Donatus.

*Lubet.* *Quia lubet.*] Lubet superbum est & meretricium verbū. Sic Thais in Eunucho Terentij, libuit dixit.

*Itan' lais?*] Deest mecum agis, vel vim facis.

*Mea res agitur.* *Mea res hîc agitur.*] Terentius in Heaut. Act. 2. Sce. 3. Quasi istic minor mea res agatur, quàm tua. Id est, quasi non minus mea res operetur quàm tua. Ouidius:

*Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet.*

*Exuuium.* *Satis hoc sit exuuiū tibi.*] Exuuium neutraliter rariùs dicimus, frequentiùs Exuuiæ in plurali ab exuendo, sicut induuiæ ab induendo. Et non solùm hominum tegmina aut vestes dicuntur, sed animalium quoque. Virgil. 2. Georg.

*Cum positis nouus exuuiis.*

*Manubiæ.* *Mihi cadant hæ manubiæ.*] Rectè manubiæ, nempe quòd inimicè & hostiliter & vi res agatur. Manubiæ namque dicuntur præda ab hostibus capta, quòd manu capiatur ab iisdem hostibus. Authores Festus & Varro. Veteres quoque appellabant manubias, spolia quæsita de hoste nobili per deditionem, de quibus quod vellent facerent. Nam præda

*Cadere.* dicitur corpora ipsa rerum quæ capta sunt. *Cadant.*] In ius meum veniant.

*Vis.* *Vis quidem est hæc.*] Vis, violentia. Terentius in Adel. Actus quinti Scena 8. Vis est hæc quidem. A quo violo verbum.

*Populares.* *Obsecro ô populares.*] Populares dicuntur, qui sunt eiusdem conditionis, generis, sortis, gentísque ac fortunæ, vt Dauus & Geta. Terentius in Phor. Actus 1. Scena 1. Amicus summus meus, & popularis Geta, heri ad me venit. Nunc autem populares, ciues dicit. Sic idem Terentius in Adel. Act. 2. Sce. 1. Obsecro populares, ferte misero atque innocenti auxilium, subuenite inopi.

*Comprimere os.* *Quin os comprimis?*) Cohibes, contines. Terentius in Heaut. Actus 3. Scena 3. At tu tibi istas posthac comprimito manus. Plautus in Amph. Ego tibi istam hodie scelestе comprimam linguam.

*Eclipsis* *Haccine fieri flagitia in libera ciuitate?*] Verbi reticētia

*Flagitiū.* est. Deest enim oportet, vel decet. *Fieri flagitia.*] Flagitiū mo

re militari dicitur, authore Donato, res flagitatione, hoc est, increpatione digna. Nam flagitatio à strepitu dicitur. Vnde flamma, & flagella, & flagitare, quæ omnia non sine strepitu siue sonitu fiunt. Terentius in Adel. Act.3. Sce.3. Hęccine fieri flagitia? Est tamen flagitium generale ad omnia mala. Significat & errorem, vtpote rem vel flagris, vel increpatione dignam.

*In libera ciuitate.*) Ciuitas libera ea dicitur, in qua est potentia ingenua: id est, iuxta iuris prudentum finitionem, naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, nisi quod vi aut iure prohibetur. Sic clementissimus ille Mitio apud Terentium, quum presse ac leniter suum obiurgaret AEschinum, dicebat: in qua ciuitate tandem te arbitrare viuere? Virginem vitiasti, quam te ius non fuerat tangere. In Adel. Act.4. Sce.5. *Ciuitas libera.*

*Vah.*) Eiusdem significationis est hoc in loco, cum ah, vel heu, & ideo lugentis interiectio. *Vah.*

*Totus deglubor miser.*) Deglubere, est propriè corticem, vel pellem detrahere. Vnde & pecus deglubi dicitur, quũ pellis detrahitur. Hinc Suetonius de Tyberio Cæsare celeberrimum hoc, & omnimodo regibus pastoribúsque amplectendum refert axioma, quod ille dictitare solebat: Boni pastoris est, inquiens, tondere pecus, non deglubere: Tondent igitur, qui ita spoliant, vt sortem non relinquant, vnde res possit crescere. Deglubunt, qui nihil reliqui faciunt. Tractum, authore Erasmo, à rusticis, qui deglubere vocant, siliquam aut folliculum excutere, & granum sua nudare tunica. Vnde & Catullus in obscœnum sensum detorsit, vt dicat virum à muliere deglubi. *Deglubere.*

*Numnam relinquetis mihi amiculum?*) Nam abundat. Diminutiuè autem amiculum dicit, quò significet se prorsus spoliatum, atque inde ad misericordiam eos flectat faciliùs. Diminutiua enim in re tristi & infausta dolorem, in læta & prospera gaudium adaugent. Amiculus autem diminutiuum est ab amictus, quod vestis est, quæ aliis vestibus superponitur, quasi palliũ. Vnde amiculatus à Solino dicitur, indutus amiculo. *Amicul⁹.* *Amiculatus.*

*I sanè iam quò vis.*) Maximo id cum ludibrio & suggillatione dicitur. Et præclarè iam, quia serò & post facultatũ suarum vestiúmque ablationem: vbi quidem tarditatis in- *Iam.*

cusatio est, vt Terentius in Adel. Act. 2. Sce. 1. I nunc iam.

*Vapula.* *Vapula.*) Hoc reliquis aliis calamitatibus miserius intollerabiliúsque. Suis quidem exonerari, durum : at verberibus onerari durius.

*Hei hoi.* *Hei hoi.*) Deplorantis, vel ingemiscentis interiectiones.

*Insuper.* *Verbera insuper misero additis.*) Venustè insuper, & misero. Insuper, quòd non illis satis fuisset eum suis bonis expillasse, ni & verbera & contumelias addidissent. *Misero.*)

*Miser.* Vel innocenti, quòd miseri non nisi innocentes dicantur: vel flebili, ægroto, infœlici ac calamitoso, quò magis res exaggeretur. Miser, inquit Donatus, est cui animæ miseria est. Terentius in Heaut. Act. 4. Sce. 8. Vah, frustra igitur gauisus miser.

*Meretricia malicia.* *Heus, tu nebulo, respice ad me.*) Audaciam quæso ac maliciam specta meretriciam, nebulonem vocat, cuius tamē miseretur: priùs animulum, nunc ganeonem: priùs quem ocellum, passerculum, mentulam, pusionem, veneris catellum, corculum, nunc scelestum & illusorem appellat. Quo fit quidē vt verissimum habeatur quod Peniculus apud Plautum in Menæchmis, loquitur. Meretrix, inquit, tantisper blanditur, dum illud quod rapiat videt.

*Habe.* *Vestitum hunc depexum habe.*) Habe, accipe. *Depexum.*)

*Depexus vestitus.* Depexus vestitus à contrario sensu, laceratus & ruptus dicitur, à verbo depecto, quod diligenter pecto significat. Terentius in Heaut. Act. 5. Sce. 1. Ego ne? Si viuo adeo exornatum dabo, adeo depexum, vt dum viuet meminerit semper mei. Depexum, id est, ornatum & cultum, sed in malam partem.

Actus

# ACTVS QVARTI Scena Sexta.

ACOLASTVS SOLVS.

*QVid nunc agam? quid clamem? aut vnde exordiar* Senarij.
*Telam querēdi? O cœlum, ô terra, Iupiter*
*Aspicis hæc, & patere, quem dicunt hospiti*
*Dare iura? Tam multæ res me circunsident,*
*Quæ me affligant malè, vt vbi sim, quò eam, rei*
*Quid cœptem, nesciam. Perij, Interij miser.*
*Ex rege nummato ampliter, repentè inops,*
*Mendicus, quis ferat? Mirum ni lumina*
*Mihi exculpam. Vestitus vbi? Periit. Meus*
*Vbi torques aureus? Periit. Pecuniæ*
*Vbi tanta vis? Periit. Valetudo nihil*
*Ne attrita est? haud lubet meminisse. Pauperem*
*Quis me tecto dignabitur? Hem, tandem mihi*
*Tellus fodienda, aut stips mendicanda est. Negant*
*Illud vires exhaustæ, & hoc prohibet pudor.*
*Accedit & malis meis, quòd durior*
*Fames totam regionem occupet, vt nesciam*
*Si quis me admissurus sit ad cœnæ suæ*
*Micas. Fame intereram oportet. Sed cui malum hoc*
*Feram acceptum? Illis qui me illexerunt nimis*
*Dolosè in fraudes? an mihi, qui auscultauerim?*
*An irato meo Genio, qui me his malis*

*Conclusit? Quàm nouercaris Rhamnusia!*
*Quàm me Deorum ira affligat malè! Hei mihi.*
*Sed frustrà queritor hìc, vbi nemo audiat.*
*Id solùm restat, fata vt quò me cunque agant,*
*Eò nunc errans subsequar. O dolor, dolor.*
*Vt dij vos malè perdant lupæ obscœnissimæ,*
*Quibus seruiui turpiter. Sed commodum*
*A villa rusticus venit, istunc adoriar,*
*Pudore posito, vt qui mihi sit inutilis.*

*Argumentum.* QVid nunc agam?) Hęc scena tragico eiulatu plena est, in qua solus introducitur Acolastus, qui suam miseriam deplorat & calamitatem. Expostulat autē maximè de irrogata sibi iniuria, ijs qui eum dolosè in fraudes pellexerunt obiter malè imprecans.

*Doctrina.* *Quid nunc agam?*] Vt equos propter crebras contentiones preliorum (vt inquit Marcus Tullius) ferocitate exultantes, domitoribus tradere solēt, vt iis facilioribus possint vti: sic homines secundis rebus effrænatos, sibíque præfidentes, tanquàm in gyrum rationis & doctrinæ calamitatibus rebúsque improsperis plerúmque duci, vt perspiciant rerum humanarum imbecillitatem, varietatémque fortunæ, hæc scena demonstrat.

*Diaporesis.* *Quid nunc agam? quid clamem?*] Figura διαπόρησις, seu ἀπορία, quę Latinè dubitatio dicitur, qua videlicet dubitare nos significamus, vel vnde sumamus exordiū, propter rerū multitudinem: vel quid potissimùm agamus, dolore aliquo affecti. Sic Cicero pro Roscio: Quid primùm quærar? & vnde potissimùm, iudices, exordiar? aut quod, aut à quibus auxilium petā? deorúmne immortalium? populíne Romani? vestrámne qui summam potestatem habetis hoc tempore fidem implorem? Tale est & illud. Eloquar, an sileam? Hęc autem scena maximè motoria est, quò fit, vt nimis conturbati sint dolores, videantúrque Tragici potius, quàm Comici: quanquā, vt inquit Horatius, Interdū tamen & vocem Comœdia tollit. *Quid nūc agam? quid clamem?*] Singula ita pronūciāda veniunt, vt omnino perturbatus, perplexúsq;, & ancipitis sententiæ ostendatur, & omni affectus miseria.

Nec id quidẽ immeritò, quòd teste Cicerone in partitionibus oratoriis, nihil tam sit miserabile quàm ex beato effici miser.

*Aut vnde exordiar telam querendi?*) Exordiri telam, est Erasmo interprete, rem arte consilióque instituere, & incipere negotium. Retexere verò, est denuo refingere. Tralatione sumpta à textoribus, telam instituentibus. Plautus in Bacch. Exorsa hæc tela est non malè omnino mihi: Idem in Pseudulo: Neque nunc quid faciam scio, neque exordiri vnde occipiam, habeo, neque detexundam telam certos terminos. Cicero ad Herennium: Ego te iam detexam ab exordio. Id est, ab initio vitæ explicabo qualis sis.

*Exordiri telam.*

*O cælum, ô terra.*) Qui frustrà & inaniter vociferantur, cœlo ac terræ loqui dicuntur. Ea est enim communis exclamatio eorum, qui diffidunt hominum præsidiis. Moris est enim nimis dolentibus, alia ex aliis incusare. Virgil.

*O cœlum ô terra.*

*Quum complexa sui corpus miserabile nati,*
*Atque deos, atque astra vocat crudelia mater.* Et:
*Quem non incusaui amens hominúmque deorúmque?*

Terentius in Adel. Act. 5. Sce. 3. Hei mihi, quid faciam? quid clamem, aut querar? O cœlum, ô terra, ô maria Neptuni. Est autem figura Exclamatio, quoties videlicet impotens affectus erumpit, quale item est illud Ciceronis. O tempora, ô mores. Itémque: O scelus, ô portentum in vltimas terras deportandum. Quod vltimum dicitur à plerísque, execratio oratoria.

*Iupiter aspicis hac, & patere?*) Tragica exclamatio est. Iouem autem interpellat, vtpote cui veteres dicebant inesse iuuandi potestatem. Vnde à iuuando dicitur, à poëtis etiam appellatus diuûm atque hominum rex: à maioribus autem optimus maximus. Et quidem antè optimus, hoc est, beneficẽtissimus, quàm maximus, quòd maiùs & gratiùs sit prodesse omnib9, quàm opes magnas habere. Hinc poëta:

*Iupiter.*

*Iupiter omnipotens, regum, rerúmque, deûmque*
*Progenitor, genitrixque deûm Deus vnus, & omnes.*

*Quem dicunt hospiti dare iura.*) A proprio, seu à relatiuè oppositis. Dare iura, idem est quod facere iustitiam, hoc est, reddere cuique quod suum est. Sed sic dicitur, non nisi in re magna. Virgil in primo AEneid.

*Dare iura.*

*Iupiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur.)*

*Hunc letum Tiriisque diem, Troiaque profectu*
*Esse velis.*

Circũsidere *Tam multæ res me circunsident.*) Maximè perplexi sermo est & lugentis, & quid deploret primum nescientis, tot adeò vexatur anxietatibus. *Circunsident.*) Obsident circundant, coangustant, ac circumuallant: ducta quidem metaphora ab inimica acie & presione hostium, vel pallificata munitione castrorum. Sic Geta ille Terentianus in Adel. Act.3.Sce.2. Væ misero mihi, tot res repentè circunuallãt, vnde emergi nõ potest. Hoccine seculũ? O scelera, ô genera sacrilega, ô hominem impium. Fit autem à circum particula, & sedeo.

*Malè.* *Quæ me affliĉtant malè.*) Malè, valde. Affliĉtant, afsiduè

*Affliĉtare.* affligunt. Hinc illud Archiæ. O te infœlicẽ, quàm te affliĉtarẽ, nisi iratus essem: Ab hoc fit affliĉtatio, quę est, interprete Cic. 4.Tusc. ægritudo animi cũ vexatione corporis.

*Affliĉtatio.* *Vt vbi sim.*) Summopere consternati animi est.

*Quò eam.*) Auxilium petiturus.

*Rei quid incœptem.*) Hoc destituti consilio est, & vacillantis. Vbi quidem difficultatem inopum & molimẽ cum

*Cœptare.* quid adgrediũtur ostẽdit. Cœptare verò, incipere est, quod vix vsquam extra cõpositionem repereris, sed incœptare dicitur, frequentatiuũ quidem à capio, quod alioqui sicut &

*Incipere.* incipere, magnorum est facinorũ, & audaciæ. Terentius in Eunucho, Act.5.Sce.8. Quid incœptas Thraso?

*Perij, Interij.* *Perij, interij miser.*) Hæc duo verba eandem penè habẽt vim, sed quò tanta animi ægritudo adpareat, vt velut quidam præ dolore discessus ac secretio fiat earum partiũ, quæ iniunctione aliqua tenentur, hîc cõnexuit, vt etiam ea ipsa ratione mos est Comicorum ea interdum simul cõnectere. Terentius in And. Act.2.Sce.2. Perij, Interij.

*Ampliter.* *Ex rege nummato ampliter.*) Ampliter nũmatus, Plautinum est pro amplè, id est, affluenter ac diffusè, nũmis abundans. Fit autem à nomine amplitudo, quæ est, authore Cicerone, potentiæ aut maiestatis aut aliquarum copiarũ magna abundantia.

*Repentè.* *Repentè inops.*) Deest factus sum. Et rectè repentè, quia

*Inops.* paucis talorum iactibus. *Inops.*) Vel pauper, vel sine ope & auxilio. Vel inops, id est, sine amicis, cliẽtelis, propinquis, populari fauore. *Repentè inops, mendicus.*) Inops, qui sine terra

est,quæ ops dicitur,id est,qui nullius possessor est. *Medicus,* cui res suæ non sufficiunt,à mẽte(vt quidã volũt)quòd mẽ tem eius fefellerit fortuna. Vel à medendo,quòd precetur omnes, vt vitæ suæ medeãtur cibo, vel quòd manu indicet. *Mendicus.*

*Miror ni,)* Miror quin. Terentius in Eunucho, Act.2. Sce.3. Mirum ni hanc dicit,modò huic quæ data est dono. *Miror ni.*

*Lumina mihi exculpam.)* Oculos exculpere, effodere est, & eruere. Terentius in Phor. Actus 5. Scena 8. Vel oculum exculpe: est,vbi vos vlciscar, locus. Dicimus & exculpere verum: Possum ne, inquit Phædria ille Terentianus, hodie de te exculpere verum? in Eunucho, Actus 4. Scena 4. Pro eodem effodere oculos dixit Plautus in Aulularia: Ego,inquit,hercle istos improba effodiam tibi oculos, ne me obseruare posis,si quid rerum geram. *Exculpere oculos.*

*Vestitus vbi?)* Hæc dolenter & plorabundè pronuncianda sunt. In quem vtique poterit nunc illud Statim è Trinummo Plautina iactari. Serò atque stultè priùs quod cautum oportuit, postquam comedit rem, pòst rationem putat. Nimirum hoc est, numerare præteritas vndas, quum venientes oporteat censere. *Vestit' vbi.*

*Periit.)* Absumptus est. *Periit.*

*Pecuniæ vbi tanta vis?)* Vis pro multitudine & copia,vt apud Salustium: Secunda inquit tempestate ex Ponto vis piscium erupit. *Vis.*

*Valetudo nihil ne attrita est?)* Ex sententiæ Platonis comparatione, se miserum deputat, quòd (illo teste.1.de Leg.) primum locum in fœlicitate obtineat bona valetudo,secũdum forma,tertium robur, quartum opes haud cæcę, sed acutum cernentes. Quò spectat & illud Iuuenalis: *Valetudo.*

*Vt sit mens sana in corpore sano.*

Et illud: Rectè valere & sapere, duo vitæ bona. *Attrita.)* Consumpta,vel attenuata. *Attrita.*

*Haud lubet.)* Minimè placet,& gratum est. *Haud lubet.*

*Pauperem quis me tecto dignabitur?)* Sensus est, Quis me tam egenum dignatione sua prosequetur dignúmque sua domo existimabit? Dicimus autem digno, & dignor pasiuè,sed illud infrequentiùs. Virgil. *Dignari.*

*Coniugio Anchises veneris dignate superbo.*

*Hem.)* Interiectio laborãtis animi,vt apud Terẽtiũ in Eunucho, Act.4. Sce.2. Hẽ,biduũ hîc manẽdũ est soli sine illa? *Hem.*

*Tandem mihi tellus fodienda est.*) Quod est præter conditionem, prætérque professionē, atque vires tam nummati paulò antè domini. *Tellus fodienda est.*) Hîc Tellus pro terra sumitur, cuius dea quondam habita est, à tolerando, siue tollendo, quòd eius fructus tollamus.

*Tellus.*

*Aut stips mendicanda.*) Stips, pecunia dicitur, quam vel in ærarium reponebant veteres, vel diis offerebant, vel mendicis porrigebant ad sustentationē vitæ, à stipando, ob sic dictaid quod in cella stipabant, hoc est, componebant.

*Stips.*

*Negant illud vires exhaustæ.*) Illud, refert quod superius est, nempè terram fodere. Duabus verò hîc perturbationum bigis, se in diuersa distendi commonstrat: vna quidem ab impoßibili, altera verò à neceßitate proficiscente. Trahitur vna coactus, retinetur altera pudore suffusus. Hæc vetat, illa vrget. Vna calcar addit, in calces fertur altera. Vna non potest, erubescit altera. Verùm illi quidem commoriendum: hac verò duce viuendum, sed cum erubescentia & dedecore. Quo fit vt vtráque fere iuxta esse reputans, nullo non afficiatur angore. *Vires exhaustæ.*) Prorsus euacuatæ eneruatæque, præ validæ famis angustia.

*Duæ perturbationū bigæ.*

*Et hoc prohibet pudor.*) Hoc, id est, ad stipem manum porrigere, *Prohibet pudor.*) Pudor, vt definiunt Philosophi, est modestia quæ animum reprimit, ne procaciter, aut inordinatè, aut turpiter quid peragat. Dicitur etiam pudor mali facti: verecundia verò recti & honesti. Author Donatus. Ratio autem cur erubescant quos pudet, hæc ab iisdem philosophis aßignatur, quoniam, inquiunt, pudefactis sanguis de corde in omnes corporis partes diffunditur, adeò vt superficiem occupet.

*Exhaustus Pudor.*

*Accedit & malis meis quod durior fames, &c.*) Verba sunt Euangelij, apud diuum Lucam capite quintodecimo contenta. Et postquam, inquit omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere. Et abiit, & adhæsit vni ciuium regionis illius, &c. *Accedit & malis meis.*) Ad malorum meorum cumulum: quasi quæ priùs passus fuisset, huius famis comparatione, parua illi leuiáque fuissent. Sic Dauus apud Terentium in Andria, Actus 1. Scena 3. Ad hæc mala hoc mihi etiam accidit: hæc Andria, siue ista vxor, siue amica, grauida è Pāphilo est.

*Accedit & malis meis.*

*Quòd durior fames.*] Durior, vel aſpera validáque, vel nocẽs, vel crudelis, quòd nulla humanitate molleſcat & flectatur quantumuis de ea conqueraris. Eodem ſignificatu & durus amor apud Virgilium dicitur: *Durior fames.*

*Quid iuuenis, inquit, magnum cui verſat in oſsibus ignem.*
*Durus amor?*

*Vt neſciam ſi quis me admiſſurus ſit ad cœnæ ſuæ micas.*] Sic dicere ſolent, quibus tanta ineſt ſordities atque calamitas, vt vix ſe dignos reputent, qui in ditiorum cõſortium admittantur, illud vtique Platonicum animo reducentes: Qui nihil habet, huic nullus amicus adeſt. Et item illud quod vulgò fertur, Mendico ne parentes quidem amici ſunt.

*Sed cui malum hoc feram acceptum?*] Ferre ſeu referre acceptũ, modus eſt loquẽdi venuſtus ac lepidus, ſed ſatis abſtruſus: tranſlatus autem à duabus illis publicis tabulis, quarum antiquis vna dicebatur accepti, expenſi altera, in quas quidem Quæſtores vrbani ærariũ curantes, pecunias expenſas & acceptas referre cõſueuerant: ex quibus poſtea modus loquendi manauit, vt cum quid officij in nos ab aliquo cõferatur, id nos illi acceptum referre: contrà ſi quid ab eo aduerſi accidat, improbitati illius expenſum ferre dicimus: quanuis & prius in hoc ſignificatu accipiatur. Cicero Attico: Te etiam atque etiam oro, vt me totum tuendum ſuſcipias, vt ſi ij ſalui erunt, quibus curæ ſum, vnà cum his poſsim incolumis eſſe, ſalutémque meam beniuolẽtiæ tuæ acceptam referre. Idem pro Cluentio: Voluit eum aliquid acceptum referre liberalitati tuæ. *Ferre acceptum.* *Expenſum referre.*

*Illis, qui me illexerunt nimis doloſè in fraudes.*] Pamphagum, Pantolabum, Sannionem, & Laidem vult intelligere. Tria autem hîc proponit, quibus incommodorum ſuorum culpã adſcribere connititur, aut certè hac conqueſtione leuiorem reddere: nẽpe à meretricum dolo, à ſua imperitia ac voluntario aſſenſu, ab ira ſui genij ſumens argumentum. Innuens quoque his verbis quoſdam eſſe ita aliquibus inauſpicatos, vt tanquam fatum quoddam malum, in illorum perniciem nati iure videri poſsint.

*Qui me illexerunt nimis doloſè in fraudes.*] Aliquem in fraudem illicere, attrahere eſt, & quaſi ineſcare ſeu alligare fraudibus, vt faciunt piſcatores in captandis piſcibus, eſcas prætendentes, quibus velut quibuſdam illiciis incitamentiſque *Illicere in fraudes.*

in suas nassas eos inuitent. Terentius in And. Act. 5. Scen. 4.
Tun' hic homines adolescetulos, imperitos rerum, eductos liberè, in fraudem illicis? sollicitando & pollicitando eorum animos lactas.

*Auscultare.* *An mihi qui auscultauerim.*) Mihi, inquit, infœlici & misero. *Qui auscultauerim.*] Obedierim, sicque cum datiuo. Terentius in And. Act. 1. Sce. 3. Nec quid agam certum est, Pamphilum ne adiutem, an auscultem seni.

*Iratus genius.* *Duo Genij cuique attributi.* *An irato meo Genio.*) Hoc est, in me irato deo meo. Prisci singulis hominibus binos genios attribuebant, quos dæmones vocabant, quorũ alter perniciem nobis moliretur, alter iuuare studeret. Quin & nostrates theologi, veteres illos secuti, duos quoque vnicuique genios, quos angelos vocát, ab ipso protinus exordio vitæ adscribunt: amicum, qui commoda nostra procuret: malum, qui modis omnibus in exitiũ nostrũ immineat. Terentius in Phormione, Act. 1. Sce. 2. Mihi vsu venit hoc scio. Memini relinqui me, deo irato meo. Rursus: Nescio, nisi deos iratos fuisse mihi satis scio, qui auscultauerim ei. Persius:

*-Diis iratis, genióque sinistro.*

*Cõcludere.* *Qui me his malis conclusit.*) Mirè ex ferarum tralatione cõclusit dixit more Terentij in And. Act. 2. Scena 3. Vt ab illa excludar, hac concludar.

*Rhãnusia.* *Quàm nouercaris Rhamnusia.*) Vox est eorum, qui à rebus florentibus ad calamitosam fortunam redacti sunt. Rhãnusia autem indignationis dea dicitur, insolentiæ & arrogãtię vindex, quæque spes immoderatas & vetat & punit, à Græcis dicta Nemesis. Illa quidem à Rhamnũte regionis Atticę loco cognominata (cuius meminit & Terent. in And. Act. 5. Sce. 4.) Vbi colebatur eius statua solido lapide, decem cubitorum magnitudine. de qua Ouidius 5. de Trist.

*Exiget ad dignas vltrix Rhamnusia pœnas.*

*Nouercari* *Nouerca.* *Quàm nouercaris.*) Tam capitale, tam acerbũ, támque fatale & irreconciliabile odium in priuignos innatum ferunt esse nouercis, vt abierit in prouerbium. Indéque verbũ nouercor originem traxerit, quod agere more nouercarum significat, hoc est, malignè & inimiciter. Dicitur autẽ nouerca, quasi νέα ἀρχὴ, id est, noua princeps.

*Quàm me deorum ira afflictat malè.*) Hoc sceleratorum est proprium, cùm meritas depẽdũt pœnas, deorum iræ adscri-

bere. *Malè.*) vel valde, vel immeritò, vt ſic totum dijs imputet,quòd meritò patitur.Ouidius 5.de Triſt. *Malè.*

*Plus valet humanis viribus ira dei.*

Homerus quinto Illiados:

*Dura quidem res eſt mortalibus ira deorum.*

*Hei mibi.*] Dolentis interiectio. *Hei.*

*Sed fruſtra queritor hic.*] Conqueror,expoſtulo. *Queritari.*

*Id ſolum reſtat.*] Ex plurimis meis miſerijs, hoc reliquum eſt malum . Eſt autem hic prolixæ conqueſtionis, reliquarúmque rerum agendarum ſcopus.

*Fata vt quo me cúmque agant.*] Diacope ſeu Tmeſis eſt, ꝓ quocunque me fata agant. Sic Terentius in Hecyra. Act.3. Sce.3. Qua me ꝓpter exanimatum citius eduxi foras,quum quapropter me exanimatum, dicendum fuiſſet. *Diacope.*

*Agant.*] Ducant,impellant. *Agere.*

*Eò errans ſubſequar.*] Eò,id eſt,vſque illuc. *Eò.*

*Errans.*] more pecudum.A quo errones,vagabundi. *Errans,*

*Subſequar.*] Mirè, quia prius fata dixit, innuens nulla vi abrumpi poſſe rerum actionúmque diuinitus determinatarum neceſsitatem. *Subſequi.*

*O dolor,dolor.*] Bis dolorem repetit,quò ſignificet ſe non minimè & animo & corpore cruciari.Dicitur autem dolor, à dolando, id eſt,minuendo,quòd lætitia augeantur corpora, dolore minuantur , vnde & vulgari prouerbio dicitur: Quid niſi victis dolor? *O dolor,*

*Vt dij vos malè perdant, lupæ obſcœniſsimæ.*] Nunc vocē cōfert in meretrices, quarum technis doliſque eò delapſus eſt miſeriæ & calamitatis. Lupæ autem,ſcorta dicūtur,quòd vt lupę cibi,ita hæ vel libidinis,vel quæſtus appetētes ſint.Vnde lupari pro ſcortari meretricarive dicitur. Et lupanar vel lupanarium,pro turpi meretricum loco. *Lupa.* *Lupari,*

*Quibus ſeruiui turpiter.*] Pulchrè addit turpiter, quòd nil ſit fœdius homini libero, quàm eſſe in ſeruitute meretricū ſeſéque illis ſubmittere. *Seruire turpiter.*

*Sed commodum.*] Reſpirat paululum,eiúſque releuatur animus , ꝙ in ipſo articulo periculi famis eū torquentis,ſuperueniat ruſticus. *Sed cōmodùm.*] Cōmodùm,aduerbiū eſt, pro opportunè,vel in tēpore,quo genere loquendi frequēter vſos probos authores paſſim legere eſt. Plautus in Mercat. Si iſthac ibis,commodùm obuiam venies patri. Idem in *Cōmodum,*

Milite: Hem, te ipſum quæro commodùm, vir lepidiſsime. Terentius in Eunucho. Act. 2. Sce. 3. Illa ſeſe interea cõmodùm huc aduorterat in hanc noſtram plateam. Cicero Attico: Commodùm diſceſſerat Hilarius librarius.

*Villa.* *Domus.* *Villicare.*

*A villa rusticus venit.*) Villa, domus in agris, quò ruſtici res vehunt, & euehũt. Domus propriè in vrbe eſt. Dicta quidem villa à vehendo, quaſi vehilla, quòd in eam fructus cõuehant ex agris. A quo villanus, villicus, & villicones, & villico verbum, à quo villicatio in euangelio.

*Istunc.*

*Istunc adoriar.*) Iſtunc pro hunc, vel iſtunc per contemptum, quòd plerunque villici ob imperitiam & morum inciuilitatem, ſint vrbanis contemptui. *Istunc adoriar.*) Quaſi de improuiſo alloquar, aggrediar. Adoriri tamen propriè eſt, authore Donato, repentè & ex inſidijs aliquem inuadere. Dictum ab eo quòd corpora aggredientium exurgant ſubitò, atque increſcant. Adorimur tamen de proximo, aggredimur de longinquo. Quæ omnia ex tranſlatione maris dicta ſunt metaphoricè. Terentius in Heaut. Act. 4. Scena 5. Ceſſo hunc adoriri? Rurſus in And. Act. 3. Scena prima. Hiccine me ſi imparatum in veris nuptijs adortus eſſet, quos mihi ludos redderet?

*Adoriri.*

*Pudor inutilis viro egenti.*

*Pudore posito, vt qui mihi sit inutilis.*) Alludit ad prouerbium, quòd vulgò fertur: Verecundia inutilis viro egenti: quo vtique admonemur, interprete Eraſmo, abijciendum eſſe pudorem, quoties vrget neceſsitas. Eſt enim verecundia, cùm ad multa vehementer inutilis, tum maximè cum res poſtulat, vt omnia nobis ſint facienda, hinc malus pudor à Flacco dicitur, cum ait:

*Incurata malus pudor vlcera celat.* Et alibi:
*Pudor te malus vrget.*

# ACTVS QVARTI Scena Septima.

CHREMES, ACOLASTVS.

*EX villula mea tantùm reportare* — Scazontes.
*Solitus eram prouentuum, vt satis vitæ*
*Necessitati illinc reponeretur. Sed*
*Quia nunc in partu ager est remißior, pingui*
*Porca Tellurem censeo piandam esse,*
*Vt ruri cuncta prouenire det multò*
*Fœlicius, quàm dudum: quum boues omnes*
*Ad vnum abortirent, segésque constanti*
*Rubigine vitiata, non daret messem,*
*Quæ res peperit nobis penuriam annonæ.*
*Omen sinistrum, hic magnus nebulo stat. Quid volt?*
ACO. *Colone, salue plurimum.* CHR. *Satis dudum*
*Salueo, si non etiam tu mihi salutem des.*
*Quid vis?* ACO. *Precor, vt hœdi, boues, oues, capræ,*
*Tibi fœtus edant pro voto tuo.* CHR. *faxit*
*Ita Pan noster. Vale.* ACO. *Quæso audias pauca*
*Prius quàm abis.* CHR. *Num quid te torquet autem?*
ACO. *ingens.*
*Fames.* CHR. *Credo, grassatur illa multorum*
*In faucibus.* ACO. *Nunc te oro eam leues pane*
*Atro, vel furfure.* CHR. *Otiosus es totus,*
*Proinde indignus, cui victus detur.* ACO. *At nullus*

*Me vocat ad operas. Quod si vllo tuo ex vsu*
*Queam esse, non detrecto manus meas duro*
*Operi locare, pro tolerabili victu.*
CHR. *Sequere me, ablegandus mox ad meos porcos,*
*Vt eos agas, te dignum commeatum addam.*
ACOL. *Sequor. Ah, ab equis ad asinos? Non magis credas*
*Fortunæ voltui, quàm mobili vento.*

*Argumentũ.* EX *villula mea.*) In hac scena pro rusticorũ more, Chremes secum expostulat de annuo prouentu, annonæq; penuria: quem adoriens fame effractus Prodigus, obnixè rogat, vt eam vel atro pane, vel furfure leuet. Cuius vix tandem misertus ille, eum ad suos porcos agendos ablegat, dignum se victum impartiens.

*Doctrina.* *Ex villula mea.*) Quemadmodũ vrgere iacentes, aut præcipitantes impellere, inhumanum est, vt inquit Marcus Tullius: Ita nihil esse tam regium, tam liberale, támque munificum, quàm opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberaréque periculis homines, hæc scena demonstrat.

*Villula.* *Ex villula mea.*) Diminutiuo vtitur, quò se mediocris esse fortunæ curtæque suppellectilis demonstret.

*Reportare.* *Prouentus.* *Tantum reportare solitus eram prouentuum.*) Reportare, colligere. Prouentus autem dicuntur non solum bonarum rerum, sed & malarum reditus. Plautus: Calamitatum & miseriarum tot prouentus. Sumitur & pro successu apud Cæsarem.

*Illinc.* *Reponere.* *Vt satis vitæ necessitati illinc reponeretur.*) Illinc, ex illis prouentibus. *Reponeretur.*) Reconderetur. Horatius:
*Inspice si possit donata reponere lætus.*
Vnde animo vel mẽte reponere est memorię imprimere, & veluti in intimo pectore recondere. Virg.
*-Manet alta mente repostum*
*Iudicium Paridis.*

*Remissus.* *Ager.* *Sed quia nunc in partu ager est remissior.*) Remissus ager dicitur, qui à fructificatione cessat, relaxatúrque. Quo sanè significatu, & remissus animus dicitur, qui solito negligen-

tior est, & curis vacuus. Ducta vtrinque tralatione ab arcu.

*In partu.*) In productione, in fœnore sementis acceptæ. Sumptũ à mulieribus cum parturiunt, vel a terræ prouentu. *Partus.*

*Censeo.*) Censere hoc in loco deliberare est & constituere, ducta locutione à Senatoribus, qui censere dicuntur, cum sententiam dicunt de eo quod sibi videtur: assentiuntur autem cum alienam approbant. *Censere.*

*Tellurem piandam esse.*) Id est, colendam. Plautus: vbi piẽ pietatem, si isto more morata tibi postulem placere? Horatius. 2. Epist. *Piandus.*

*Tellurem porco, Syluanum lacte piabant,*
*Floribus & vino Genium, memorem breuis æui.*

Hinc Piaculum, sacrificium & cultus dicitur. Virg. *Piaculum*
*-Ea prima piacula sunto.*

*Pingui porca.*) Qui Cereri rem diuinam faciebant antiquitus, pinguis porca solenne illis erat sacrificium ac libamen, propterea quòd segetem quam illa mortalibus tribuisset, porca depasta fuisset. Author Macrobius lib. 1. Satur. cap. 12. Veterum quoque vsu qui cuiuspiam irati numinis intemperii, ageretur, hoc piaculo se solebat purgare, potissimum qui mente capti essent. Plautus in Menechmis: Nã tu quidem hercle certo non sanus satis Menechme, qui nũc ipsus maledicas tibi: iube si sapias porculum afferri tibi. Horat. in Sermo. *Pinguis porca sacrificium Cereris.*

*-Immolet æquis, hic porcum laribus.*

*Quum boues omnes ad vnum abortirent.*) Abortire, siue abortare, vel abortiri deponentaliter, est immaturum fœtum edere. A quo abortio seu abortium, idem quod abortus. *Abortire*

*Segésque constanti rubigine viciata.*) Constans rubigo dicitur tenax & perdurans vredo, siue carbunculus, quamuis carbunculus dicatur propriè vitium & arborum morbus: vredo, herbarum & fruticum: cæterorum verò rubigo, sata, plantas, arboréssque quodam quasi vredinis carbone adurens. Quo quidem malo, non est aliud comparandum. Nõ enim grandines, non procellæ, nec quæcunque alia incommoda vnquam annonæ intulerunt caritatem, sed hęc agrorum mala sunt sola. Nec aliquod huic rei remedium est, præterquam doctrinæ, intelligendo scilicet quando id malum futurum sit, & fructus priorís anni comparando, ac diligenter seruando. Quod & Democritum philosophum fe- *Constans rubigo.*

cisse commemorant.

*Messis.* *Daret messem.*) Messis & tempus metendi, & rem pro tempore, hoc est maturam segetem vuásque significat. Virg.

*Ante focum si frigus erit, si messis in vmbra.*

*Omen sinistrum.* *Omen sinistrum.*] Deest adest, vel hic est, vel exclamantis interiectio ô, vt sit, ô omen sinistrum. Hoc autem attonitorum in morem efferendum est, cum re noua & subita obstupescunt. Sinistrum verò omen dicitur aduersum ac noxium augurium.

*Stare.* *Hic magnus nebulo stat.*) Terentius in Eunucho. Actus 4. Sce. 7. Hic nebulo magnus est, ne metuas. *Stat.*] Quò fiebat vt timeret acrius, eum vel viarum grassatorem reputans.

*Satis dudum salueo.*] Vide quàm scitè hîc rusticam inciuilitatem expresit: quàm sæuum factis, tristem animo, truculentum vultu depingit rusticum: qui salutatus vix resalutat, quin & salutari ægrè fert & indignatur. *Satis dudum salueo.*) Salueo, verbum Plautinum est, quo in Truculento vsus est, pro saluus & sanus sum. Legitur nihilominus Saluebis in futuro apud Ciceronem ad Atticum. Saluebis, inquit, à meo Cicerone. Vetustè quoque salueat, & salueãt dicebatur.

*Salueo.*

*Salutẽ dare* *Si non etiam tu mihi salutem des.*] Dicas, vel impartiaris.

*Precor vt hædi: &c.*] Hîc conatur rustici beneuolentiã cõtrahere à rebus, quibus maximè capiuntur illi, nempe à pecudibus, quibus prosperè esse peroptat.

*Edere fœt⁹.* *Tibi fœtus edant pro voto.*] Edere fœtus, parere est. Fœtus autem generale nomen est ad omnia animalia, etiam si sint oua. Hinc & arboreos fœtus dicit Virgilius, pro fructus vt sunt poma, & huiusmodi. Cic. de Orat. Subacto mihi ingenio opus est, vt agro non semel arato, sed nouato & iterato, quò meliores fœtus posit & grandiores edere.

*Pan.* *Faxit ita Pan noster.*] Pan, qui Græcis omne significat, pastorum deus vocatur, in naturæ similitudinem formatus. Hunc deum Arcades colunt, appellantes, vt inquit Macrobius, τὸν τῆς ὕλης κύριον, non syluarum dominum, sed vniuersæ substantiæ materialis dominatorem significari volẽtes. Cuius materiæ vis, vniuersorum corporum, seu illa diuina, siue terrena sint, componit essentiam. Habet autẽ cornua in radiorum solis, & cornuum lunæ similitudinem, rubet eius facies ad ætheris imitationem, in pectore Nebridẽ

habet stellam ad stellarum imaginem: pars eius inferior hispida est propter arbores, virgulta, feras: habet & pedes caprinos, vt ostendat terrę soliditatem.

*Priusquàm abis.*) Ante quàm abeas. *Abis.*

*Nū quid te torquet autem?*) An aliquid tibi ægrè est? *Torquere.*

*Ingens fames.*) Plus est ingens, quàm si magna dixisset. *Ingens.*

*Grassatur illa multorū in faucibus.*) Grassari hîc accipit pro sæuire, tracta metaphora ab impetu gradiēdi, quòd qui grassatur, id est, frequenti gradu seu impetu properat in aliquē, vt ipsum telo seu quouis alio modo feriat, vel malo animo rapiat, sæuire soleat. Quod idem facit & fames, vbi quem edendi cupiditate ceu telis inuaserit. Grassari tamē propriè, est latronum vias obsidentium. Author Festus. *Grassari.*

*Nunc te oro eam leues pane atro, vel furfure.*) Nunc, vel quia ita abligurierat sua vt nihil superesset, quo famē à se abigeret: vel quia ita immaniter sæuiret vt eam amplius tolerare non posset. *Nunc.*

*Eam leues.*) Depellas, auferas, vt apud Virgilium: *Leuare.*

*Atque arcta leuari Vincla iubet Priamus.*

*Ociosus es totus.*) Quòd desidiā ab honesta exercitatione desisteret arguit, quo periculum faciat, num manus suas operi locare velit, indéque adeò ad agendos porcos ableget. Terentius in Adel. Act. 4. Sce. 1. Quin tu ociosus es, ego illius sensum pulchrè calleo. *Ociosus.*

*At nullus me vocat ad operas.*) Opera, actio est, labor & industria operantis, siue operatiō pro mercede sumpta. Opus vero finis, fructúsque operæ, quod fabricando post factum relinquitur. Quam Vtranque significationem complexus est Terentius in Heaut. Act. 1. Sce. 1. quum aît: Quod in operæ faciendo, operę consumis tuæ. Opus nihilominus interdum pro opera sumitur. Virg. *Opera. Opus.*

*Mollibus è stratis opera ad fabrilia surgit.*

Id est, ad operas.

*Quod si vllo tuo ex vsu queam esse.*) Ex vsu esse, modus est loquendi perelegans, significátque idem quod conducat, quod expediat quod vtile sit. Terēt. in Heaut. Act. 2. Sce. 1. Nunc ait, periculum ex aliis facito, tibi quod ex vsu fiet. Plautus in Mercat. Verum non ex vsu modo est. Hinc vsu venit, pro opus est. *Ex vsu esse*

*Nō detrecto.*) Nō defugio, nō deuito, nō recuso. Aliàs, famę *Detrectare*

alterius derogare est, seu maledicere. A quo detractores, oblocutores dicti.

*Locare.* *Manus meas duro operi locare.*) Locare hoc in loco, significat aliquid mercede faciendum suscipere. Plautus in Trinūmo: Nam operam meam tribus numis ego locaui ad artes nugatorias. Nonnunquam constituere, aliàs nuptui tradere. Durum autem opus laborem asperum vocat.

*Durū opus*

*Tolerabilis victus.* *Pro tolerabili victu.*) Qui sufferri possit & tolerari. Id est, vt possim viuere quantumuis duriter & parcè mecum agatur. Hinc tolerabiliter, id est, facile, sine discrimine. Cic. de Amicitia. Quæ tamen si tolerabiles erunt, ferēdæ sunt.

*Ablegare.* *Ablegandus.*) Mittendus inde.

*Agere porcos.* *Vt eos agas.*) Ducas in pascua, ac reducas.

*Ab equis ad asinos.* *Ah, ab equis ad asinos.*) Aposiopesis. Deest, oportet ne sic delabi, vel transire? Est autem prouerbium, quo (Erasmo interprete) vtimur, vbi quis è conditione lautiore, ad abiectiora deuenerit. Vel vbi à studiis honestioribus ad parum honesta deflectit, veluti si quis è philosopho cantor, è theologo grammaticus, è mercatore caupo, ex œconomo coquus, è fabro fieret histrio. Hæc ille.

*Vultus fortune.* *Non magis credas fortunæ vultui, quàm mobili vento.*) Mirè vultum fortunę attribuit, qui solius hominis est: sed ab eius mutatione ac volubilitate ducit metaphorā, ea ratione qua voluntas hominis pro motu animi in facie ostendi dicitur. Dicitur autē illa hinc æstuaria, siue Euripus, siue volubilis, quòd vicissim nunc huic fauere soleat, nunc illi. De qua Boëtius, Exæstuantis more fertur Euripi. Quemadmodum enim mare Euripus, habet accessus ac recessus æstuarios, celerésque ac crebros: ita nihil est in rebus humanis perpetuum. Sed & aliàs alij sunt ventorum flatus. Nec habent semper eundem vigorem auræ flamina. Quò fit vt sic exclamet Marcus Tullius in ea oratione, quam pro Sylla habuit. O volucrem fortunam, quàm cito omnia ex lætitia & voluptate ad luctum & lachrimas recidūt! Et item in ea antequàm exiret in exilium: O misera vitæ ratio, quæ tandiu resides in voluptate, quandiu fortunæ poscit libido. Et Horatius:

*In fortunā inuectio.*

*Simplex mundiciis, heu quoties fidem*
*Mutatósque deos flebit: & aspera*
*Nigris æquora ventis*

*Emirabitur insolens,*
*Qui te fruitur credulus aurea: &c.*
Cui sententiæ accinit & Virgilius:
*O fortuna potens, quàm variabilis,*
*Tantum iuris atrox, quæ tibi vendicas!*
*Euertisque bonos, eligis improbos:*
*Nec seruare potes muneribus fidem.*
*Quod dignis adimit, transit ad impios.*
*Nec discrimen habet, rectáve iudicat:*
*Inconstans, fragilis, perfida, lubrica.*

## ACTVS QVINTVS.
### Scena Prima.

PELARGVS, EVBVLVS.

*Septenarij & Octonarij.*

PRAESAGIT *animus nescio quid mihi imminere tristius.* EV. *De quo?* PEL. *De filio Eubule.* EVB. *Nimis suspiciosus es*
*Pelarge, quo, quid aliud, quàm malum conduplicas tibi?*
*Neque enim formidine vlla arcere potes malum foribus tuis.*
*Quid autem est, quod te sollicitat cedo.* PEL. *Ne ille algeat,*
*Neu vitam miserè trahat in sordibus.* EV. *Quæso vnde has colligis*
*Suspiciones?* PEL. *Primũ, ominis tui nequeo obliuiscier:*
*Hinc ante oculos meos, subinde astare visus filius,*
*Pannosus, sentus, squalidus* μονόγραμμος, *fletibus*
*Largis oppletus lumina, voces vnde hausi mœstißimas.*

*Postremò, vereor quid sit, quòd de ipso nihil audiam,*
*Nisi mortuus est: quid censes?* EV. *Proximũ esse nunciũ,*
*Statũ gnati qui cõmemoret quis sit, proin desinas metũ.*
PEL. *Cura est mihi haud secus, ac oculi pupilla. Quin pariter, cum eo*
*Me affligi interpretor, quoties illi quicquam est ægrè. Quia*
*Hoc inquam patriũ est, cõmunia mala bonáque ducere.*
*Hoc qui nescit, fateatur se indignum esse patris nomine.*
EV. *Nẽpe vt dicis. Sed modus est in re qualibet optimus.*
PEL. *Est, si queam assequi.* EV. *Velis solùm dolorem ponere,*
*Facilè quieuerit.* PEL. *Alios nescio, sed euenit*
*Mihi quidem, vt ægritudo quotidie magis de filio*
*Augescat: tantum abest dies vt adimat ægritudinẽ.*
*Nam quantò abest diutius, hoc magis cupio, tantò & magis*
*Desidero.* EV. *Pelarge, quod animus iamdudũ dictitat,*
*Haud longe abesse nuncium, haud vanũ puto. Abiero*
*Igitur ad portitores, ex quibus forsan discam omnia,*
*Tu me intereà domi operitor, mox huc reuolauero.*
PEL. *Faciam. Quàm suspicioso nunc sum animo, omnia timeo, néque*
*Quicquam timeo. Seditiosus planè cordis mei*
*Senatus est, in quo nihil consilij consistere queat.*
*Ita vt fit, vbi quod impensè cupis, times, ne non tibi*
*Aduersum eueniat. Inter spem & metum hæreo. Huc me coniicit*
*Gnatus, cuius salutem quam accuro, vereor nimis*
*Deploratam esse: vt omnia plena sunt periculis, dolis,*
*Labe, maculis, & pestibus, quoquò versum respexeris.*
*Domi nunc desidere certũ est, dũ Eubulus redeat meus*

P*Ræſagit animus neſcio quid.* ) In hac ſcena ſuper filij ſalute vehementer anxius Pelargus, aſſerit tantò ſe acriùs ſollicitum eſſe, quantò abeſt longiùs, indéque adeo nõ minimas ſuſpiciones colligens, illũ in deploratã calamitatẽ decidiſſe & miſeriã. A quibus tamẽ pro virili dehortãs conſultor Eubulus, propediẽ affuturũ nunciũ, qui ſtatũ filij enũciet, prędicit. Quod vt ſciat planiùs portitores adit, ab eis ſciſcitaturus omnia: mox ea vt reſciuerit eidem relaturus. *Argumẽtũ.*

*Præſagit animus neſcio quid.*) Quẽadmodũ filiis bona indole præditis (vt ait M. Tul. in catone maiore) ſapientes patres delectantur, leuiórque fit eorũ ſenectus, qui ab iiſdẽ co luntur & diliguntur cũ ſummiſsionẽ & obedientia: ſic cõtrà cùm eis obluctantur filij, ipſorúmque parui faciunt documẽta, eorũ ſeniũ accelerare ſolitò citiùs & ſemper eorũ ſalute multis angoribus affici, ex hac ſcena colligitur. *Doctrina.*

*Præſagit animus neſcio quid.*) Sic, inquit Donatus, fieri cõſueuit, vt quoties aliquid expectamus, ea occurrant potiùs, quæ mentem noſtram ad cogitandum aliquid mali trahãt. Terentius in Heaut. Act. 2. Sce. 2. Sed neſcio quid profectò mihi animus præſagit mali. Et Plautus in Aulul. Præſagibat animus fruſtra me ire, quum exibam domo. *Præſagit animus.*) Futura ante ſentit, & diuinat. Fit autem à præ & ſagire, quod eſt acutè ſentire. Vnde qui ante ſagit, quàm res eſt oblata, dicitur præſagire. Ineſt enim animis noſtris neſcio quædam præſagiatio incluſa diuinitus, qua futura ſentimus, ſic vel ſic euentura. Ex quo Sagiarij qui multa ſcire volunt, & ſagaces dicti canes. *Præſagire.*

*Imminere.*) Inſtare, vt:

*Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.* *Imminere.*

*Nimis ſuſpicioſus es.*) Nimiam habes ſuſpicionem. Terẽtius in Adel. Act. 4. Sce. 3. Omnes quibus res ſunt minùs ſecundæ, magis ſunt neſcio quomodo ſuſpicioſi, ad cõtumeliam omnia accipiunt propter ſuam impotentiam, ſe ſemper credunt negligi. *Suſpicioſus.*

*Quod quid aliud, quàm malum conduplicas tibi?* ) Congeminas, & adauges. *Conduplicare.*

*Neque enim formidine vlla arcere. &c.* ) Formidinem, metũ permanentem diffinit Cicero. *Arcere.*) Procul pulſare, & obſiſtere quò minus veniat. Abigere verò, eſt de loco fugare, vel pecora & huiuſmodi abducere. *Formido.* *Arcere.*

*Algere.* *Ne ille algeat.*)Doleat,& ſiniſtri quippiã patiatur. Habet autem in præterito alſi vel alxi, alſum.

*Neu.* *Neu.*) Id eſt,ne etiam. Eſt autem apocopatum à neue, idem etiam ſignificans ac neue.

*Trahere vitam.* *Ducere vitam.* *Vitam miſerè trahat in ſordibus.*) Trahere vitam, viuere quidem eſt,ſed miſerorum,vnde & miſerè ait ad exaggerationem rei: ducere verò,fœlicium. Illa trahitur inuita,hęc ducitur volens & vltronea.Illa execrationi obnoxia eſt & tædio, hæc lætitiæ ac voluptati,illa mox diſſolui cupit,hæc ſedulò protrahi extendíque.

*Primùm ominis tui nequeo obliuiſci.*) Hoc omen priùs aperuit,vbi in hunc modum locutus eſt:Quòd hic erret modò, poſteriùs ſentiet,quum ad te confugiet naufragus, velut in tutum portum : id quod futurum ominor.

*Subinde.* *Subinde.*) Deinde vel ſtatim poſt. Aliàs frequenter, ſiue identidem,id eſt,crebrò,& cum quodam interuallo.

*Pannoſus.* *Sentus.* *Pannoſus.*)Sordida veſte,& craſſo pãno,vilique opertus.

*Sentus.*)Piloſus, horridus, quaſi ſpinoſus, vt ſunt ij, qui macie attriti ſunt.Terẽt.in Eunuc.Act.2.Sc.2.Video ſentũ, ſquallidum,ægrum,pannis anníſque obſitum.

*Squallidus* *Squallor.* *Squallidus.*)Sordidus,incultus. A. Gellius: in corporibus incultis inquit,ſquamoſis alta congerie ſordium, ſquallor appellatur.vnde & ager non aratus, ſquallidus dicitur. Fit autem à ſqualleo, quod veteres à ſquammarum crebritate & aſperitate,quicquid nimis inculcatum obſitúmque aliqua re erat,ita vt incuteret videntibus horrorem, dicebant. Vergilius,in 2.

*Squallentem barbam,& concretos ſanguine crines.*

Rurſus in 1. Georg.

*Squallent abductis arua colonis.*

*Μονόγραμμος.* μονόγραμμος.)Olim homines macie prętenues,vt author eſt Eraſmus,veſculi,ac decolores, prouerbiali ioco Monogrammi vocabantur. Nonius Marcellus ductum autumat à pictura,quę priùs quàm coloribus corporetur, vmbra fingitur.Conuenit igitur in hominem deformem, nullo aut eodem vultus colore,cuiuſmodi priſcorum erant imagines. Marcus Tullius libro de Natura Deorum ſecundo, ità ait: Non.n. venis & neruis,& oſsibus cõtinentur:nec eſcis nec potionib' veſcũtur, vt aut nimis acres aut nimis concretos humores colligant. Nec iis corporibus ſunt, vt aut caſus

aut ictus extimescant, aut morbos metuant ex defatigatione membrorum. Quæ verens Epicurus monogrãmos deos, & nihil agẽtes, commentus est. Vbi quidem Cicero monogrammos appellat informes, nullâque specie.

*Fletibus largis oppletus lumina.*) Sinecdoche pro oppletis luminibus. *Sinecdoche*

*Voces vnde hausi mæstissimas.*) Allusio est ad illud Virgilianum de Hectore:

*In somniis ecce ante oculos mæstissimus Hector*
*Visus adesse mihi, largósque effundere fletus.*

Et paulò infra:

*Vltro flens ipse videbar*
*Compellare virum, & mœstas expromere voces.*

*Proinde desinas metum.*) Dicimus desine metum, & desine artem ludicram, pro eo quod diceremus, renũcia arti, atque artem vel metũ relinque, omitte. Cicero Mario: Libenter me hercle artẽ desinerem, tecúmque & cum similibus nostris viuerẽ. Vnde ars desita, relicta & omissa dicitur. *Desinere metum.*

*Curæ est mihi haud secus, ac oculi pupilla.*) Cùm quid charum nobis & preciosum indicare volumus, hoc oculorum pupillæ comparamus, quòd nihil ea sit in homine excellẽtius ac prestantius, vtpote qua tota eius imago reluceat, absolutáque vis speculi in oculis contineatur. Quò fit vt Lactantius scintillam luminis adpellet. Et Adolescens Aeschinus dicat apud Terentium in Adel. Act. 4. Sce. 5. Dij me pater omnes oderint, ni magis te quàm oculos nunc amo meos. De pupilla habes plura, apud Plinium lib. 11. cap. 37. *Pupilla oculi.*

*Me affligi interpretor.*) Reputo me æquè atque illum vexari: quod planè syncere amicitiæ est, & integritatis animi, nulla interueniente molestia, nullaq; indignatione aut corrupti aut labefactati. *Interpretari.*

*Quoties illi quicquam est ægrè.*) Aegrè, malè. Virg. *Aegrè.*

*Ergo ægrè rastris terras rimantur.*

Aliàs molestè, dolenter, & iniquo animo.

*Quia hoc inquam patrium est.*) Superiùs à re tractum est argumentum, hoc iam à persona sumitur. *Quia hoc inquam.*) Abundat inquam. *Patrium est.*) Ad patrem syncerum vtique & cordatum spectat. Sic Terentius in Adelph. Hoc patriũ est potius, consuefacere filium sua sponte rectè facere, quàm alieno metu. Hoc pater ac dominus interest. Hoc qui

nequit, fateatur ſe neſcire imperare liberis.

*Communia bona ac mala ducere.* *Communia bona maláque ducere.*) Hoc inter Pythagoreos ortum dicitur. Eſt autem ſenſus: Cordatorum patrum eſt nihil ſingulariter reputare, vel amplecti vt peculiare, ſed æquè aduerſam ac proſperam filiorum fortunam, hoc eſt eorum commoda pariter & incommoda æqui boníque conſulere, quod eſt ingenui patris, & confirmata amicitia, & perſpecta fide filium diligentis. Sic Mitio ille Terentianus cũ de filio ſuo loquitur in An. Act.5.Sc.3. Nã vetus, inquit, verbũ hoc quidẽ eſt, Cõmunia eſſe amicorũ inter ſe omnia.

*Nempe vt dicis.*)Deeſt res habet, vel ita eſt.

*Modus in re qualibet optimus.* *Sed modus eſt in re qualibet optimus.*) Nempe vt non nimis vehemens in vtramque partem exiſtas, aut largitate nimia, aut parſimonia, quemadmodum dicebat Chremes ille Terent. in Heaut. Act.3.Sc.1. Suus, inquit Cicero de Oratore, cuique modus eſt, tamen magis offendit nimium, quàm parum. *Sed modus eſt in re qualibet optimus.*)Quem ſi tranſilias, aut deſeras, aut ab eo deflectis, aberrabis à vero & recto, quemadmodum his verbis adſtruit Horatius:

*Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,*
*Quos vltra citráque nequit conſiſtere rectum.*

Et Iuuenalis:

*Imponſtque modum ſapiens & rebus agendis.*

Senſim, inquit Cicero, & pedetentim progrediens dolor extenuatur, non quod ipſa res immutari ſoleat aut poſsit, ſed id quod ratio debuerat, vſus docet minora eſſe ea quæ ſunt viſa maiora. Hæc ille. 3. Tuſc.

*Aſſequi.* *Si queam aſſequi.*) Obtinere.

*Velis ſolùm dolorem ponere, facilè quieuerit.*)Nihil nẽpe difficile eſt homini volenti: cõtrà, nulla eſt tã facilis res, quin difficilis ſit, quam inuitus facias, quẽadmodũ ait Clitipho apud Terent. in Heaut. Act.4. Sce. 6. Et Syrus in Adelph. Act.3. Sce.3. Vt quiſque ſuum volt eſſe, ita eſt.

*Quieſcere.* *Facilè quieuerit.*)Quieſcere id dicitur, quod eſt inſolens & inquietum.

*Aegritudo.* *Vt ægritudo.*)Dolor. Aliàs infirmitas eſt & morbus, quãuis ad animum frequentiùs referatur.

*Augeſcere.* *Augeſcat.*) Auctior fiat & maior. Capitur enim paſſiuè. Augeſcere autem intrinſecus augmentum ſuum operatur, augere verò extrinſecus.

*Tantùm abest dies vt adimat ægritudinem.*) Adimat, leniat,molliat. Hoc autem à Menedemo in Heauton.Terentiana Act.3.Sce.1. Nominatim refertur adagij vice,in hunc modum: Aut ego profectò ingenio egregiè ad miseriam natus sum, aut illud falsum est quod vulgò audio dici, diē adimere ægritudinem hominibus.Nam mihi quotidie quidem augescit magis de filio ægritudo: & quantò diutiùs abest,magis cupio tantò & magis desidero.Eodem spectasse videtur: Ouidius, quum ait: *Adimere.*

*Quod male fers, assuesce,feres,Bene multa vetustas*
*Lenit.*

*Quod animus iàdudum dictitat.*) Iamdudum hîc de paruo tempore vnius horæ aut semihorę dicitur.Censebat nēpe paulò antè propediem affuturum nūcium,qui statū prodigi commemoraret,quod & hîc repetit. *Dictitat.*) Cōsultoris prudentia ostenditur per frequentatiuum verbum, ne falsò ominatum fuisse videatur, & hac ratione voluisse illudere Pelargū. Significat enim dictitare, idem quod frequentibus temporibus frequentibúsque locis dicere. *Iàdudum.* *Dictitare.*

*Haud longè abesse nuncium.*) Nuncium neutraliter pro re quæ nunciatur. Terentius in Heaut. Act.3.Sce.1.Nunciū apporto tibi. *Nuncium.*

*Haud vanum puto.*)Non vacuum effectu,vel non leue, non inane,nō mendax,non fallax.Quamuis mendax dicatur propriè,quod ad decipiendū mentitur:quod vtrúmquo. Virgilius hoc versu complexus est: *Vanum.*

*Nec si miserum fortuna Sinonem,*
*Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.*

*Abiero igitur ad portitores.*) Ad eos,qui in portu sunt. Sūt autem propriè portitores, qui vectigal portus siue portæ,hoc est,qui portorium datiuum conduxerunt, inferendarum rerum & efferendarum tributū exigentes, quos Publicanos dicimus,& Græci Telonas.Hos Cicero magistros scripturæ appellat. Terentius in Phor.Act.1.Sce.2. Sed epistolam ab eo allatam esse audiui modò, & ad portitores esse delatam. Significat etiam eum qui homines in vlteriorē fluuij ripam, vel de littore ad nauim, vel de naui ad littus traiicit, quem Græci vocant Porthmea, qualem fingunt poëtæ Charontem. *Portitores.*

*Tu me intereà domi operitor.*) Expecta.Terētius in Eunu-

cho. Act. 5. Sce. 2. Vis ne intereà dum is venit, domi operiamur, potiùs quàm hîc antè hostium?

Reuolare. *Mox huc reuolauero.*) Id est, ita festinanter redibo, vt volare potiùs quam currere videar. Translatum ab iis quæ celeriter volant, vel eunt. Terentius in Hecyra, Act. 3. Sce. 4. Ne me frustra illic expectet, vola.

*Omnia timeo, neque quicquam timeo.*) Vox est maximè suspiciosorum & vacillantium, quíque, (vt est in prouerbio) inter sacrum & saxum stant. Ex prouidentia autem timor nascitur sicut ex audacia temeritas. Sic Penelope apud Ouidium:

*Quid timeam ignoro: timeo tamen omnia demens*
*Et patet in curas area lata meas.*

Senatus. *Seditiosus planè cordis mei senatus est.*) Hîc Senatus non pro loco in quo senatores conueniebát accipitur, sed pro ipsis Senatoribus, alludens vtique ad patres illos conscriptos, quorum sententia, nutu, & consulto, omnia apud Romanos agebantur. Primùm quidem per rogationem (vt author est Gellius lib. 1. Noct. Att.) quum rogabatur vnusquisq; sententiã, quam verbis efferebat. Deinde per discessionem, quando plerique idem sentientes, in vnam partem pedibus ibant, alij refragabantur, ex quo quidẽ seditio plerumque oriebatur & hęresis. Vnde Marcus Tullius libro sexto de Repub. declarans seditionis proprietatem, à dissẽsione ciuiũ dictã esse asserit, quòd seorsum irent alij ad aliũ.

*In quo nil consilij consistere queat.*) Qui etenim secũ dissidet, vix vllius aliquando admittere posse consilium videris. Iuxta illud:

*Conueniet nulli, qui secum dissidet ipse.*

Ita vt fit. *Ita vt fit.*] Quemadmodum accidere solet.

Vbi. *Vbi.*) Pro quando.

Impensè. *Impensè cupit.*) Valde, vel nimis, à quo & impensiùs dicitur.

Aduersũ euenire. *Ne nõ aduersum eueniat.*) Nõ abũdat, vt sit, Ne aduersum eueniat: hoc est, præter votũ & animi sententiã, veluti opposito pectore, & ex diametro cum voluntate pugnans.

Inter spem & metum hærere. *Inter spem & metum hæreo.*) Elegãs imprimis ac venustũ prouerbium, quo vtimur, quũ tot auxietatibus, támque ingentibus malis premimur, adeò denique sumus perplexi, vt nesciamus quid aligere pòtissimũ debeam⁹. Duo carnifices

rerũ ſunt,ſpes & metus. Dolor enim & gaudium,præſen-tium rerum ſunt. Virgil.

*Hinc metuunt,cupiúntque, dolent,gaudéntque,nec auras Reſpiciunt.*

Spes, eſt opinio futurorum: metus verò de inſtanti vel futuro periculo mentis trepidatio. Spem colligit ex conſultoris omine,nil filio aduerſi accidere poſſe,vt qui in manu diuina ſit,próque ipſius decreto regatur,è ratione parũ fida opinione fultus, Hæſitãtia autem quadam metuit, ne quid filio pro temporis conditione, eueniat incõmodi.Sic Charinus adoleſcens ille Terentianus in And. Act.2. Sce.1. Væ miſero mihi: vt animus in ſpe atque in timore vſque ante hac attentus fuit: ita poſtquam adempta ſpes eſt,laſſus, cura confectus ſtupet. *Spes. Metus.*

*Huc.*) Id eſt,ad hanc ancipitem hæſitationem. *Huc.*

*Me coniicit gnatus.*) Non immittit dicit, ſed coniicit, quò impetus & iniuria ſibi à filio illata ſignificatur.Sic apud Terentium Dauus in And. Act.3. Sce.4.Expoſtulat quòd ſuum herũ fefellerit,& in nuptias coniecerit herilẽ filium. Dicimus & coniicere ſe in fugam,vel in pedes,pro fugere: coniicere in vincula,pro carceri adiicere: coniicere aliquẽ in lætitiam,pro lætum facere: coniicere tela in hoſtem, pro aggredi telis. *Coniicere.*

*Cuius ſalutem,quam accuro.*) Accurare, ſtudioſè ac diligenter curare eſt. Plautus in Epidico: Remeabo intrò, vt accurantur aduenientes hoſpites. Cicero in Arte veteri: Meliùs accurantur,quæ ſiue conſilio adminiſtrantur. *Accurare.*

*Deploratam eſſe.*) Deperditam,euerſam. Nam deplorare aliâs plorãdi finem facere ſignificat. Vnde deplorata ſalus, vel vita,vel cadauera dicuntur, quibus vltimus luctus perſolutus eſt. Rempublicam verò dicimus deploratã, iam euerſam,vel de qua nihil melioris ſpei ſupereſt. Morbus itẽ vel ſalus,& ægroti deplorati dicuntur,quibus nullo remedio poteſt ſuccurri. *Deplorata.*

*Vt omnia plena ſunt periculis.*) Vt, hoc in loco, idem ſignificat quod ita vt,vel propterea quòd, ſiue ſecũdũ quod. *Vt.*

*Labe.*) Ruina,vel dedecore. Virgil. *Labes.*

*Hinc mihi prima mali labes.*

Deflectitur & in homines vituperatione dignos, infames, ac ſceleroſos,qui à Marco Tullio pleriſque in locis dicũtur

macula,labes,ſordes,lutũ,fex & ſentina vrbis,buſtũ reipub. cœnũ hoĩs,pec⁹,cadauer,& putida caro,ſcel⁹ ac dedec⁹,&c.

*Maculæ.*

*Maculis.*) Sordibus,infamia,turpitudine, vitijs. Terẽtius in Adel. Act.6. Sce.8. Vitium commune omnium eſt, quod nimium ad rem in ſenecta attenti ſumus: hanc maculam nos decet effugere.

*Quoquouerſum.*

*Quoquouerſum.*) Verſus quemcumque locum.

*Certum eſt.*

*Domi nunc deſidere certum eſt.*) Deliberatum eſt apud me & conſtitutum. Terentius in Hecyra.Act.3.Sce.3. Pollicitus ſum, & ſeruare in eo certum eſt,quod dixi fidem.

*Deſidere.*

*Deſidere domi.*) Manere,& cõmorari.Dicimus autem deſedeo,& deſido. Terentius in Hecyra, Act.5. Sce.3. Fruſtrà vbi totum deſedi diem Myconium hoſpitẽ dum expecto.

*Dum.* *Meus.*

*Dum Eubulus redeat meus.*) Dum pro donec: & meus,amanter & beneuolè.

## ACTVS QVINTI Scena Secunda.

ACOLASTVS SOLVS.

*Trimetri.*

*Quis tam duræ eſt mentis, quem non deiecerit*
*In luctum & lachrimas fortuna acerbior*
*Caſus? Argentum quod rebar dudum mihi*
*Fore immortale, vah,quàm pũcto temporis*
*Perijt! Luxuria inopiæ mater,quam mihi*
*Amicam habui vnicè charam omnia abſtulit,*
*Rem,nomen,amicos,gloriam,quid non? Quia*
*Verò nunc non eſt vnde ipſa alatur,ſuam*
*Mihi reliquit gnatam,inopiam. Viuus videns*
*Pereo. Vbi nunc tuceta ſunt & ſplendidæ*

*Dapes? Vbi vinum mirè fragrans? Vbi*
*Tibicines, & omne genus modulaminum?*
*Vbi clientes? Profectò hoc verè dicitur,*
*Fortuna vitrea est, quæ quum splendet, frangitur.*
*Canistellum hoc pœnum dedit parcissimum,*
*Et eundem sordidissimum, quod quum fiet*
*Exhaustum, quid reliquum est, nisi vt aqualiculus*
*Siliquas mihi det cum porcis communes, prius*
*Quàm totus interеam Saguntina fame?*
*Itáne subulcus hîc regno Bœoticas*
*Inter sues, rex pridem splendidissimus?*
*Miser nemo est æquè atque ego. Nunc nunc postulem*
*Frugi esse, nisi nequidquàm hoc postulem, bonis*
*Amissis omnibus. Quid faciam igitur? Quid? In*
*Sordibus istis oportet sordescam magis*
*Ac magis, vnde emergendi spes mihi nulla sit.*
*Vtinam in matris nixu occubuissem infantulus.*
*Vtinam inuisam hanc lucem licuisset rumpere,*
*Potiùs quàm vitam in tantis ærumnis traham.*
*Neque sciam, si meliora etiam instent mortuo.*
*Ego mihi montis ardui casum imprecer,*
*Qui me perdat. Tam non suaue est viuere.*
*Mortis simulachrum qui volet videre, me*
*Contempletur. Quid enim viuum in me aduortitur?*
*Quid sum præter mutum pecus, & sine pectore*
*Corpus? Veh luci. Veh natalibus meis.*
*Tædet cœli conuexa contuerier amplius.*
*Nam vt vnda superuenit vndam: ita alij fluctui*
*Curarum insistit alius, æstuans mare*
*Pectus meum dicas ex vero nomine.*
*Num me deorum quisquam dexter respicit,*
*Quibus tam sum neglectui? haud equidem arbitror.*

*Argumētum.* QVIS *tam duræ est mentis.*) In hac ſcena inter agēdum porcos, impēſiùs diſcruciatur Acolaſtus, ob fœdè deperditam ſubſtantiam, nomē, amicos, & gloriam: tum propter eam ad quam tantam ſuo merito redactus eſt inopiam, vt ſit illi cum porcis edendum, niſi malit extrema fame perire. Quò fit vt natalibus ſuis deſperabundus & lucis tædio affectus malè precetur, ſe maluiſſe aſſerens in materno nixu occubuiſſe, quàm in tantis támque vrgentibus malis vitam dégere.

*Doctrina.* *Quis tam duræ eſt mentis.*) Quemadmodum ciuitas in ſeditione (vt ait Marcus Tullius 1. de Finibus.) non poteſt eſſe beata, nec in diſcordia dominorū domus: ſic animum à ſeipſo diſsidentem, ſecúmque diſcordantem, nullam guſtare poſſe partem liquidæ voluptatis ac liberæ, ſed in perpetuò mœrore degere, hæc ſcena nobis documento eſt & exēplo.

*Dura mens* *Quis tam duræ eſt mentis.*) Dura mens, dicitur crudelis, inexorabilis, cōtumax, id eſt, quæ flecti vel cogi facilè nō poſſit. In ſacris literis dicitur incircunciſa: & duræ ceruicis dicuntur indomabiles.

*Caſus.* *Quam fortunæ acerbior caſus.*) Caſus pro ruina & calamitate, quam inuehit fortuna. Aliâs inopinatus euentus eſt: quandoque ipſamet fortuna. *Acerbior.*) Aſperior, infeſtior. Plerunque immaturū ſignificat, vt ſuperius docuimus.

*Acerbus.*

*Deijcere in lachrymas* *Non deiecerit in luctum & lachrymas.*) Non deflexerit induxerítve ad lachrymandum: lachrymas fundere, & lugere non coēgerit.

*Immortale* *Immortale.*) Perpetuum, nuſquam defuturum quādiu viuerem: ꝙ quæ immortalia ſunt, perpetuò durēt, æterna ſint, immutabilia, atque incorruptibilia. Immortale quoque & ſempiternum, ad deos propriè: perpetuum ad homines pertinet,

*Punctum temporis.* *Vah, quàm puncto temporis perit.*) Quàm breui ſpatio conſumptum eſt ac decoctum. Punctum autem dicitur momentum, id eſt, exiguum ſpatium vel horæ vel temporis. Cicero in Verrem: Cum iſte punctum tēporis nullum vacuum peccato præterire paſſus ſit. Idem in Catilinam: Puncto temporis frui vita & communi ſpiritu nō putat oportere. Eſt quoque punctum apud Mathematicos, indiuiſibilis quædā pars lineæ, cuius, vt inquit Euclides, pars nulla eſt.

*Luxuria inopiæ mater.* *Luxuria inopiæ mater.*) Epitheton eſt perelegans & appo

ſitum, quòd ferè fiat vt ad inopiã redigantur, qui luxui addicti ſunt. Vnde & malorum eſca, à Cicerone dicitur, qua homines capiuntur, vt hamo piſces. Imitatrix eſt, inquit, boni voluptas, malorum mater omnium, cuius blanditiis corrũpuntur, quę natura bona ſunt. Hęc ille primo de legibus.

*Quam mihi amicam habui.*] Mihi, id eſt, in meum damnũ, in meum detrimentum, in meam perniciem. *Mihi.*

*Vnicè charam.*] Vnicè, præter cætera vitia, id eſt, nimis. *Vnicè.*

*Omnia abſtulit.*] Vniuerſali vſus eſt particula, quò ſe ſignificet tum animi, tum corporis, tum fortunę bonis, authore luxuria, exhauſtum.

*Rem, nomen, amicos, &c.*] Singulorum enumeratio eſt. *Res.*

*Rem.*] Diuitias, ſiue imperium, iuxta quod prius intulit, Ex rege nummato ampliter, repente inops, mendicus. Et itẽ quod ſubſequitur, itáne ſubulcus hîc regno Bœoticas inter ſues, rex pridem ſplendidiſsimus.

*Nomen.*] Vel decus, vel generoſitatem, vel nobilitatem generis, vel famam. Virgilius: *Nomen.*

*Et nos aliquid nomenque, decúſque Geſsimus.*

*Amicos.*] Paulus iureconſultus cenſet amicos appellandos, non leui notitia coniunctos, ſed quibus ſint iura cum patrefamilias, honeſtis familiaritatis quęſita rationib9. Hinc Pelargus infra dicturus eſt: viam feci facilem & planam ad virtutis culmina, tu feciſti vt difficilior nepotibus poſthac tuis ſit. *Amici.*

*Gloriam.*] Quæ eſt (finitore Marco Tullio in ea Oratione, quam pro Marco Marcello habuit) illuſtris & peruagata multorum & magnorum vel in ſuos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum. Vel ſic, eodem interprete 3. Tuſcul. Gloria, inquit, eſt ſolida quædam res, & expreſſa non adumbrata: ea eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox benè iudicãtium de excellenti virtute: ea virtuti reſonat tãquam imago gloriæ. Quæ quia rectè factorum plerunque comes eſt, non eſt bonis viris repudianda. Hactenus ille. *Gloria.*

*Quid non.*] Subaudiendum abſtulit? Pulchra apoſiopeſis, quum pro dignitate facinorum, nõ inuenitur quod perditum non ſit. *Apoſiopeſis.*

*Quia verò nunc non eſt vnde alatur, &c.*] Luxuria ignis eſt, qui quandiu ſenſerit ſicca nutrimenta, quibus ceu fomi- *Luxuria ignis.*

te quodam nutriatur inflammétque,perdurat,at vbi deféce rint illa, & in fumum & cinerem verſa fuerint, mox extinguitur ille, nil præter inopes quoſdã & exiguos cineres relinquens.

*Viuus videns.* *Viuus videns pereo.*) Prouerbialis figura eſt, vſurpata ab adoleſcente Terentiano Phœdria in Eunucho, Act,1.Sce.1. Et prudẽs,inquit,& ſciens,viuus vidénſque pereo,nec quid agam ſcio.Vbi quidem Donatus,viuus,inquit,perit,qui etiã dormiens opprimitur.Videns autem,qui vigilans vim patitur & perit. Nam videre pro vigilare poſuit,vt etiam Virgilius,cum de ſilentio dicit:

*-Iámque videnti.*

*Sanguineis frontem moris,& tempora pingit.*

Ergo viuus non mortuus:videns nõ dormiens. Hactenus Donatus.Hoc prouerbio vſus eſt & Marcus Tullius in oratione pro P.Seſtio: Ille,inquit,Cyprius miſer, qui ſemper ſocius, ſemper amicus fuit, de quo nulla vnquam ſuſpicio durior ad Senatũ, aut ad ĩperatores noſtros allata eſt, viuus (vt aiunt) & videns eſt cum victu ſuo ac veſtitu publicatus.

*Vbi nunc tuceta ſunt?*)Ea maximo cum dolore ſuccurrunt inopi ac miſero, quibus, quum ſecũda eſſet fortuna,affluebat.Nam quemadmodum conſcientia bene actæ vitæ,multorúmque benefactorum recordatio, iucundiſsima eſt : ita & turpium ægra moleſtáque memoria.

*Tuceta.* *Vbi nunc tuceta ſunt.*) Tuceta dicuntur genus quoddam farciminis cum carnibus ſuillis minutim conciſis: ſeu,vt volunt quidam, cibi regij, quo ſignificatu hîc verius ſumitur. Perſius:

*-Sed grandes patinæ,tucetáque craſſa*

*Annuere his ſuperos vetuere Iouémque morantur.*

*Splendidæ dapes.* *Et ſplendidæ dapes.*) Dapes ſplendidæ dicuntur,lauti,opipari,magnifici,atque omni ſorditie & auaritia vacantes adparatus,ducta locutione ab ijs,qui operas ſuas ad liberalitatem conuertunt,quos ſplendidos nuncupamus

*Fragrans vinum.* *Vbi vinũ mirè fragrans?*)Fragrans vinũ,odoriferũ dicitur, à frangendo, quòd res fractę olent vehementius. Hinc fragrantia.

*Vbi tibicines,& omne genus modulaminũ?*)Vide quã ſollicitè,quantóque cum luctu ea recenſeat,quibus paulò antè affatim fruebatur.

*Omne genus modulaminum.*) Modulamen siue modulus, cantum & harmoniam significat. *Modulamē*

*Vbi clientes?*)Hîc cliētes pro sectatoribus siue satellitibus, famulisve posuit, forsân Pamphagum & Pantolabum indicans. *Clientes.*

*Fortuna vitrea est.*] Superiorum omnium cōclusio est, & scopus. *Vitrea est.*] Hoc est, fragilis, caduca, debilis, inconstans, quòd nil sit vitro fragilius, adeo vt frangatur fulgore radiorum solarium, quum maximè viget æstus. hinc Marcus Tull. 3. de Orato. O fallacem hominum spem, inquit, fragilémque fortunā, & inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur & corruunt, & ante in ipso portu obruuntur, quàm portum conspicere potuerint. *Vitrea fortuna.*

*Quæ cum splendet frangitur.*] Splendere fortuna dicitur, quum secunda est & prospera, quòd splendidos nos facere videatur & fœlices, ducta tralatione à fulgore solis. *Splēdere fortuna quō dicatur.*

*Canistellum hoc penum dedit.* ] An fortuna dedit hoc canistellum, appositoriè penum parcissimum, & eundem sordidissimum? An canistellum hoc, dedit penum parcissimū? Sed posterior lectio mihi videtur verior, alludens vtique ad veterum morem, quorum erat cœnæ canistris inferre. Hinc natum prouerbium: Vnà cum ipso canistro. Quod Erasmus in eos quadrare asserit, qui rem intemperanter profundunt, deuorántque, & obliguriunt. Est autem canistrum seu canister, & per diminutionem canistellum, genus vasis viminei, in quo longæ vsionis gratia cōtrahunt recondúntque subulci & opiliones ea, quibus ruri vescuntur. *Canistellū.*

*Parcissimum, & eundem sordidissimum.*] Parcissimum, vel ad turpem rustici parsimoniam referendum, vel ad famis vim & angustiam, quæ ita totam inuaserat regionem, vt sumptibus parcendum esset. Sordidissimum autem, ad eam immundam illuuiem, cui adeò immersus erat, vt porcis esset illi conuiuendum. *Parcissimum.* *Sordidissimum.*

*Quod cum fiet exhaustum.*) Fuerit prorsus euacuatum. *Exhaustū.*

*Quid reliquum est, nisi vt aqualiculus, &c.* ] Id est, cum porcis communi sorte manducem? Verba sunt Euangelij apud diuum Lucam capite 15. Et cupiebat, inquit, implere ventrem suum siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. *Nisi vt aqualiculus.*] Aqualiculus, vas dicit, ī quo porci sorbent. Diminutiuū quidē ab aqualicus quod aluum *Aqualiculus.*

vocant, vbi ſordes defluunt, in qua ſignificatione accipitur, & Aqualiculus apud Perſium:

*Aqualiculus.*

*Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extet.*

*Saguntina fames.*

*Prius quàm totus intercam Saguntina fame.*] Id eſt, vehementi & intolerãda deficiam inedia. Abijt autem Saguntina fames in prouerbium ab effectu. Ferunt enim Saguntum Hiſpaniarum oppidum, longa Pœnorum obſidione eò famis redactum fuiſſe, vt ciues extructo in foro igni quicquid habebãt precioſarum rerũ in eum conijcerẽt, ac poſtremò ſéque ſuóſque liberos eodem præcipitarent, ne venirẽt in hoſtium manus. Dicitur quoque & Melita fames, pro ſummæ & acri inedia, à Melo oppido Theſſaliæ, quod Nicias Athenienſium dux obſedit, expugnauítque non tam machinis bellicis, quàm fame. Hæc ferè Eraſmus.

*Melita fames.*

*Subulcus.*

*Itáne ſubulcus hîc regno Bœoticas inter ſues?*] Subulcus is dicitur, cui porcorum nutriendorum cura commiſſa eſt.

*Hîc regno.*] Mirè & eleganter dicit regno, quòd ſubulcus quoque dicatur ſuũ dux, quò alioqui vitæ ante actæ & præſentis librata trutina, viciſsitudinem demonſtret fortunæ, quæ quem eleuat, plerunque in imum deiicit. Vel ad mores ruſticos Bæotorum reſpicit, à quorum ſtupido, barbaro, agreſti, inconditóque animo, vetuſtiſsima parœmia ſtolidus & indoctus homo, Bæotica ſus appellari ſolet.

*Bæotica ſus.*

*Splendidiſſimus.*

*Rex pridem ſplẽdidiſsimus?*] Clariſsimus. Hinc illud quod ſuperiùs dixit: Monarcha ſic regnabo præpotens.

*Miſer nemo eſt æquè atque ego.*] Vox eſt omnibus armis præſidiiſque deſtituti. Summum, inquit Seneca, genus infœlicitatis miſero eſt, fuiſſe aliquando fœlicem. Sic Charinus apud Terẽtium in And. Act. 4. Sce. 2. Quis miſer æquè, atq; ego? Hoc eſt, quod barbarè diceretur, tantum quantũ ego.

*Æquè atque ego.*

*Nunc nunc poſtulem.*] Argumentum eſt ex antecedẽtibus factis, vbi quidem tarditas ipſius & incogitãtia ſubnotatur.

*Poſtulem.*

*Poſtulem.*] Pro poſtulo, ſiue poſtularem.

*Frugi.*

*Frugi eſſe.*] In victu, veſtitu, ſimilibúſque temperans, ſobrius, integer, moderatus, inculpatus. Dicimus & bonæ frugi. Plautus in Pedulo: Cupis me eſſe nequã, tamen ero frugi bonæ. Nequam oppoſuit frugi. Nequam enim nulli eſt vſui. Et ita frugi hominem dicimus, eadem ratione, qua ex oppoſito nequam vel luxurioſum. Aliâs frugi vtilem & neceſſarium ſignificat, quẽadmodum ſuperiùs edocuimus.

Niſi

*Nisi nequidquam.*) Frustra. Virgilius: *Nequidquam.*

*Arma diu senior desueta trementibus aeuo;*

Quidam nequiquam scribi debere contendunt.

*Circundat nequidquam humeris.*

*Quid igitur faciam?*) Inquisitio est ab animi improuidentia, rerúmque agendarum inscitia proficiscens. *Quid igitur faciam*

*In sordibus istis oportet sordescam magis ac magis.*) Determinatio est pręcedentis inquisitionis & scopus, vtpote qui nullum præstantius efficaciúsque in præsentia suarum calamitatum inuenire posit remedium, nisi vt postquã res ita fert, vt iam aliquandiu in sordium suarum proluuie sorduerit, adhuc vrgente necessitate sordidior fiat & inquinatior. *In sordibus sordescere.*

*Vnde emergendi spes mihi nulla sit.*) Propriè dixit emergendi, vtpote ex inhonesta conditione, vtputa subulcica. Cicero: At ne tum quidem emersisti lutulente Cæsoni ex miserrimis naturæ tuæ sordibus. *Emergere.*

*Vtinam in matris nixu occubuissem infantulus.*) Hoc omnino tragicum est. Est nempe sermo eorum, quos maximè tædet viuere. Vtinã quoque desperandi vim habet, vt est illud Demeę Terentiani in Adel. Act.3.Sce.4. Vtinam hoc sit mo dò defunctum. Et Dauus in And. Act.3.Sce.4. Vtinam mihi esset hîc, quò nũc me præcipitẽ darẽ. *Occubuissem.*) Necatus, vel mortuus fuissem. *In nixu matris.*) In partu. Est enĩ nixus, parturientiũ labor. Sumitur & pro alio quouis conatu. *Vtinam.* *Occumbere* *Nixus.*

*Vtinam inuisam hãc lucem licuisset rumpere.*) Licuisset, possibile fuisset, siue concessum, aut potestas data. Estque dicendi modus haud inuenustus, vt cum dicimus: Non licet mihi per te hinc abire, hoc est, tu nõ pateris, vel non vis me hinc abire. *Inuisam.*) Odiosam, quòd cõtra votum nimium videatur. Terent. in Hecyra, Act.4. Sce.2. Hîc video me esse inuisam immeritò. Cicero: Dijs hominibúsque inuisus. *Licuisset.* *Inuisus.*

*Potiùs quàm vitam in tantis ærumnis traham.*) Trahere vitam in ærumnis, est in oneroso labore, anxietatéque animi & sollicitudine viuere. Sic Demea ille Terentianus in Adel. Act.4. Sce.2. Quid hoc (malùm) infœlicitatis? Nequeo satis decernere, nisi me credo huic esse natum rei, ferundis miserijs. Est autem ærumna, finitore Marco Tullio quarto Tusculan. ægritudo laboriosa. Et in secundo de Finibus, Labores non fugiendos, ærumnas appellat. Vnde ærumnosos dicimus, laboribus ac miserijs afflictos. *Trahere vitam in ærũnis.* *Ærumna* *Ærũnosi.*

*Neque sciam.*) Familiare est Comicis subiunctiuum pro indicatiuo ponere.

*Etiam.* *Si meliora etiam instent mortuo.*) Etiam pro adhuc, vel pro prætereà, vt est illud Virgilij:

*Idaúmque etiam currus, etiam arma tenentem.*

Id est, adhuc. Terent. in And. Act. 2. Sce. 2. Etiam puerũ inde abiens conueni Chremis. id est, prætereà.

*Instare.* *Instent.*) Insint, inhæreant, hoc est, si meliùs se habeat mortuus.

*Imprecari.* *Ego mihi montis ardui casum imprecer.*) Imprecari, exoptare est: sumitúrque cùm in bonam, tum in malam partem. Quintilianus: Non imprecamur debilitates, naufragia, morbos.

*Arduus.* *Ardui montis casum.*) Mons arduus, altus dicitur. Aliâs arduus, laboriosum, molestum, ac difficilẽ significat. Ouid.

*Ardua prima via est.*

*Tam non suaue est viuere.*) Vsqueadeò me viuere tædet.

*Mors.* *Mortis simulachrum qui volet videre, me contẽpletur.*) Se mortis imagini comparat ob maciem attritámque valetudinem, quòd mors semper deformis, tetra, ac macilenta pingatur. Vnde à Cicerone. Noctis & Erebi filiam fuisse scribitur.

*Contẽplari* *Me contempletur.*) Contemplari, vt ait Donatus, dictum est à tẽplo, id est, loco qui ab omni parte aspici, vel ex quo omnis pars videri potest, quem antiqui templum nominabant.

*Pecus.* *Quid sum præter mutum pecus.*) Rectè hîc se mutum pecus nominat, qui se priùs dixerat mortis simulachrum. Pecus siquidem de omni animali dicitur, quod humana lingua, & effigie caret. Vel alludit ad prouerbium, Muta persona: quod quadrare asserit Erasmus in eos, qui in consessu deliberantium aut disputantium, aut etiam in conuiuijs cæteris loquentibus soli tacent. Vel certè se mutum pecus adpellat, quòd nunc pecudibus conuiueret, qui paulò antè velut rex quidam splendidissimus, ingenti constipabatur clientela, & sodalitio.

*Sine pectore corpus.* *Cordati.* *Et sine pectore corpus?*) Quasi sine mente, quòd sapientiam & ingenium in pectore atque in corde constituant. Vnde cordatos appellamus, prudentes. Horatius in Epistola ad Abium:

*Non tu corpus eras sine pectore, dij tibi formam*

*Dij tibi diuitias dederant, artemque fruendi.*

Item Ouidius in Heroinis:

*Hunccine tu speras hominem sine pectore, dotes*
*Posse satis formæ Tyndari nosse tuæ?*

Virgilius aliter extulit:

*Auulsúmque húmeris caput, & sine nomine corpus.*

Id est, sine decore, dignitate, cognatione. Haud dissimile priori, viuum cadauer, viuum sepulchrum.

*Vah luci.*) Interiectio execrantis. Insignitur autem diphthongo, vt à vę particula discrepet. *Vah.*

*Vah natalibus meis.*) Natales numero tantum plurali, cõditionẽ sanguinis & familiæ significat, vt generosi vel obscuri natales, & claris natalibus ortus. In vtroque autem numero sumitur pro die, quo quisq; natus est. In qua vtraque significatione potest hîc accipi. *Natales.*

*Tædet cœli conuexa contuerier amplius.*) Hæc cum quadam eiulatione & gestu velut desperantis efferenda sunt.

*Contuerier.*) Fit à Tuor tueris tertiæ inflexionis sicut & alia duo quę inter reliqua à tuor composita in vsu reperiuntur, intuor & obtuor, quæ in infinito contutum, intutum, & obtutum sibi vendicant. Dicimus autem contuor & contueor pro eodem significato, sicut intuor & intueor, obtuor & obtueor, in significatione tamen videndi. Aliâs intuor & obtuor tantùm dicimus. *Contueri.*

*Cœli conuexa.*) Conuexum cœli, curuitas & porrectio ipsa aduersus nos omni ex parte cliuata dicitur. Virg. *Conuexum cœli.*

*Aspice conuexo nutantem pondere cœlum.*

*Nam vt vnda superuenit vndam.*) Figura hysterologia, quia super præpositio non casui cui seruit, sed verbo quasi cum eo compositum sit, iungitur, quale est illud Virgilij: *Hysterologia.*

*-Tyriam, qui adueneris vrbem:*

pro veneris ad Tyriam vrbem. Idem:

*Atque rotis summas leuibus perlabitur vndas.*

Est ergo sensus: Nam vt vnda venit super vndam, ita fluctui curarum insistit alius. Est autem locus à simili, comparationem faciens animi sui angorum ac turbationum ad procellosum mare, quod quẽadmodũ vi ventorũ exæstuat, exundat, & circumagitur: ita ille variis curis circunfluctuet, & paulò momẽto huc illúcq; pererret, & impellatur. Sum- *Locus à simili.*

pta metaphora à periculosè nauigantibus, qui semper post vnius impulsum fluctus, aliũ expectant, succedẽtibus inuicẽ pcellis, iuxta illud: Fortuna obesse nulli cõtenta est semel.

*Aestuans mare.*

*Aestuans mare pectus meum dicas ex vero nomine.*) Persistit in tralatione maris, quòd non minus curis & malorum incursibus agitetur tot facinorum conscius animus, quàm mare turbinibus & procellis impulsum.

*Dicas.*

*Dicas.*) Diceres vel dicere posses.

*Aliquis deorum nos respicit.*

*Num me deorum quisquã dexter respicit?* ) Alludit ad prouerbium, adhuc aliquis deus nos respicit. Quo vti solemus, authore Erasmo, cum in rebus vehemẽter afflictis negamus nos prorsus abiecisse animum, verum esse spei nõnihil. Terentius in Phorm. Act.5. Sce.3. O Iupiter, dij nos respiciunt.

*Esse neglectui.*

*Dexter.*) prosper, propitius.

*Quibus tam sum neglectui.*) A quibus tantopere contemnor, & negligor.

*Haud equidem arbitror.*) Vox est spe prorsus excidentis, & despondentis animum, diffidentísque & humanis & diuinis præsidiis. Est autem figura Subiectio, quum videlicet ipsi respondemus nostræ interrogationi, quale est illud: Ideóne studia deseremus, quòd magnus in his subeundus est labor? Nequaquam.

# ACTVS QVINTI Scena tertia.

## EVBVLVS SOLVS.

*Trochaici catalectici.*

EST *istuc datum mihi, vt nusquam non rectè consulam.*
*Atque videam, nõ solùm quæ sunt ante pedes obuia,*
*Verùm & quæ procul ventura sint, prospiciam longius.*
*Veni ad portitores, vt quæ de Pelargi filio*
*Fama narraret publica cognoscere, quando id patrem*

*Mirè sollicitum teneret. Quid multis ago? Comperi*
*Neutiquam falsa esse, quæ nuper de ipso dedi omnia:*
*Scilicet, Acolastus ad paupertatem pertractus est*
*Adeò pœnitendam, vt ad fruges non poßit corrigi.*
*Taceo, quæ de eo grauiora audiui. Quid restat? Nisi*
*Vt Pelargum repetam, qui curis se afflictat improbis?*
*Nam me (scio) sollicitus expectat, dum ad se redeam*
*domum.*

EST *istuc datum mihi.*) Hîc solus introducitur Eubulus cõsultor, vt quę de prodigo à portitoribus audierat referat Pelargo: à quo quidē totius erroris catastrophe aperitur, idq; intra priuatos parietes, vt moris est Comicis. *Argumētū.*

*Est istuc datum mihi.*) Queadmodum leges omniū salutē (vt author est Marcus Tul. 3. de Finib.) singulorū saluti anteponunt: sic virum bonū, & sapientem, & legibus parētem & ciuilis officij non ignarum, amicorum æquè atque, aut plusquam vnius alicuius saluti consulere oportere, imò & consueuisse, hæc scęna documentum prębet. *Doctrina.*

*Est istuc datum mihi.*) Id est, fato decretóque cōcessum. Terentius in Eunucho, Act. 3. Sce. 1. Est istuc datum profectò, vt grata mihi sint quæ facio omnia. *Datum est.*

*Vt nusquam non.*) Semper, vbique. Nusquam locum negat & significat nullibi, sed cum duæ negationes affirmandi vim obtineant, fit vt affirmatio sit *Nusq̄ non.*

*Rectè consulam, atque videam.*) Vtrunque prudentis est. Hoc enim, vt ait Plinius, sapientis est omnia quæ ventura sunt prouidere. Consuluntur præsentia, futura videntur. Sic Syrus seruus apud Terentium in Adel. Act. 3. Sce. 3. Istuc est sapere, non quod antè pedes modò est videre, sed etiam illa quæ futura sunt prospicere. *Consulere & videre.*

*Non solùm quæ sunt ante pedes obuia.*) Id est, quæ præsentia adsunt, vel imminent. Hæc autem sumpta sunt de illo peruulgato ancillæ dicto, Quod ante pedes est non videt, & cœli plagas scrutatur. *Ante pedes obuia.*

*Verum & quæ procul ventura sunt.*) Procul duo significat, satis longè, & è diuerso non satis longè. Componitur siquidem ex porrò ex longè, quasi longè ab oculis, vel præ *Procul.*

oculis,id est,ante oculos Terentius in Hecyra,Act.4.Scen. 3. Quem cū istoc sermonē habueris, procul hinc stās accepi vxor. Vbi Donatus,procul,inquit, nūc propè significat.

*Prospicere.* *Prospiciam longius.*) Abundat longiùs. Est enim prospicere,ante siue à longè videre. Vbi quidem prudentia nō minima opus est & sagacitate. Aliâs cauere & prouidere:túncque sibi datiuum ascīscit,vt ego iam prospiciam tibi.

*Ratio Comicorum in narrandis & reticendis argumentis.* *Veni ad portitores.* Paucis denarrat prodigi statū,& quæ de eius calamitate à narratoribus intellexerit, quò & retineantur spectatores plausibiliùs, & catastrophe illis faciliùs innotescat. Est enim, authore Donato, alia ratio currentis ad argumenta,alia actuum comicorū:sed perfecti poëtæ est,ita seruire argumēto, vt tñ spectator nouis delectationibus teneat̄,accipiátq; aurib⁹,qđ subijcere oculis poëta nō potuit.

*Quando.* *Quando.*) Coniunctio causalis est,pro siquidem, vel quoniam,vt apud Virgilium:

*Hoc tibi fabor enim,quando hæc te cura remordet.*

Teren.in Adel.Act.3.Sce.2. Postremo quando conscia sum volo à me culpam hanc esse procul.

*Id.* *Id.*) .i.vt cognoscat q̄ de suo filio fama narret publica.

*Mirè.* *Patrem mirè sollicitum teneret.*) Mirè,valde, vehementer, à mirus:vnde mirandum in modum,&mirum in modū,pro maximè,quasi infra rationē. *Patrem sollicitum teneret.*) Variis angoribus,curis,& suspitionibus distractum.

*Patrē sollicitum tenet*

*Quid multis ago.* *Quid multis ago?*) Sic loquimur,vbi ad rei effectum properamus.

*Comperire.* *Comperi neutiquam falsa esse, &c.*) Artificiosè comperi. Comperire nempe propriè,ab alio cognoscere est. Vnde cū dicimus compertum vel exploratum est mihi, subintelligi debet per inuestigationem.

*Neutiquā* *Neutiquam.*) Nullo modo, vel non minus,non valde. Non est enim omnino negatiuum(vt author est Donatus) sed aliquid assensionis habet. Terentius in And. Act.2.Sce. 1. Ego Charine,neutiquam officium esse liberi puto,cum is nihil promereat,postulare id gratiæ apponi sibi.

*Nuper.* *Que nuper de ipso dedi omnia,*) Nuper hîc de proximo tēpore,aliâs de longiore. *Dedi.*) Dixi. Teren.in plog.Heau. Nunc quamobrem has partes didicerim,paucis dabo.

*Dare.*

*Scilicet.* *Scilicet.*) Hac particula vti solemus,quum occultum aliquid, velut coacti, & adacto iusiurando reuellimus, quod

nolle alios ex nobis sciſſe tergiuerſanter fingebamus.

*Acolaſtus ad paupertatem pertractus eſt.*) Id eſt, ad ſummum inopiæ redactus. Et mirè pertractus, quaſi tanta vi adactus, vt nihil ſuperſit: vel perfectè, & ad vltimum totius miſeriæ finem tractus. *Pertractus ad paupertatem.*

*Adeò pœnitendam.*) Deplorandam deperditam. *Pœnitēdus*

*Vt ad fruges non poßit corrigi.*) Id eſt, commutatis ad meliora ſtudia moribus reſipiſcere, quod & ad meliorem frugem ſeſe recipere dicimus. Sumptum videtur ab agris, qui cultu redduntur frugiferi, iuxta illud Naſonis: *Corrigi ad bonas fruges.*

*Fertilis aßiduo, niſi reno uetur aratro,*

*Nil niſi cum ſpinis germen habebit ager.*

Vſurpat M. Tullius in actione pro M. Cælio: Et ſe, inquit, ad bonã frugẽ, vt dicit, recepiſſe, grauéſque homines atq; illuſtres fuiſſe. Plautus in Trinũmo: Certũ eſt ad frugẽ applicare animum. Vnde frugi, & bonæ frugi dicuntur, qui ſuo funguntur officio, præſertim ſerui quos ad operã præſtandam alimus. Plautus in Caſsina. Credo pol eſſe, ſi tu frugi bonæ es. *Frugi, & bonæ frugi*

*Taceo quæ de eo grauiora audiui,*) Sic loqui ſolemus, quum adeò pernicioſa, flagitioſáque, & acerba ſunt, quæ perpetrauit is de quo agimus, vt præ vtriúſque robore & verecũdia vix euulgari debeant. Eſtq́ue figura Præteritio, quam occupationem quidam vocitant, quum videlicet in tranſcurſu dicimus id quod nos negamus velle dicere. Quale eſt illud: Prætereo quòd adoleſcentiam omni ſcelere contaminaueris. Et nolim dicere, quàm turpiter antea geſſeris magiſtratum.

*Pelargum repetam.*) Repetere, redire eſt. Virg.

*Quum primum paſti repetent præſepia tauri.*

*Qui curis ſe affl. ctat improbis.*) Curis improbis, magnis, indignis, miſerabilibus. *Curæ improbæ.*

*Sollicitus.*) Anxius, mœſtus, inquietus, curis affectus. Hinc ſollicitudo, cura dicitur, & mentis inquietudo, quæ inhæret animis. *Sollicitus. Sollicitudo*

# ACTVS QVINTI Scena Quarta.

ACOLASTVS SOLVS.

*Senarij.*

*SCelerata mētis carnificina, vah, quibus*
*Me discruciat modis! vt nusquã sit locus*
*Quietæ menti. Plumbum gestare videor*
*In pectore: adeò graui intus pondere torqueor.*
*An vnquàm desinent oculis meis mala*
*Mea, & quæ admisi turpiter obuersarier?*
*Quæ de inferis narrantur, fabulosa sunt*
*Omnia si non veros experior inferos.*
*Egomet me concoquo, exedo, atque etiam execror.*
*Dignus sum, quem ima tellus dehiscat, ob meam*
*Iniustitiam, quæ tanta est, vt non audeam*
*Vnquam mihi sperare veniam à patre. Nam*
*Eius lene imperium reieci perfidus,*
*Vnde abdicatus, mox diuorti ad pessima*
*Quæque flagitia. Rem omnem confregi turpiter*
*Luxu, infami alea: quid quod scortis dedi?*
*Merito quidem meo hanc inopem vitam incolo,*
*Inglorius viuo, patria careo. Adde quòd*
*Eam maculam incidi, quam nescio si eluam*
*Vnquàm. Vt taceam quòd asperst genus meum*
*Infamibus notis, quòd fabula sum omnibus,*
*Notis, amicis. Tum quid dicam de patre,*

*In quem tot nominibus iniurius fui?*
*Bonis quum corporis, tum animæ mihi datis,*
*Datorem contra, fateor, abusus sum impiè.*
*Vbi nunc Philaute, consultor mihi es meus,*
*Dum consilium simul cum re amisi miser?*
*Vt iussa patris cum sacro volumine*
*Legis contemnerem, id ne author fueras mihi?*
*Deos mihi iratos scio, qui auscultauerim.*
*Porrò, super omnia intolerabilis est fames,*
*Quam gesto in vtero (vbi & dolores excitat*
*Magnos) morte omni atrociorem. Nam neque*
*Siliquis, neque cœno quo immergor, sedare eam*
*Datur, dolor vteri manet, manet fames.*
*Adeò nunquam nisi deterius habebo in hac*
*Regione. Non video, quid restet consilij,*
*Heu me. Quot mercenarij in patris ædibus*
*Abundant panibus, dum ego interim hic fame*
*Pereo? Quiduis possem illic facere, & perpeti,*
*Vt ego ex hac calamitate tanta me extraham.*
*Vel vnus panis ibi hanc leuauerit famem.*
*Agè, agè, quid si patrios postliminio petam*
*Lares? Non ausim, propterea quòd exulem*
*Me illinc feci. Quid si tentem tum? Nihil*
*Egero. Qua frōte enim, quo ore, quibus vestibus*
*Redeam ad patrem, nudus, sceleratus, impudens?*

*Argumētū.*

S*Celeratæ mentis carnificina.*) Hæc scena tertiam continet prodigi ob admissa scelera lamentationem: in cuius calce suam tandem pertæsus calamitatem, patrē deliberat supplex repetere, tentaturus si suorū facinorum veniam vel precibus, vel flebili voce posit illum exorare.

*Doctrina.*

*Sceleratæ mentis carnificina.*) Quemadmodum conscientia rectę voluntatis, benéque actę vitę, maxima (vt inquit Marcus Tullius) consolatio est rerum incommodarum, multo-

rúmque benefactorum recordatio iucundiſsima eſt,ita è diuerſo nihil eſſe miſerius quã animus ſibi conſcius, hæc ſcena nobis exemplum ponit ob oculos. Nam magna eſt (inquit pro Milone) Vis conſcientiæ in vtranque partem, vt neque timeãt qui nihil commiſerint,& pœnam ſemper ante oculos verſari putent,qui peccarint.

*Carnificina.*

*Scelerata mẽtis carnificina.*)Carnificina tria ſignificat. Primũ locus dicitur,in quo ſontes iuſſu poteſtatum à carnifice occiduntur. Significat & crudelitatem tormentorum. Accipitur & pro officio miniſterióque carnificis. Nunc autem dicitur ægritudo animi, quòd inſtar carnificis cruciet,torqueat,lancinet præcordia,laceret animum;excarnificatúmque excruciet. Cic.3.Tuſcul. Nam cum omnis perturbatio miſeria eſt,tum carnificina eſt ægritudo. Habet ardorem libido, leuitatem lætitia geſtiens,humilitatem metus: ſed ęgritudo, quædam maiora, tabem, cruciatum,afflictionem, fœditatem,lacerat,exeſt animum,planéque conficit.

*Vah, quibus me diſcrutiat modis, vt nuſquam ſit locus quietæ mẽti.*) Nihil enim eſt quod æquè diuexet, extorqueãtque hominẽ,ac mẽs mali ſibi cõſcia,quò fit quidẽ,vt vulgò cẽlebratũ ſit vice prouerbij,Cõſciẽtia mille teſtes. Vtpote cuius tãta eſt vis,vt nulla tormẽta meliùs prodãt maleficium, nullúſque carnifex rigidiùs acriúſq; puniat, quàm illa:qua iudice nemo nocens abſoluitur,& quę Satyrographo teſte:

*Conſciẽtia mille teſtes*

*-Surdo verbere cædit.*

*Occultum quatiente animo tortore flagellum.*

*Diræ. Furiæ. Mercurius hermes.*

Hæc eſt ea,de qua ſub dirarum furiarúmque nomine fabulas ſuas circunferunt poëtæ:& quã ſub duodecim irrationabilibus materiæ vltricibus deſcribit Mercurius Trimegiſtus in Pimandro, cap. 13. quæ ſunt ignorantia, triſtitia, incõſtantia,cupiditas,iniuſtitia,luxuries, deceptio, inuidia, fraus,ira,temeritas,malitia.Quæ, inquit,per corporis carcerem incluſum triſtem hominem, ſenſibus pati cogunt aut ab eo,qui eſt dei fretus clemẽtia. Vnde ſciſcitãti alibi ſuo filio Tatio quomodo cruciaretur anima hominis, quódve illius eſſet grauius ſupplicium:impietas,reſpondit ille: vtpote quòd nullius ignis,ardentior flamma ſit,quàm impietatis.Nulláque tam mordax fera,quæ ita corpus laceret, vt impietas lacerat animam. Nam cum ſic vociferatur impius animus,vror,abſumor, quid agam neſcio,deuorant me mi-

*Animæ cruciatus.*

ferum mala vndique confluentia, non video quicquam, heu miser non audio:num vides quot malis premitur ille? tales fili sunt afflicti animi voces,talis naturæ cõgrua mulcta. Hæc ille.

*Plumbum gestare videor in pectore.*) Cicero libro de Nat. Deorum tertio,impietatis conscium animum, conscientiæ graue pondus appellat,quòd nihil sit quod æquè degrauet deprimátque hominem,atque huiusmodi conscientia.

*Plumbum gestare in pectore.*

*Et quæ admisi turpiter obuersari?*)Rursus ille 1. de Fini. Nõ ob ea solũ,inquit incõmoda,quę eueniũt improbis fugiẽda improbitas est:sed multò etiã magis, quòd cuius in animo versatur,nunquam finit eum respirare,nunquã acquiescere.

*Et quæ admisi.*)Plus est authore Donato,admittere,quàm facere. Terentius in Heaut. Act.5. Sce. 2. Quid ego tantum sceleris admisi miser?

*Admittere.*

*Obuersari.*) Assiduè offerri,obiici,præsentari.

*Obuersari.*

*Quæ de inferis narrantur fabulosa sunt.*)Macrobius in Somnio Scipionis cap. 10. Antequam, inquit studium philosophiæ circa naturæ inquisitionem ad tantum vigoris adolesceret, qui per diuersas gentes authores in constituendis sacris ceremoniarum fuerunt, nil aliud esse inferos negarunt,quàm ipsa corpora, quibus inclusæ animæ, carcerem fœdum tenebris, horridum sordibus & cruore patiuntur. Hoc animę sepulchrum,hoc ditis concaua,hoc inferos vocauerunt. Et omnia quæ illic esse credidit famosa persuasio,in nobisipsis, & in ipsis humanis corporibus assignare conati sunt: obliuionis fluuium aliud non esse asserentes, quàm errorem animæ obliuiscentis maiestatem vitæ prioris, qua ante quàm in corpus truderetur posita est, solámque esse in corpore vitam potentis. Et item reliqua quæ illic perlegere poteris. Asserit quoque idem Macrobius Platonicos dixisse inferos non in corporibus esse, id est, non à corporibus incipere: sed certam mundi ipsius partem Ditis sedem, hoc est inferos vocauisse. Marcus Tullius tamen cùm alibi, tum potissimùm in oratione pro Cluentio, falsa esse quæ de inferis traduntur, indubitanter astruit. Seneca quoque in Consolatione ad Martiam, illa, inquit, quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula est. Cui assentitur & Plinius, Si vlli, ait, essent inferi, eos iam refodissent auaritiæ manus. Sed

*Inferi quid.*

*Fluuius Lateus.*

*Diuersæ opiniones de inferis.*

illi ſenſerint quod volent, nos Chriſtiana fulti fide, ea citra vllam hæſitationem credimus: Ibunt,inquit ille, ij in tenebras exteriores,vbi erit fletus & ſtidor dentium. Quorum quis locus exiſtat, multis explicat diuus Gregorius in libris Dialogorum.

*Fabuloſa res.*

*Fabuloſa ſunt.*) Fabuloſa res dicitur, de qua multa finguntur.

*Conſcientiæ remorſus.*

*Si non veros veros experior inferos.*) Meæ conſcientiæ remorſu,ac vellicatione quadam me perpetim infeſtante, atque perpetrati facinoris commonente. Hinc Cicero pro Roſc. Amer. Sua quemque fraus,inquit, & ſuus error maximè vexat,ſuum quémque ſcelus agitat, amentiáque afficit, quæ malæ cogitationes, conſcientiæque animi terrent. Hæ ſunt impiis aſsiduæ domeſticæque furiæ, quæ dies noctéſque pœnas à ſceleratiſsimis repetunt. Et Virgil.

*Quiſque ſuos patimur manes.*

Diuus item Ambroſius in Epiſt. Sibi ipſum, inquit, vnuſquiſque animum ſuum, ſeuerum ſui iudicem, vltorem ſceleris, & vindicem criminis habet. Nullus enim maior eſt dolor, quàm is qui peccati mucrone vulnerat conſcientiã: neque vllum grauius eſt onus,quàm peccatorum ſarcina & pondus flagitiorum: deprimit nempe animam, curuátque vſque ad terram, ne ſe erigere poſsit. Hactenus diuus Ambroſius.

*Tribus capitibus, doloris conſcientiæ acerbitatem cognoſci.*

*Egomet me concoquo, exedo, atque etiam execror.*) Doloris conſcientiæ acerbitatem tribus maximè capitibus perpendi aſſerunt Theologi, quæ hîc videtur tangere. Primum eſt magnitudo adnexi mali. Sequens, eſt potentia rectè aptéque parata & inſtructa ad eius mali patientiam. Poſtremũ, eſt arctus veheménſque cum potentia eiuſmodi affligentis & exulcerantis mali nexus. Origenes quoque ſecundo Periarchon, aſſerit peccatorem ipſum ſibi proprij ignis flammam ſuccendere,eius verò materiam, eſcámque,ac pabulũ peccata eſſe noſtra videntur, quæ ab Apoſtolo Paulo ligna dicuntur,item fœnum,& ſtipula. Cenſendum verò ſicuti in corporibus cibi exuperãtia,vel qualitate diuerſa febrium ſuſcitantur incendia pro fomitis modo:ita & in animis. Vbi enim vitiorum incẽtiua labem aggeſſerint altiùs, malorum efferueſcit cumulus,dirum ſibi tetrámque ſupplicij progignens flammam, cum admiſſorum facinorum bi-

ſtoriam ante oculos propoſitam intueantur, & ipſa ſibi teſtis conſciẽtia propriis agitetur ſtimulis, in pœnæ ardorem formidoloſæ.

*Egomet me concoquo.*) Præ ira ac mentis æſtu conficio. Tranſlatum à digeſtione ciborum,quæ fit calore ſtomachi, & virtute alleotica,eos in ſuccum vertente.Vel à nimia cõcoctione contritionéque carnium in olla plus æquo buliẽte. Vnde & iram concoquere dicimus. *Se concoquere.*

*Exedo.*) Corrodo,depopulor. Terentius in Heaut.Act. 3.Sce.1.Quid te futurum cenſes,quem aſsiduè exedent? Cicero. 3. Tuſcul. AEgritudo lacerat, exeſt animam, planéque conficit. Dicimus autem exedo, dis,vel exes,ſicut à comedo comeſt. *Exedere.*

*Atque etiam execror.*) Horrori abominationíque me ipſum habeo. Virgil. *Execrari.*

*Et terram altricem ſaui execramur Vlyßis.*

*Dignus ſum,quem ima tellus dehiſcat.*) Nouè minúſque vſitatè accuſatiuum adnexuit verbo dehiſcat,cum merè paſsiuè ſignificet,hoc eſt,deorſum peſſúmve aperiri: ſed hîc actiuè pro deglutire ſeu abſorbere accipit. Cicero libro Epiſtolarum ad Atticum nono: Tellus ipſa mihi tunc ampla dehiſcat. Lucianus in Lapithis.Iámque iuxta id quod vulgò dici ſolet,optabam vt mihi terra dehiſceret. Et Virgilius in 4. *Tellus dehiſcat.*

*Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat,*
*Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,*
*Pallentes vmbras herebi, noctémque profundam,*
*Ante pudor quàm te violem,aut tua iura reſoluam.*

*Ob meam iniuſtitiam.*) Iniquitatem,vel nequitiam, vel rebellionem.Eſt enim iniuſtitia,iurium violatio,omniúmque vitiorum cauſſa, atque ſentina Quemadmodum è cõtrario iuſtitia, authore Marco Tullio 3. Offic.Virtus eſt omnium domina & regina virtutum. *Iniuſtitia.*

*Vt non audeam vnquam mihi ſperare veniam à patre.*) Sic Clitipho ille Terentianus in Heaut. Act.5.Sce. 4.Eheu, inquit,quàm ego nunc totus diſpliceo mihi! quàm pudet! Neque quod principium inueniam ad placandum patrem ſcio.

*Nam eius lene imperium reieci perfidus.*) Eius mandatum abieci,reſpui,& pro vili habui.Vnde ait perfidus, id eſt, ei *Reiicere imperium alicuius.* *Perfidus.*

debitam fidem de paterno iure violans. Est enim perfidus, qui fidẽ violat, & prodit. Vnde Perfidia & perfidiosus, plenus perfidiæ.

*Abdicat⁹.* *Vnde abdicatus.*) Primùm perfidus, deinde abdicatus, quia qui promissam vel debitã fidẽ violat, hac re se ab illius alienat cõtubernio, cuius promissæ fidei infractor est & corruptor. Vnde diuus Ambrosius hũc euangelij locũ moraliter explicans, atque vtinã, inquit, nõ recessisset à patre, impedimẽtũ nescisset ætatis. Sed postea quàm peregrè profectus est, cœpit egere. Quid enim longinquius, quàm à se recedere, nec regionibus, sed moribus separari? Studijs discretũ esse, nõ terris, & quasi interfuso luxuriæ secularis æstu, diuortio habere factorem? Etenim qui se à Christo separat, exul est patriæ, ciuis est mundi. Hactenus ille.

*Mox diuorti ad pessima quæq; flagitia.*) Ecce malorum cumulus & fastigium. Alienatio perfidiam sequitur, alienationem paternarúmque institutionũ cõtemptum, vitiorũ omnium sequela. Diuertere autem ad flagitia, est virtutis semita relicta, ad planam vitiorum omnium viã deflectere.

*Diuertere ad flagitia.*

*Rem omnem confregi turpiter.*) Rem suam confringere dicuntur, qui suas facultates patrimoniáque luxuriosè & prodigaliter eluunt, effundunt, & consumunt.

*Cõfringere rem suam.*

*Infami alea.*) Aleam infamem vocat, vel quòd alearum lusu suis rebus deperditis, ad infamiã redactus sit: vel quòd aleæ mala fama laborent, & malè audiant, & à probis viris omnino velut dolosæ scelerosæque reiiciantur. Hinc illud Catonis: Trocho lude, aleas fuge.

*Infamis alea.*

*Quid quod scortis dedi?*) Hæ duæ particulæ quid quod hoc in loco non simul coëunt, sed separatim legi & subdistingui debent, vt sit ecclipsis in hunc modum: Quid, subaudiendum dicam de eo quod scortis dedi? Quasi diceret, id potiùs subticendum est, quàm vel verbis efferendũ, vel demandandum memoriæ, quòd eius meminisse insuaue sit, & animi morbum acriùs excitet, exaugeátque.

*Quid quod*

*Merito quidem meo.*) Mea culpa, & dignè. Titus liuius de bello Macedonico: Frater me accusat nullo meo in se merito. Id est, nullo peccato in se commisso. Aliàs præstito vel dono, meo, tuo, suo. Plautus in Asinar. AEdepol pater merito tuo facere possem. Idem in Cistellaria: Merito vestro amo vos.

*Merito meo.*

*Hanc inopem vitam incolo.*) Vitam inopem incólere, est id quod barbarè diceretur, manere in hac miserabili vita. Terentius in Heaut.Act.1.Sce.1.Nam vsque dum ille vitam illam incolit inopem, carens patria ob meas iniurias, &c. *Incolere vitā inopem.*

*Merito quidem meo hanc inopem vitam incolo.*)Sic Pāphilus in Andria Terentij,Act.3.Sce.5. Atque hoc confiteor iure obtigisse, quando quidem tam iners, tam nullius consilij sum. Ergo precium ob stultitiam fero.

*Inglorius viuo.*) Id est,siue gloria,qui priùs inclitus,clarus,honoratus,sapiens,item rex splendidus habebar. *Inglorius.*

*Patria careo.*) Videtur ad illud Lucianum alludere, Patriæ fumus,igni alieno luculentior.Vel ad illud Homericum,Patria sua cuíque iucundissima. *Patria carere.*

*Adde quod eam maculā incidi.*) Histerologia est seu Allæothera,quam variationem vocat Priscianus pro incidi in maculam. Est autem macula, finitore Festo,quæ fit in veste alba è stillicidio fumoso. Sed hîc ad metaphoricum sensum detorsit pro contaminatione per flagitia famæ honestæ,vel à maioribus traditæ,vel benefactis partæ. Hinc Cicero pro Rosc. Amer. Magnam vim, inquit, magnam necessitatem,magnámque possidet religionem paternus maternúsque sanguis. Ex quo si qua macula concepta est,non modò elui non potest,verùm vsque eò permanat ad animū, vt summus furor atque amentia consequatur. *Macula.*

*Eam maculam incidi.*) Rectè, quia dolis Pamphagi circunuentus atque deceptus.Incidere nempe propriè, est casu venire, aut de improuiso labi, maximè cum accusatiuo iungitur mediante in particula. Venire verò,certo iudicio & sententia, & consultò. Vtrúmque hac sententia complexus est Marcus Cicero Curioni scribens:Quod in id reipublicæ temporis non incideris, sed veneris: iudicio enim tuo nō casu in ipsum discrimē rerū cōtulisti tribunatū tuū. *Incidere.* *Venire.*

*Quā nescio, si eluā vnquam.*) Scitè primùm maculā incidi, deinde eluā: vtrúmq; tamen metaphoricè,cùm eluere lauare significet, seu lauando exhaurire, & purgare. *Eluere.*

*Vt taceam, quòd aspersi genus meum.*) Occupatio.Vt taceā, inquit,& id quidem rectè,quòd Cicerone teste, nihil sit tā tetrū,nihil tā aspernēdū, nihil homine indignius, nihílque destabilius,nec tā contra naturā,quàm turpitudo ac dedecus. Adeò vt si vnum in locum collata sint omnia mala, cum *Nihil turpitudine indignius.*

turpitudinis malo & ignominia non erunt comparāda. Hæc ille 2. Tuſcul.

*Aſpergere genus ſuū.* *Quod aſperſi genus meum.*) Meam contaminaui, infecíque, ac pollui progenié. Eſt enim genus propriè vniuſcuiúſque generationis principium, vel ab eo qui genuit, vel à loco in quo quis genitus eſt. Genus ergo propter patrem, quia vt inquit Donatus, ad viuos genus pertinet, familia ad defunctos. Genus ad nobilitatem refertur, familia ad copias.

*Genus & familia.*

*Notæ infames.* *Infamibus notis.*) Turpitudine, ignominia, dedecore, ac probro. Hinc notare ignominia, afficere dicimus. Horat.

*Multa cum libertate notabant.*

*Fabula eſſe* *Quod fabula omnibus notis.*) Is dicitur aliis eſſe fabula, qui paſsim, vel laudabiliter vel probroſè in ore eſt omni populo, & in vtramque partem celebratur. Horat.

*Quid rides? Mutato nomine de te*
*Fabula narratur.*

Eſſe quoque fabulam, doctè elegantérque vſurpamus, pro eo quod eſt munijs vitalibus perfungi, & abire (vt verbis Plautinis vtar) in communem locum. Perſij Satyrici poëtæ id authoritas comprobat:

*Indulge genio, carpamus dulcia, noſtrum eſt*
*Quod viuis: cinis & manes, & fabula fies.*

Hoc verò ex illo Horatiano apparet profluxiſſe: Iá te premet nox, fabulæque inanes.

*Noti.* *Notis, amicis.*) Noti dicuntur chari, vel cogniti. Terentius in Eunucho, Act. 2. Sce. 2. Omnes noti me atque amici deſerunt. Virgilius.

*Hic inter flumina nota.*

Vbi quidem Donatus ait nota ſignificare chara.

*Tum quid dicam de patre?*) Qui alioqui me tam leni paſſus eſt animo vſque huc, quæcunque meo animo libitum eſt facere? Sic Pamphilus ille adoleſcens apud Terentium in And. Act. 1. Scena 5. Nam quid dicam de patre?

*Quid dicā de patre.* *In quem tot nominibus iniurius fui?* Ad illud ſpectat: Pater futilis eſt, ſomnium, iners, valeat. *Iniurius fui.*) Iniurius dicitur iniquus. Vel iniurius, quòd auſus fuerit contra ordinem iuris paterni agere, quod eò ſpectat, vt filij parentibus per omnia morem gerant, & obſequantur. Terentius in Andriæ Actus 2. Scena 3. Ipſus ſibi eſſe iniurius videatur, neque id iniuria.

*Iniurius.*

Tot

*Tot nominibus.*] Tot modis, tot ſcommatibus,tot compellationibus? *Tot nominibus.*

*Bonis tum corporis, tùm animæ mihi datis, datorem contra, abuſus ſum impiè.*] Rectè impiè, quia abuti, eſt perperàm & nimis licenter aliqua re contra inſtituta vti. Terentius in Phor. Act.2.Sce.3. Itáne tandem quæſo ciuem item vt meretricem, vbi abuſus ſis, mercedem dare lex iubet ei, atque amittere? Vbi quidem Donatus,vtimur,inquit, cum honore,abutimur cum iniuria .Vtimur his rebus, quæ nobis vtentibus permanent . Abutimur his , quæ nobis vtentibus pereunt. *Abuti.* *Vti.*

*Bonis tum corporis,tum animæ mihi datis.*] Hîc theologicè loquitur, quum tantum animi bona ſecundum philoſophos appellanda ſint.In homine autem bona dicuntur hæc à Terentio in Heaut.Act.1.Sce.2. Videlicet parentes,patria incolumis,amici,genus,cognati,diuitiæ. Atque hæc perinde ſunt, inquit Chremes, vt animus illius , qui ea poſſidet , qui vti ſit, ei bona : illi qui non vtitur rectè, mala. *Bona animi & corporis.*

*Datorem contra.*] Haud dubiè quin ſummũ illum rerũ omnium largitorem, & luminum patrem, à quo vtique omne dátum optimum,omnéque donum perfectum deſcendit, vt author eſt Diuus Iacobus . *Datorem contra.* ] Anaſtrophe eſt,vt Italiam contra,pro contra Italiam. *Dator bonorũ omniũ deus.* *Anaſtrophe*

*Vbi nunc Philaute conſultor mihi es meus?*] Auerſio, quæ & Apoſtrophe : quum videlicet mutatur ſubito in oratione perſona,velut alterius compellandi cauſſa . Quæ figura tum demum habet locum,quum iam feruet oratio,miréque facit ad concitandos animos.*Vbi nunc Philaute conſultor mihi es meus.*] Deeſt qui fuiſti, vt ſit, O Philautè vbi nunc mihi es, qui fuiſti conſultor meus in his rebus? Eſt autem cõqueſtio eorum,qui cum diu vel ſuo proprio ductu, vel improborũ congreſſu,cohortatione,& exemplo impune peccauerint, indéque tandem in calamitatem inciderint (vt lento quidem gradu ad vindictam ſui diuina procedit ira, ſed tarditatem ſupplicij grauitate compenſat) pœnas ſuorum ſcelerum ſemel dependunt. Ex quo quidem & natum quod vulgò fertur prouerbium, improbi conſilium, in extremum incidit malum. Et item illud, Conſilium inanium inania. Vnde & vulgò quoque admonemur,ne cæcum ducem,neque amentem conſultorem adhibeamus. *Improbi conſilium.*

*Consilium cum re amittere.* *Dum consilium simul cum re amisi miser.*] Consilium, in bonis animi est: res, in potestate fortunæ. Consilium itaque cum re amittere, est & bonis animi & fortunæ priuari. Terétius in Eunucho, Act. 2. Sce. 2. Quid homo, inquam ignauissime? itáne te parasti, vt spes nulla reliqua in te siet tibi? Simul consilium cum re amisisti?

*Vt iussa patris cum sacro volumine legis contemnerem?*) Ad illud Philauti refertur. Phy. Bibliorum codex est, Valeat. Insiste tuas tibi res curare, &c.

*Id.* *Id ne author fueras mihi?*) Id, frequens est particula apud Terentium, (à quo vtique tota ferè Comœdia desumpta est) variisque modis accepta. Significat autem propter id, vt in And. Act. 1. Scena. 1. Et nunc id operam do, vt per falsas nuptias vera obiurgandi caussa sit. Potest nihilominùs Sinecdoche esse, pro eius rei: ne verò, percunctantis est.

*Ne.*

*Author.* *Author fueras.*] Inductor, impulsor, persuasor. Terentius in Adel. Act. 5. Sce. 8. Id ne estis authores mihi?

*Dij irati.* *Deos mihi iratos scio, qui auscultauerim.*] Terentius in And. Act. 4. Sce. 1. Nescio, nisi mihi deos satis scio fuisse iratos, qui auscultauerim.

*Porrò.* *Porrò.*] Deinde, postea, præterea: habétque vim & implicationem continuarum miseriarum. Sic Terentius in Hecyra, Actus 3. Scena 1. Víxque huc contuleram, hem noua res orta est, porrò ab hac quæ me abstrahat.

*Famē gestare in vtero.* *Quam gesto in vtero.*] Plautina sunt hæc in Sticho, vbi sic loquitur Gelasinus parasitus: Vteri dolores mihi obruuntur quotidie: & item reliqua. Trāslatio est autem à pregnantibus.

*Fames morte atrocior.* *Morte omni atrociorem.*] Non potest esse tanta fames, quæ sit morte atrocior: quum omnium terribilium terribilissima dicatur ab Aristotele: sed tantam iudicat, vt non possit à quoquam sine mortis dispendio tolerari & asperior, & crudelior.

*Excitare dolores.* *Vbi & dolores excitat magnos.*] Exauget, & commouet.

*Sedare.* *Sedare.*] Mitigare, lenire, placare. Dicimus & sedare sitim, pro extinguere.

*Immergi cœno* *Siliquis neque cœno, quo immergor.*] Artificiosè cœno & siliquis, se suámque conditionem non præstantiorem faciés ea, quæ porcorum est. Cœno inuoluuntur porci, itidem & ipse. Pascuntur siliquis, ijs famem eximit & ipse.

*Dolor vteri manet.*] Ob famis sufferentiam. *Manet fames.*] Quia non est vnde sedetur. Quod vtrumque nō mediocrem illi exuscitat dolorē, maximè suis id flagitijs oboriri perpendens. *Adeo.*] Certè, sine dubio. Adeo.

*Non video quid restet consilij.*] Deplorata voce vtitur, vbi nullum cui inniti possit, videt cōsilium, hinc & inde plus satis suæ conditionis deducta libratáque ratione.

*Heu me*] Heu dolentis, seu lugentis interiectio est, sicq; vel absolutè, vel cū accusatiuo iūgitur prōnominis. Virgi. Heu.

*Heu quæ nūc tellus inquit quæ me æquora possunt Accipere.* Aliâs exprobrationem quandam complectitur, túmque cū nomine iungitur. Heu stirpem inuisam. Rursus: Heu pietas, heu prisca fides.

*Quot mercenarij in patris ædibus abundant panibus, &c.*]. Euangelicus textus est apud Lucam, capit. 15. In se autem, inquit, reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo? *Quot mercenarij.*] Mercenarij dicuntur, qui mercedis gratia operam præstant. Mercenarij.

*Quiduis possem illic facere & perpeti.*] Vide quid præstet inopia. Qui dudum, cum res essent saluæ, affectabat vt assurgerent omnes venienti, dextras iniicerent, commessatúmque ducerent: nunc ad inopiam pertractus, minimè detrectat quantúmuis abiecta, & sordida exequi ac tolerare, quò famem vel atro pane vel furfure leuet & eximat. Hinc Horatius Car. 3. ode. 24.

*Magnum pauperies opprobrium iubet;*
*Quiduis & facere & pati,*
*Virtutisque viam deserit arduæ.*

*Vel vnus panis hanc ibi leuauerit famem.*) Deploranda cōditio; cui nec frustum quidem panis adsit, quo vel hanc tātam releuet inediam. Videtur autem ad illud cuiuspiam Laconis alludere, quod à Plutarcho refertur: Si caseū haberem, inquit, nō desiderarē obsoniū: quo sanè vtimur, vbi minimis vilissimísq; cōtēti sum⁹. *Ibi.* id est, in patris ædibus. Leuare famem. Ibi.

*Age, age.*] Vox est sese paululum attollentis, victus vtique intrinsecis hinc inde cōflictantibus rationibus. Teren. in Heaut. Act. 4. Sce. 3. Agè, agè, traducatur Bacchis. Age, age.

*Quid si patrios postliminio petam lares?*] Lares patrij, dicuntur ædes paternæ, à geminis illis, quos fabulantur Patrij lares.

Mercurium sustulisse, ex Lara nympha ab eodem cõpressa, qui à priscis pro diis domesticis colebantur, eos priuatorum domibus præesse credentes, & ad vrbis cõmoda inter compita vigilare. Ex quo quidem factum, vt Lares siue Penates pro ipsis domibus vsurpentur. Horat.

*Qui patrium Numæ donat, fundúmque, laremque.*

*Postliminium.* *Postliminio.*] Quid sit postliminiũ,& vnde cõponatur, explicat Festus, quum ait eum postliminio receptum dici, qui cum extra limina, hoc est, terminos prouinciæ captus fuerit, rursus ad propria reuertitur. Erat itaque à paterna domo alienatus prodigus, vtpote in longinquam regioné profectus,& velut ad hostem peruenerat, quũ à limine, hoc est, patris ditione & imperio exisset. Postliminio verò redire parat, cùm ad idem ipsum limen redire contendit.

*Nõ ausim.* *Non ausim.*] Vacillantis animi est, atque hinc illincque distracti, siue ob admissa scelera trepidantis.

*Illinc.* *Propterea quòd exulem me illinc feci.*) Artificiosè illinc, ad postliminium respiciens, id est, ex illo limine.

*Hysteron proteron.* *Quid si tentem tum?*] Hysteron proteron est, pro quid tum si tentem? *Quid tum?*] Id est, quid inde fiet, vel eueniet, vel erit si experiar? Est autem vox, qua leuiora crimina cõtemnere solemus: vel qua rem nobis cognitam, vel coniectura assecutã aggredi vel nos vel quempiam alium dehortamur, cohortamúrque. Terentius in Hecyra, Act. 4. Sce. 1. Quid tum postea, si modestè ac rarò hoc facit? *Quid si tentem tum?*) Qui aliquid incœpturi sunt multa proponere solent, & affirmare, & refellere quod sit faciendum vel relinquendum, vt nobis exemplo est ac documento Syrus ille Terentianus seruus, dum nouũ quærit consilium de extorquenda à Menedemo pecunia. Quid agam? inquit, aut quid comminiscar? ratio de integro ineunda est mihi. Nihil tam difficile, quin quærendo inuestigari possit. Quid si hoc sic incipiam nunc? Nihil est. Quid si sic? Tantundem egero. At sic opinor. non potest. Imò optumè. Euge optimam habeo. In Heaut. Act. 4. Sce. 2.

*Nihil egero.* *Nihil egero.*] vox desperantis est, & animum prorsus abiicientis.

*Qua fronte, quo ore, quibus vestibus redeã ad patrem?*] Argumentum est à pugnantibus. Summa nanque desperatio est apud patrem reconciliandæ amicitiæ, ad hoc vt facilius

ſuam perferat inopiam, & calamitatem toleret. Sic Gnato apud Terentium in Eunucho, Act.5. Sce.8. Quid nunc? qua ſpe? aut quo conſilio huc imus? quid incœptas Thraſo?

*Qua fronte.*) Frons, authore Eraſmo, habita eſt antiquitus pudori ſacra. Et facies item. Id quod & prouerbio teſtatũ eſt, quo dicunt pndorem eſſe in oculis. Et ob hanc cauſſam frontem Genio priſci conſecrarunt, quemadmodum religioni caput. Hinc & frontem aut faciem prouerbio perfricuiſſe dicuntur, qui pudorem omnem dedidicerunt, velut abſterſo manu á vultu pudore. Huc pertinent etiam illa, quòd Effrontes adpellamus inuerecundos. Vnde quod Horatius dixit, Clament periſſe pudorem cunctì penè patres. Eum æmulatus Perſius, Exclamet, inquit, Melicerta periſſe Frontem de rebus. Hactenus Eraſmus.

*Qua frõte.*

*Effrontes.*

*Quo ore.*) Qua confidentia, qua audacia. Sic autem dicimus, quum aliquid pudendum commiſimus. Vnde os impudens, os durum, os ferreum dicimus, cum impudentiam indicamus. Terentius in Heaut. Act 4. Sce. 3. Nam quo ore appellabo patrem? quid dicam? quã cauſſam adferam? Rurſus in Phor. Act.5. Sce.6. Nam quo redibo ore ad eã quam cõtempſerim? Cicero in Verrem: Os hominis, inſignémque impudentiam cognoſcite. Idem pro C. Rabirio Poſthumo: Quod habent os? quam audaciam?

*Quo ore.*

*Nudus.*) Non ſolùm veſtibus, ſed & bonis omnibus cùm corporis, tum animæ mihi datis.

*Nudus.*

*Sceleratus.*) Pollutus, impurus, improbus, ſordidus, contaminatus omni ſcelere. Hinc illud: vt taceam, quod aſperſi genus meum infamibus notis.

*Sceleratus.*

*Impudens.*) Nullo pudore ſuffuſus.

*Impudens.*

## ACTVS QVINTI Scena Quinta.

PELARGVS, EVBVLVS, ACOLASTVS.

Senarij omnes.

*An' tu?* EV. *Sic est.* PE. *Obsecro te, quid audio?*
*Itan' tandem famam, patriáque tibi bona*
*Acolaste tradidi, vt per flagitia perderes,*
*Mea virtute partam gloriam? viam*
*Feci facilem & planam ad virtutis culmina:*
*Tu fecisti, vt difficilior nepotibus*
*Posthàc tuis sit, qui libidinem malam*
*Virtuti anteposueris. An non æquum fuit,*
*Meo ex præscripto viuere te? Philautus hoc*
*Tibi adiutor fuit, vt huc corrueres mali.*
*Verißima stat sententia, vbi animus semel*
*Cupiditate se deuinxerit mala,*
*Consilia consequi prorsus consimilia.*
*O me bis miserum patrem tali filio.*
EV. *Pelarge mi, quin mittis has querimonias?*
PE. *Iustas parit querimonias iustus dolor.*
EV. *Credo. Sed nunc res poscit, & locus monet,*
*Vt cogites de restituendo filio,*
*Paritérque affectum in eum induas pij patris,*
*Et re declares ipsa, quanti filium*
*Facias: ægrotus non nisi medica manu*
*Opus habet.* PE. *Habet, si spes sit vitæ.* EV. *Est multa adhuc*

*Infilio.* ACO. *Nullus ſum,ſi non quiſpiam*
*Deus mihi,ceu ἀπὸ μηχανῆς appareat,*
*Nam malè ſibi conſciæ menti mors ingruit.*
PE. *Agè quæ ille deſignauit mala,non iam puto:*
*Quin magis in hoc incumbam,vti honorem inglorio,*
*Salutem perdito,vitámque mortuo,*
*Hinc Eubule apprecer.* EV. *Pol te dignum facis.*
ACO. *Sed illud ecce ſubitò aſpiratur mihi*
*Bonum eſſe patrem,facilem,placabilem,pium:*
*Vt attollam caput, illinc ſpem mihi veniæ*
*Affulgere.Hem,quid ſi inſiſtam ad patrem meum*
*Precatiunculam meditari ſupplicem?*
*Pater,peccaui in cœlum & coram te: tuus.*
*Poſthac indignus ſum,qui dicar filius.*
*Sodes pater, velut vnum è mercenarijs*
*Tuis me habeas:nihil operæ quantumlibet*
*Hinc ſordidæ recuſem facere,vt in tuum*
*Municipium adſcribar.Quid hoc? Oratio*
*Placet. Euge,ſurgam,& patris regiam mei*
*Rectà petam contemptis ſordibus. Id agam.*
PE. *Hem,quid?quid cogitas? Num fata filij?*
EV. *Quin dicam quod libenter audias : Tuum*
*Videbis hodie filium.* PE. *Meúmne?* EV. *Ita.*
PE. *Meum obſecro filium?* EV. *Sic diuino.* PE. *Deos*
*Obſecro,vt ne vana ſint, quæ nuncias. Enim-*
*Verò,cupio ipſum iam videre, & alloqui.*
EV. *Non eſſe eum procul à portu nunc arbitror.*
PE. *Agè,viſamus meus ſi redeat particeps,*
*In quem affectum verè patrium modò indui,*
*Præteritorum nihil reminiſcens amplius.*
ACO. *Quid? quò molior iter? ad patrem ne? Maximum*
*Profectò facinus audeo. Nolo. Volo.*

*Ecquo fretus? Nihil referas pedem tamen.*
*Quis ille sibilus? Quò me transuorsum rapit?*
*Præter spem in spem erigor mihi instantis boni.*
PE. *Quando tandem videbo te fili? Nihil*
*Ne te miseret huius patris?* EV. *Quid tam gemis*
*Pelarge? Noli tē macerare.* PE. *Eubule mi,*
*Quid quæso est, quòd mea commouentur viscera*
*Ad istius occursum, quem prospicio procul?*
EV. *Pelarge, filius est.* PE. *Est? Certè est: proruam*
*In illius amplexus.* EV. *Sum verus.* ACO. *Sed patrem*
*Video. Quid porrò agam? Adeōn' ad eum? Scilicet.*
*Pater, peccaui in cœlum, & coram te, neque*
*Posthac sum dignus dici filius tuus.*
PE. *Hem mi fili, ô fili mi.* ACO. *Au, mi pater, fuge has*
*Meas sordes.* PE. *Nihil quicquam offendunt, quia*
*Te amo gnate mi.* ACO. *Obsecro pater.* PE. *Donata sunt*
*Tibi omnia, bono animo es. Places nunquam vt magis.*
AC. *O pietas patris.* PE. *Nūc tollare humo.* AC. *Hoccine*
*Est esse patrem? Hoccine esse filium?* PE. *Heus, citò*
*Proferte stolam primam, & induite filium.*
*Deinde annulum date ei in manum, tum calceos*
*Pedibus ipsius submittite. Subinde vitulum*
*Illum bene saginatum adducite, atque item*
*Mactate, quò sumptis epulis lætemur, &*
*Vno omnes imbuamur gaudio. Quia*
*Hic filius meus iamdudum mortuus*
*Erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.*
*His hus mi fili vestibus induere.* ACO. *Sed ô*
*Quid ego nunc te laudem pater, qui laudibus*
*Es omnibus superior? Hoc certò scio,*
*Nunquàm tam magnificè quicquam dicam, tua*
*Quin id pietas longè superet. Itan'*

*Ex inferis & morte, ad vitam & gaudia*
*Reuocasti me? præ gaudio vbi ſim neſcio.*
*Res nulla poteſt mihi tanta interuenire iam,*
*Vt ægritudinem adferat, tam gaudeo*
*Me patrem habere te. Tibi me dedo libens.*
*Tibi me totum permitto, Tu mihi pater,*
*Tu patronus, tu ſeruator, tu.* PE. *Gnate mi,*
*Ex hinc eris mihi multo coniunctiſsimus:*
*Vna ſalute felix, conuiues mihi.*
*Agè, agè, intrò epulatum concedamus.* EV. *Scilicet.*

*Argumentum.* A *In' tu?*] Omniũ rerum cõuerſionem ad iucundos exitus hęc ſcena cõtinet: in cuius nihilominùs principio vehementer ſeſe diſcruciat Pelargus, ob eã quam de filio famam acceperat. Quem pro virili cõſolatur Eubulus, eidem omine lęto prædicens breui ſe viſurum filium. Tandẽ ſuam inediam plus ſatis pertæſus ille, cõcinnata priùs oratiuncula: ad patrem ſupplex regreditur, eum obnixè poſtulãs, quæ turpiter fœdéque admiſit, ſibi condonari flagitia. In cuius ruens amplexus pater, ne tantillum quidem illius ſordes & pauperiem moratus, eum quàm humaniſsimè excipit. Ob quam quidem rem ſuos omnes amicos ad ſibi congratulandum, vnáque epulandum plauſibiliter conuocat.

*Doctrina.* *Ain' tu?*] Non facilè diiudicari amõrem verum & fictum (vt verbis Ciceronis vtar) niſi aliquod incidat eiuſmodi tempus, vt quaſi aurum igne, ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſsit, hæc ſcena demõſtrat. Nam cætera (inquit ille ſecundo de Finibus) ſunt ſigna communia, amor autem non ſub dubia vtilitatis ratione effici ſolet, ſed ipſe ex ſe oritur, & ſua ſponte naſcitur.

*Ain' tu?*] Hoc ſic legendum venit, vt intelligamus multa verba vltro citróque iter vtróſque ſenes habita præceſsiſſe. Ain' ſiquidem percontatiuum verbum eſt, pro aiſne? Eſtque Apoſtrophos nota, ſeparans quidem è ab n, & intermittens s literæ ſonum. Vbi quidem annotandum venit in ſcena naſci orationem, aut in ſcenam deferri (ſicut ſupra prelibauimus) cùm iam aliquid dixiſſe magni in prę- *Apoſtrophos.*

cedenti oratione ex reſpondentis ſermone demonſtratur. Quod perinde eſt ac ſi diceret, Aiſne meum filium in tam deploratam corruiſſe calamitatem,vt non poſsit iam ad ſalutem hoc malum conuerti? Sic Terentius in Hecyra, Act. tertij.Scena quarta.Ain' tu tibi hoc incommodum eueniſſe iter?

*Obſecro.* *Obſecro te,quid audio?*] Obſecro non tam rogãtis eſt,quàm dolentis. Sic Terẽtius in Eunucho,Act.5.Sce.1.Quid is obſecro ad nos?aut quamobrem adductus eſt?

*Itan'.* *Itan'.*] Itáne.

*Tandem.* *Tandem famam,&c.*] Tandem per interrogationem prolatum,habet vrgens quiddam,& accelerans.Cicero: Quouſque tandem abutere Catilina,patientia noſtra?Eſt autem expletiua coniunctio.

*Parta gloria.* *Vt per flagitia perderes mea virtute partam gloriam.*] Cicero primo Offic. Optima,inquit,hæreditas,quæ à patribus traditur liberis omni patrimonio præſtantior,eſt gloria virtutis rerúmque geſtarum,cui dedecori eſſe,nefas &vitium iudicandum eſt.

*Partam gloriam.*] Propriè partum dicitur,authore Donato,de eo quod labore quæſitum eſt,quòd nullus partus ſine dolore ſit & labore.Terentius in Eunucho,Act.3.Sce.1.Labore alieno magnã partam gloriam verbis ſæpe in ſe tranſmouet,qui habet ſalem,qui in te eſt.

*Via facilis & plana.* *Planum facere.* *Viam feci facilem & planam ad virtutis culmina.*] Tranſlatio eſt de viarum ſtratoribus, aut è loco inæquali qui cultu adhibito aut opera planus fit. Vnde & planum facere,venuſto loquendi modo declarare eſt: & rem difficilem aut dubiam ſoluere,eam explanare &patefacere dicimus.

*Ad virtutis culmina.*]Culmen pro vertice & faſtigio,hîc ſumitur.Aliâs ſummitatem rei alicuius: vel culmum ſeu ſtipulam ſignificat.

*Nepotes.* *Tu feciſti vt difficilior nepotibus poſthac tuis ſit.*] Nepotes hoc in loco poſteri dicuntur,& ex eadem linea tribúve deſcendentes.Sic Virgilius:

*Forte recenſebat numerum,charóſque nepotes.*

Aliquando tamen metaphoricè Nepotes rei familiaris con ſumptores appellantur, ſeu luxurioſæ vitæ homines,à Nepa,quæ, teſte Plinio: Omnes deuorat filios, vno tantum ſaluo. Horatius:

*Vincit enim stultos ratio insanire nepotes.*

*Qui libidinem malam virtuti antepofueris.*] Malam adiecit, propterea quòd libido aliquãdo in bonam partem capitur. Sic Salluſtius in Catilinam: Magíſque in decoris armis, & militaribus equis, quàm in ſcortis & cõuiuiis libidinem habebãt. Eſt autem libido, finitore Donato, quæque voluntas temerè ſuſcepta. Terentius in Heautontim. Actus ſecundi, Scena prima. Ex ſua libidine moderatur, quæ nunc eſt, non quæ olim fuit.

*Libido mala.*

*Libido.*

*Meo ex præſcripto viuere.*] Quod vtique nihil habet pœnitendum, quemadmodum ſuperiùs dixit. Dicitur autem præſcriptum, præceptum, ordo, lex, regula, ſeu forma. Tractum quidem, authore Porphyrione, à magiſtris ludi, ſcripta pueris dantibus, præcipientibúſque imitari. Hinc ad præſcriptum pueri diſcere dicuntur à Seneca, libro quarto Epiſtol. Fit autem à præſcribo, quod præcipere, determinare, & legẽ ponere ſignificat.

*Præſcriptũ.*

*Philautus hoc tibi adiutor fuit.*] Hoc abundat, niſi præpoſitionem ad, vel in, intelligi malis, vt ſit, Philautus ad hoc, vel in hoc, tibi adiutor fuit.

*Hoc.*

*Veriſsima ſtat ſententia.*] Hoc dicit, quò ſuperiora confirmet. Refertur autem à Chremete Terentiano in Heauton. Act. 1. Scena ſecunda, in hunc modum ſuum adhortãte Clitiphonem exemplo ſui cõſodalis Cliniæ. Verùm, inquit, vbi animus ſemel ſe cupiditate deuinxerit mala, neceſſe eſt Clitipho conſilia conſequi conſimilia: hoc ſcitum eſt, periculum ex aliis facere, tibi quod ex vſu fiet.

*Stat.*] Præſtituta eſt, & fixa.

*Vbi animus ſemel.*] Semel immutabilem ferè ac irreuocabilem animi pronitatem in mala deſignat. hinc Ouidius:

*Nulla reparabilis arte*
*Læſa pudicitia eſt deperit illa ſemel.*

*Semel.*

*Cupiditate ſe deuinxerit mala.*] Cupiditas, & bona & mala dicitur, quemadmodum & Cupido.

*Cupiditas.*

*Se deuinxerit.*] Deuincire, perfectè vincire eſt, ac vehementer ligare, ducta tralatione vel à vitibus quum arbores complexæ fuerint, vel ab inſitione arborum, quando ſcilicet ſciſſo trunco, ſurculus fœcundæ arboris inſeritur ſterili: ſiue ab inoculatione, quum vnius arboris oculus alteri adhibetur.

*Deuincire.*

*Consequi.* *Cõsimilia.* *Consilia consequi prorsus consimilia.*)Figura est Schesis ŏno maton. *Cõsequi.*)Vel obtinere,vel exprimere,vel immediatè sequi. *Consimilia.*)Vel moribus, vel doctrinæ eorum quibus cum inierit consuetudinem.Nam,vt ait Donatus,cuius animus in re mala semel corruptus est,in dies fit peior.

*Bis miser.* *O me bis miserum patrem tali filio.*)Se bis miserum vocat ob talem filium,vel quòd natura tam prauum genuisset, vt est illud,Qui vtinám ex me natus non esset:vel quod per flagitia,famam & patria bona,& sua virtute partam gloriá perdidisset ille.

*Induere affectum.* *Pariterque affectum in eum induas pij patris.*) Induas pro adsumas posuit per translationem. Sic Liuius lib. 3. Adeóque nouum sibi ingenium induerat, vt plebicola repentè omnísque auræ popularis captator euaderet.

*Quomodo pater declarat quanti faciat filiũ* *Et re ipsa declares,quanti filium facias.*) Facto & operæ ostendit pater quanti filium existimet, qui eum toto pectore diligit: qui fideli, benigno, & clementi in eum est animo: qui non minùs illius, quàm suam ipsius salutem curat: qui si in aliquod impegerit flagitium,& resipiscens ad eum supplex recurrerit velut in tutum portum, & in gratiam eum admittit,& locus fit misericordiæ. Quæ omnia hîc in Pelargo desiderat Eubulus. Sic Menedemus ille Terentianus Chremeti consulebat: Fac te esse inquit patrẽ sentiat filius: fac vt audeat tibi credere omnia,abs te petere,& poscere,ne quam aliam quærat copiam,ac te deserat.In Heaut. Act. 5. Scena prima.

*Opus habere medica manu.* *Aegrotus non nisi medica manu opus habet.*) In hanc sententiam dictum est à Christo apud Matthæum. Non est opus valentibus medico,sed malè habentibus.Matth.9.

*Probi medici cõsuetudo.* *Habet si spes sit vita.*) Prospicere hîc licet proborum medicorum consuetudinem, qui quoad sint ij, quos curandos susceperunt,valetudinis prorsus deploratæ,à suppeditanda illis medicina non desistunt. At vbi ipsis offuturam sentiunt,tum demũ eos diuino decreto ac regimini relinquũt curandos. Hinc illud quod vulgò dici consueuit frequens: Aegroto dum anima est,spes est.Quo sanè admonemur ne in afflictissimis quidem rebus abiiciendam esse spem.

*Nullus sum.* *Nullus sum.*)Perij,occidi,mortuus sum,quamuis hoc sit vlteriùs,quàm perij,vt author est Donatus. Quia, inquit, cum aliquis periit,reliquum vel cadauer est. Est autem pro-

uerbialis hyperbole, qua,inquit Erasmus,desperationem & ingens malum,hoc est exitium sine spe recuperandæ salutis,significamus.

*Ceu ἀπὸ μηχανῆς.*) Id est ex inuẽtione aliqua diuinitus oblata. Hinc μηχανάομαι machinor ,inuenio, indagor. A quo μηχανὴ,quod machinam significat, artem, inuẽtionem quãdam,necessitatem,& artificium.

ἀπὸ μηχανῆς.

*Nam malè sibi conscia menti mors ingruit.*) Lepidè. Nã nullum potest tormentum dirius infestiúsque homini accidere,quàm animus malè sibi conscius.Sceleris enim pœna(vt author est Marcus Tullius.2.de Legib.)tristis est, & prẹter eos euentus qui sequuntur, per se ipsa maxima existit. Et vt ait in paradoxo.2.improbo nemini benè potest esse,vtpote quòd pœnas luat,nom tam iudicij,quàm angore conscientiæ fraudísque cruciatu.

*Mẽs malè sibi conscia*

*Mors ingruit.*) Imminet. Aliàs inuadere & impetum facere est,quod de bello propriè, pluuia, tempestate, ruina, morte, & huiusmodi dicitur: Vtrinque ducta tralatione à duplici gruum proprietate,Prima,quod more agminis cõuolent:altera, quod clamore simili vtantur, qua milites in prælio incundo.Plautus in Amph. Nostri contrà ingruunt, vicimus vi feroces.

*Ingruere.*

*Agè, quæ ille designauit mala.*) Designare apud veteres duas res significabat, vt author est Donatus. Etenim prauè & rectè facta designata dicebantur. Est itaque designare, rem nouam facere in vtranque partem & bonam & malam. Vnde desiguatio,contractio & conductio populi in vnum dicitur.Hoc autem ei contingit,qui aliquo flagitio populi in se oculos & ora cõuertit,& spectaculo est vulgò: quemadmodum designatores curatores funerum,qui ludis funebribus præerant,& multitudinem retinebant,ob eam caussam quòd ipsis ludis multa fierẽt noua & spectanda. Terẽtius in Adel. Act.1.Sce.2.Modò quid designauit?

*Designare*

*Designatio*

*Designatores.*

*Non iam puto.*) Apheresis est pro reputo,vel imputo, hoc est,nihili facio,vel existimo.Ducta deflexione à resecatione eorum quæ superflua & infrugifera sunt vel in arboribus, vel in vitibus.Terent.in Heaut.Act.5.Sce.1. Mitto iam osculari atque amplexari:id nihil puto. Est & figura Permissio,asseuerationem, aut dissimulationem in se complectẽs.

*Putare.*

*Quin magis in hoc incumbã.*) Obnixè dabo operã, innitar,

*Incumbere*

insistam:sicque frequentiùs à Cicerone cum accusatiuo intercedente præpositione ad vel in, quàm cum datiuo, vtpote quòd illo pacto plus vis insit,quàm hoc modo. Designatur enim quid arduum,vel mirabile,vel onerosum, idque ex præpositionis vi cum accusatiuo iunctæ. Hinc idem Cicero pro Cornelio Balbo mirabile à se factum declarat cum ait: Hoc siue reipublicæ factum,vt etiam in me vnum omnis illa inclinatio communium temporum incumberet. Onerosum,seu arduum,vt idem Cornificio: Te tamē hortor,vt omni cura in rempublicam incumbas,hoc est,sustentandam, siue tuendam quod difficillimum erat.

*Apprecari.* *Hinc Eubule apprecer.*)Valde optem,vel procurem.

*Te dignū facis.* *Pol te dignum facis.*)Id est,rem te dignam patre,cùm videlicet te pium, lenem,& placabilē præ te fers. Id quod subinde explicat Acolastus.

*Ecce.* *Sed illud ecce aspiratur mihi.*)Ecce dicitur,vt inquit Donatus,quum repentè triste aliquid rebus lætis interuenit, aut certè quum aliud agitur,aliud emergit nouum.Est quoque proprium Ciceronis & Virgilij vti hac particula in rebus improuisis,repentinis,& insperatis,quale est illud:

*Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta,*
(*Horresco referens*) *immensis orbibus angues.* Et:
*Ecce trahebatur passis Priameia virgo* *Crinibus.*

Et Cicero: Ecce autem repentè ebrio Cleomene, esurientibus cæteris.&c.

*Aspirari* *Subitò aspiratur mihi.*)Aspirari,afflari est, sumptum à nauigantibus, quibus spirantes auræ fauent. Aliàs accedere, peruenire,assequi,attingere. Cicero in Orat.Ad eam laudē quam volumus,aspirare nō possunt. Et I Tusc.Metrodorus, Occupaui, inquit, te fortuna atque cepi, omnesque aditus tuos interclusi,vt ad me aspirare non posses.

*Facilis.* *Clemens.* *Facilem.*) Facilis est, qui citò iram deponit:clemens,qui nunquam irascitur.

*Vt attollam caput illinc spem mihi veniæ affulgere.*)Perinde est ac si diceret,vt inde sperem veniam me posse consequi meorum flagitiorum à patre.

*Attollere caput.* *Vt attollam caput.*)Eleuem. Translatum vel à prospicientibus in aliquem eminus,vel à fastuosis quum eleuato capite ambulant: vel certè à feris, quarum est, vt ait Cicero, pro animi qualitate vel erigere corpora,vel deponere. Vir.

*Attollitque animos, Panorum qualis in aruis*
*Saucius ille graui venantum vulnere pectus,*
*Tum demum mouet arma leo.*

Terent.in Hecyra, Act.3.Sc.5. Quia paululum vobis accesit pecuniæ, sublati animi sunt.

*Hem.*) Perculsus hac inspiratione prodigus, interiectione potiùs quàm verbo exclamauit. *Hem.*

*Insistam.*) Incipiam. Terentius in Hecyra, Act. 3. Sce. 5. Verùm vide ne impulsus ira prauè insistas Pamphile. *Insistere.*

*Pater peccaui in cœlum, & coram te.*) Verba sunt resipiscẽtis prodigi, ab Euangelio Lucę deprompta cap.15. Surgam, inquit, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Et surgens venit ad patrem suum.

*Peccaui in cœlum.*) Sinecdóche est, continens pro contento, quòd maximè cœlum dei sedes putetur, ídque Christo ea, quam nos docuit, confirmante oratione, quum patrem qui in cœlis est, voluit nos appellare. Et rursus quum à iusiurãdo coërcuit: Ego dico, inquit, vobis nõ iurare omnino, neque per cœlum, quia thronus dei est, neque per terram, quia subsellium est pedum eius. *Peccare in cœlum.*

*Nihil operæ quãtumlibet hinc sordidæ recusem facere.*) Hinc, id est, ex eo quòd indignus sum vocari filius tuus. *Recusem.*) Pro recuso, hoc est, renuo, reiicio quod ex re & cuso compositum, frequentatiuum est verbi Cudo. *Hinc.* *Recusem.*

*Vt in tuum municipium asscribar.*) Aliquem asscribere in suum municipium, est eum in famulitiũ asciscere, & in eorum numerum, qui se in eius imperium dediderunt. Vnde asscripti quondam dicebantur qui in colonias nomina dedissent, vt cæteris coloniis adderentur: & adscripti milites, qui supplendis legionibus asscribebantur. Dicebantur autem municipia, quæ aliunde veniebant in ciuitatem, & quũ suo iure viuerent, muneribus tamen populi Romani honoribúsque fungebantur. Publicis siquidem fungebãtur muneribus, sed non damnosis, vt est Collatio tributorum, & huiusmodi, sed iis solùm quæ ad honorem pertinerent. A quo munere capessendo, sibi nomen vendicauere. Vnde & Municipes dicti, qui in ciuitatem Romanam recepti, munerum participes fierent. *Asscribere aliquem in municipiũ.* *Asscripti.* *Municipia.* *Municipes.*

*Quid hoc?* *Quid hoc?*)Non percunctantis sermo, sed rē apud se meditantis.

*Euge.* *Euge.*)Vox lætantis est, qui optimum inuenerit cōsilium, quale est illud Syri serui apud Terentium in Heaut. Act.4. Scena 2. Euge, optimam habeo.

*Surgam.* *Surgam.*)Quasi qui præ famis angustia, & sordium squallore languidus humi iaceret.

*Et patris regiam mei rectà petam, contemptis sordibus.*) Vide quantam capiat fiduciam de patris facilitate & clementia, vt eum speret nihil suas tantas moraturum sordes & immunditias quibus immergitur. *Et patris regiam.*) Regiam pro domo paterna posuit, quum ea propriè, domicilium & aula regis dicatur. *Rectà.*) Non per nuncium.

*Regia.*

*Rectà.*

*Id agam.* *Id agam.*)Hoc in gestu videtur esse, & figuram corporis obseruantis quid acturus sit, & patrem conuenturus.

*Hem quid* *Hem quid?*)Somniculosum, & velut perplexum Eubulū ad animum reuocat, tētaturus num mortem filij cogitaret, vt ferè fit in rebus, quibus timetur maximè.

*Quin.* *Quin.*)Quasi diceret: Tantum abest, vt mortem filij quoquo modo suspicer, vt etiam augurer eum tibi hodie adfuturum. *Quin.*) Pro quinimo.

*Dicam quod libenter audias.*) Terentianum est in Phormione, Act.3. Scena,2. At nunc, inquit Phædria, dicā quod libenter audias.

*Tuum videbis hodie filium.*)Ex coniecturis prudenter in vnum collatis, quod mox futurum est ita assequitur, vt imminere assueuerit: quò fit sanè, vt sapientem quoque diuinare dicamus, & in prouerbium abierit, quòd qui verum dicit, diuinus sit. Hinc illud Phidippi Terentiani in Hecyra, Act.4. Sce.4. Planè hic diuinat, nam id est.

*Sapiens diuinat.*

*Meúmne.* *Meúmne.*) Magis cum admiratione, quàm cum interrogatione legendum.

*Meum obsecro filium?*)Perpende quàm scienter & appositè paternum affectum erga filium expresit. Addit namque nomen filij, quod fieri consueuit in his quos optauimus, & nondum venisse aut venturos credimus. Sic Menedemus apud Terentium in Heaut. Act. 3. Sce. 1. Nunquidnam de gnato meo audisti Chreme? C. Valet, atque viuit. M. Vbinam est quæso? C. Apud me domi. M. Meus gnatus? C. Sic est. M. Venit? C. Certè. M. Clinia meus venit?

C. Dixi.

c. Dixi. M. Eamus, duc me ad eum obsecro.

*Deos quæso, vt ne vana sint quæ nuncias.*) Diligentiore officio loquitur, quasi se reum apud deos reputans ob abdicatum filiũ vt Sostrata illa Terentiana in Hecyra. Act.3.Sc. 2. Vtinam istuc ita dij faxint. — *Deos quæso.*

*Agè visamus, meus si redeat particeps.*) Suum participem vocat filium, quasi ab eo profligata bona nihil reputãs, sed qui reliquorum suorum partem capere velit. Sic Menedemus apud Terentium in Heaut. Act. 1. Sce. 1. Nec fas esse decreui vlla me voluptate hîc frui, nisi vbi ille huc saluos redierit meus particeps. — *Particeps.*

*Sed quò molior iter?*) Ad illud spectat, Surgam, & patris regiam mei rectà petam: quo iam cœpta via significatur. Moliri nanque iter, peragere est. Virg. — *Iter moliri.*

*Inde datum molitur iter.*

*Ad patrémne?*) Maximè reformidantis vox.

*Maximum profectò facinus audeo.*) Facinus, vel factum, vel scelus, vel confidentiam: alludens vtique ad illud Terentianum in Heaut. Act.2.Sc.3. Non fit sine periculo facinus magnum & memorabile. — *Facinus.*

*Nolo, volo.*) Nutat ambigítque, vtram in partem se deflectat, rationibus hinc atque illinc velut ex æquo adhortantibus ac deterrentibus, iuxta illud: Cum in dubio est animus paulo momento huc atque illuc impellitur. — *Nolo, volo.*

*Ecquo fretus?*) Quibus adminiculis? qua ratione? Sic autem dici consueuit, vbi rebus omnibus cùm animi tum fortunę ita vacui sumus, vt nesciamus qua frõte, quáve fiducia quid adgredi valeamus. *Ecquo fretus?*) Perpendere hîc licet sibi malè consciæ mentis angorem, atque vexationem. — *Ecquo fretus.*

*Nihil referas pedem tamen.*) Primus metus adimit consilium, sed recogitatio reddit. — *Nihil.*

*Nihil referas pedem tamen.*) Nihil pro non, vt apud Terentium in And. Act.1.Sce.2. Nihil circuitione vsus es.

*Nihil referas pedem tamen.*) Referre pedem, reuocare est ac redire, quod ineptè diceretur, Retrahere se. Plautus in Mercatore: Hanc volo priùs rem agi, quàm meum intrò referre pedem. Virgil. — *Referre pedem.*

*Ille pedem referens, & inutilis, inque legatus*
*Cedebat.*

Ouidius in Ponto:

*Turpe referre pedem, nec passu stare tenaci.*

*Quis ille sibilus?*) Videtur alludere ad illud Tullianum in Verrem actione sexta: Sperat hinc afflare auram aliquam, pro eo quod est, ostendi spem. Translatũ quidem vt ait Erasmus, à nautis, qui cùm hærent, mari nimium malacissante, è nubecula aut è mari procul crispante, diuinant fore ventum.

*Quis ille sibilus.*

*Quò me transuorsum rapit?*) In obliquũ trahit & aufert. Id est in hanc atque in aliam partem, debeam ne videlicet patrem adire an non, quod maximè vacillantis est & incerti, parúmque firmi ac stabilis, vtrum in partem flecti debeat.

*Transuersum rapere.*

*Præter spem in spem erigor.*) Præter, pro contra. Terentius in And. Act. 2 Sce. 6. Præter spem euenit, sentio: hæc malè habent virum. *In spem erigor.*) Istud est quod paulò ante dicebat, vt attollam caput, spem mihi veniæ affulgere. Hac autem voce vtimur, cùm confidimus nos hoc assecutuos, de quo priùs diffitebamur.

*Præter spẽ.*

*In spem erigi.*

*Mihi instantis boni.*) Imminentis, & breui affuturi.

*Instãs bonũ*

*Noli te macerare.*) Affligere. Terentius in And. Act. 4. Sc. 2. Tu modò anime mi, noli te macerare.

*Macerare.*

*Nihil te miseret hui⁹ patris?*) Sic Simo ille senex Terẽtianus suo Chremeti dicebat de filio suo Pamphilo, Glycerium miserè amanti: Nonne te miseret mei, tantum laborem capere ob talem filium?

*Quid mea commouentur viscera ad istius occursum?*) Est hominum naturæ comparatum, si quid sit quod maximè timeant, opténtve sibi obuiam fieri, cùm id repentè & insperatò obiicitur, vt commoueantur expallescántque: potissimũ si sibi malè conscia mente torqueantur, cuiusmodi videre est in furibus, scelerosis, amatoribus, & formidolosis.

*Cõmouẽtur viscera.*

*Proruam in illius amplexus.*) Id indicium est summæ clementiæ, intimíque amoris. *Proruam.*) Hoc verbũ cum neutrum sit, quasi actiuo vtitur Terentius in Eunucho. Act. 3. Sc. 5. Vix inquit, elocuta est hoc, foras simul omnes proruũt se, id est prorumpunt. A quo prorutus participium apud Liuium.

*Proruere.*

*Sum verus.*) Veridicus, sicut falsus pro falsidicus. Potest legi & percuntatiuè, & pronunciatiuè.

*Verus.*

*Sed patrem video.*) Concitatiùs hoc legendũ est, & quasi ex insperato.

*Quid porrò agam?*) Porrò, eiusdem significationis est, cuius vero & autem, quarum nihilominus loco ponere non posis. *Quid agam?*) Plus est dicere quid agam, quàm cogitare de fuga. *Porrò.*

*Adeon' ad eum?*) Adeon', pro adeone, éstque præsens pro futuro, & locus deliberationis, an eat ad patrē: vbi quidem vnum ad abundat, quale est illud Terentianū in And. Act. 4. Sce. 1. Sed quid agam? adeámne ad eum, & cum eo iniuriam hanc expostulem? Adeo autem dixit, non accedo, quòd, teste Donato, aditus arduus sit & difficilis. Ergo adeo quasi importunè, & interpellans. *Adeon'*

*Scilicet.*) Suam deliberationem hac voce confirmat, eóque gradu ad patrem properat, suam supplicem pronunciaturus precatiunculam, quam paulò antè texuerat. *Scilicet.*

*Hē mi fili.*) Hē, læti interiectio, vel præ gaudio suspirātis: *Hem.*

*Au mi pater.*) Au interiectio consternatæ mentis, vel submissi animi, vel lachrimantis. *Au.*

*Nihil quicquam offendunt, quia te amo gnate mi.*) Verus amor nihil in amato abhorrescit penitus, nulla re quantūlibet sordida offenditur, nulla inquinatur macula. Quin, Diuo Paulo teste, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat omnia sustinet. Quoquò te verteris (inquit Marcus Tullius in Lælio) præsto est, nullo loco excluditur, nunquam intempestiuus, nunquam molestus est. Nam & secundas res splendidiores facit, & aduersas partiens, communicánsque leuiores. Nec debilitari animos, aut cadere patitur: verumetiam amicum qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur sui. Quocirca & absentes adsunt & egentes abundant, & imbecilles valent, & quod dictu difficilius, mortui viuunt. Hactenus ille. *Ver⁹ amor.*

*Nihil quicquam.*) Parelcon est. Nam abundat quicquam. Nemo enim quisquam, nō dicitur. Terēt. in And. Act. 1. Sc. 1. Cōperiebā nihil ad Pamphilum quicquam attinere. *Nihil quicquam.*

*Obsecro pater.*) Titubans & balbutiens oratio pudore & conscientia: mutila quóque vtpote quam pater intercipit, nimia lætitia affectus: vel quod præ lachrimis prodigus aliud fari nō posit: & idcirco cū gemitu pronūciādū. *Obsecro pater.*) Deest, vt mihi ignoscas, & veniam des meorū scelerū. *Obsecro. pater.*

*Donata tibi sunt omnia.*) Ecce synceri minimeque ficti amoris effectus, nihil simultatis sibi reseruans, quod

postea malignè exprobret. Pro peccato magno, inquit Chremes ille Terētianus, paulū supplicij satis est patri. In And. Act. 5. Sce. 3.

**Bono animo es.**

*Bono animo es.*) Es, pro sis, vel esto. Est autem Imperatiui modi, tēporis præsentis: nam esto, futuri est. *Bono animo es.*) Apparet flēti prodigo hæc omnia dicta esse. Quem vtique decuit verecundum esse, & ex vi tantæ patris clementiæ, & ex metu patiendæ repulsæ ob famam patriáque bona per flagitia tam fœdè deperdita. Sic Mitio adoptiuo filio Aeschino timenti ne quam amabat duceret dicebat: Bono animo es, duces vxorem hanc. Bono animo es, inquam.

**Nunquā vt magis.**

*Places nunquam vt magis.*) Miræ clementiæ genus est, aut animo ignoscere, aut crimen in leuius commutare. *Places nunquam vt magis.*) Modus est loquendi, Romano candore perfusus, pro eo quod illiterati dicerent, Tu nunquā tantū placuisti, quantum nunc mihi places. Sic Terentius in Hecyra, Act. 1. Sce. 2. Amare vt cum maximè dixit, pro eo quod diceretur, sicut vnquam, vel nunquā magis. Et Cic. Quinto fratri: Domus, inquit, celebrabatur, ita vt cum maximè.

**Vt cū maximè.**

**Pietas.**

*O pietas patris!*) Pietas vt ait Cicero pro Plancio, est fundamentum omnium virtutum, qua parentem vt deum vereri, atque nō multo secus ac parētesliberos amare debem⁹.

**Tollare.**

*Nunc tollare humo.*) Tollare, imperatiuus est à tollor: id est, leua te, surge.

**Hoccine est esse patrem.**

*Hoccine est esse patrem? Hoccine esse filium?*) Hoc totum in pronuntiatione est. Hoc enim genus interrogationis, vt ait Donatus, vim negandi exprimit. Est quoque mirantis & laudantis oratio, in qua duas constituit partes: vnam patris, suam alteram faciens. Prima à clementia paterna est, à qua quantò patrem, vt pium clementémque laudibus extollit, tantò se vt impium & peruicacem deprimit, quæ est altera pars. Estque peruersa auxesis, ab excellentibus descendens ad abiecta per amplificationem accusationis. Quasi diceret, hoccine est esse patrem, vt tantùm decoctorem ad se redeuntem post dilapidatam substantiæ portionem, tanto excipiat affectu? Hoccine esse filium, vt tanta pietate patrē contemnere ausus fuerit: eiúsque tam sacra nihilipendere edicta? Hoccine est esse patrem erga tam prodigum filium? Hoccine esse filium, erga tam liberalem patrem? Sic Aeschinus adolescens apud Terentium in Adel. Act. 4. Sce. 5.

Quid hoc est negotij? Hoc est patrem esse? aut hoc est filiũ esse? Si frater aut sodalis esset, quî magis morem gereret? hic non amandus? hiccine non gestandus in sinu est?

*Heus cito proferte stolam primam, & induite filium.*) Verba sunt Euangelij Lucæ, cap. 15. Dixit, inquit, pater ad seruos suos: Citò proferte stolam primam & induite illum: & date annulũ in manũ eius, & calceamẽta in pedes eius, & adducite vitulum saginatum & occidite, & manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est. *Heus, citò proferte stolam primam.*) Proferte, inquit, hoc est, producite palam facite, vel protinus adferte. Aliàs proferre, prolatare, ac differre significat.

*Proferte stolã primã*

*Proferre.*

*Stolam primam.*) Stola apud veteres dicebatur quicquid tegebat, à Stole, quod Græcis indumentum significat. Posteà ad honestarum tantum matronarum vestem, hoc nomẽ translatũ est, quæ vsque ad imos pedes demissa erat. Stolam primam sacrarum literarũ antistites sumũt mysticè pro innocentia illa, quã primi parentes suo lapsu perdiderunt.

*Stola.*

*Deinde annulum date ei in manum.*) Communis assensus fuit veterum, annulũ gestare in digito sinistræ manus, qui minimo vicinus est, quem etiam Medicinalem vocant. Cuius alioqui moris, hæc à Macrobio libro. 7. Satur. cap. 13. ratio asignatur: quoniam, inquit, in sectis humanis corporibus repertum est neruum quendam tenuissimum ab eo digito ad cor hominis peruenire. Et ideo visum est veteribus, vt ille digitus, annulo tanquam corona circundaretur. Huius videtur meminisse consuetudinis diuus Iacobus cum ait cap. 2. suæ Canonicæ: Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem domini nostri Iesu Christi gloriæ. Etenim si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens: &c. Per annulum, fidei signaculũ & expressionem veritatis diuus intelligit Ambrosius.

*Mos veterum in gestandis annulis.*

*Tum calceos pedibus eius submittite.*) Id est, subiicite, subdite. Sic Virg. in 2. Aen.

*Accingunt omnes operi, pedibúsque rotarum*
*Subiiciunt lapsus, & stupea vincula collo* Intendunt.

*Submittere calceos.*

*Subinde vitulum illum bene saginatum adducite.*) Benè saginatus vitulus dicitur, valde pinguis, à sagina, quæ cibus est, quo quis pinguis efficitur.

*Saginatus vitulus.*

*Atque item mactate.*) Interficite. Tractum à sacris, vbi

*Mactare.*

mactari oues dicuntur, quæ immolantur. Virgil.

*Et nigram mactabis ouem, lucúmque reuises.*

Dictum autem macto, quasi magis aucto, id est, augeo, quòd priùs quàm victimam immolarent, thus aut vinum super eam funderent. Hinc mactare, pro magis augere veteres vsurparunt.

*Sumptis epulis.* *Quò sumptis epulis lætemur.*) Hic præteritum posuit pro præsenti, vt sit, quò sumentibus, vel inter sumendum epulas lætemur. Quis enim crederet eum lætari solùm post sumptas epulas, & non item inter sumendum?

*Imbui gaudio.* *Gaudere.* *Lætum.* *Et vno omnes imbuamur gaudio.*) Auxesis. Nam plus est gaudio imbui, quàm lætari. Gaudere nempe, Laurentio valla interprete, propriè est intrinsecus: lætari verò extrinsecus. Hinc lætum adpellamus, quod aspectu gaudium prodit. Imbui autem gaudio dicimus ea significatione, qua imbui literis, imbui bonis moribus, hoc est, aspergi, & perfundi. Dicimus quoque vitijs imbui, pro infici, & inquinari.

*Iamdudū.* *Quia hic filius meus iamdudū mortuus erat, & reuixit: &c.*) Nota hîc Iamdudum de paruo tempore dici, vtputa semihoræ, aut alterius cuiuspiam breuioris tēporis: quò tropicè denotet deum peccaminum nostrorum obliuionem capere, quum primùm nos peccasse ingemuerimus.

*His, his.* *His his vestibus mi fili induere.*) Confirmationem sui gaudij ac lætitiæ, per repetitionem ostendit.

*Sed quid nūc te laudē pater, qui laudibus es omnibus superior?*)

*Quid nunc te laudem.* Locus est à iudicio, authoritate, & honesto. *Sed quid nunc te laudem pater?*) Id est, propter quid, vel vt quid te laudem? Sic Clitipho adolescens ille Terentianus in Adel. Act. 2. Scena 3. O frater, frater, quid nunc te laudem? Satis certè scio, nunquam ita magnificè quidquam dicā, id virtus quin superet tua.

*Reuocare ex morte & inferis.* *Itan' ex inferis & morte reuocasti me?*) Ad illud spectat quod priùs intulit. Quæ de inferis narrantur fabulosa sunt omnia, si non veros experior inferos. Et item: Porrò super omnia intollerabilis est fames, quam gesto in vtero, morte omni atrociorē. *Itan' ex inferis & morte reuocasti me ad vitā & gaudia?*) Sic Pamphilus ille Terentianus Parmenoni dicebat eò quòd sibi nunciasset inuenisse Myrrhinam Bacchidem, quam deperibat, annulū suum habere: Egóne, qui

ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris, sinam sine munere abire à me? ah nimium me ingratum putas.

*Præ gaudio vbi sim nescio.*) Tanta lætitia afficitur, indéque adeò perturbatur, vt apud seipsum iam non sit. Sic Pamphilus adolescens apud Terentium in And. Actus 5. Scena 4. vbi verè resciuit suam Glycerium ciuem Atticam esse, relatu Critonis: Vix sum apud me, inquit, ita animus commotus est metu, spe, gaudio, mirãdo hoc tanto, tam repentino bono. Et in Heaut. Act. 2. Sce. 3. Exclamat Clinia, cum intelligit à Syro seruo suam Bacchidem sui desyderio lachrimis oppleſſe os suum: Præ gaudio, ait, ita me dij amēt, vbi sim nescio.

*Præ gaudio vbi sim nescio.*

*Res nulla potest mihi tanta interuenire iam, &c.*) Id de maximè lætis dicitur. Sic Clinia in Heaut. Actus 4. Scena tertia. Nulla mihi res posthàc potest iam interuenire tanta quæ mihi ægritudinem adferat: tanta hæc lætitia oborta est.

*Nulla res potest tãta interuenire*

*Tibi me dedo libens.*) Benè dedo, quia priùs hostiliter patri obluctatus. Vnde & deditio, quæ in hoste fieri solet, in qua planè victores iubent, victi obsequūtur. Dedere itaque plus est, quàm obsequi.

*Dedere.*

*Vel dedo.*) Id est, in perpetuum do, totúmque me subdo: siue in manus potestatémve, & arbitrium do. Sic Pamphilus in And. Act. 5. Sce. 3. Tibi pater me dedo, quiduis oneris impone, impera. Item in Heaut. Act. 4. Sce. 3. Dedo patri me nunc iam, vt frugalior sim quàm volt.

*Tibi me totum permitto.*) Idem ferè quod dedo: vt, si nihil præsidij miseris adsit, ad præstitutum dim permittemus nos hosti. Terentius in Heaut. Act. 2. Scē. 3. Et me & meum amorem, & famam permitto tibi.

*Permittere se alteri.*

*Tu mihi pater.*) Et genitura, & honore, & religione, & cura. Quo vtique nomine & dij omnes appellantur ob religionem. Vnde pater quasi pueros seruans dicitur. Sic Demea loquitur filio suo in Adel. Act. 5. Sce. 7. Tuus hercle verò & aĩo & natura pater qui te amat plusquã hosce oculos.

*Tu mihi pater.*

*Tu patronus.*) Quia à periculo defendit. Sic Geta apud Terentium in Adel. Act. 3. Sce. 4. In te spes omnis Hegio nobis sita est. Te solum habemus: tu es patronus, tu parens. Vbi quidem Donatus: Patronus inquit, aut temporale nomē est defensoris, aut certe appellatio est p quã ostēdit

*Patronus.*

quid illi cultus & obſequij debeatur. Eſt enim nomen ad aliquid. Parens autẽ, veri authoris nomẽ eſt, & æquali loco continet interpretationem

*Parens.*

*Seruator.* *Tu ſeruator.*) Quòd liberet, ſollicitéque ac diligenter tueatur, & à miſerabili ſeruitute in libertatem aſſerat.

*Apoſiopeſis.* *Tu.*) Apoſiopeſis ſecunda. Sic Terentius in Phor. Act. 3. Sce. 2. Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus, tu.

*Multò & longè.* *Multò coniunctiſsimus.*) Quàm amiciſsimus. In dictionibus enim exceſſum diuerſitatémque cõnotantibus, lõgè & multò, eleganter adhærent ſuperlatiuis. Terentius in Heaut. Act. 4. Sce. 8. Multò omnium nunc me fortunatiſsimum factum puto eſſe gnate, quum te intelligo reſipuiſſe.

*Vna ſalute.* *Fœlix.* *Vna ſalute fœlix conuiues mihi.*) Vna ſalute, vnanimiter, vno animo, vna ſententia & voluntate. *Fœlix.*) Beatus & proſper, qui priùs infœlix, & mendicus.

# PERORATIO.

Nolo putes, spectator optime, hic *Trimetri.*
nihil
Mysterij latere, tectum ludicra
Sub actione. Quippe perdito salus
Vt parta sit homini retleximus, velut
Imagine oculis prodita. Vnde discere
Facilè potes, quæ hominis rebellio in deum.
Et contumacia, quàm meritam accersat sibi
Mortem. Sed exaduerso, habes Dei patris
Sit quanta pietas, qui libenter redditum
Sibi filium recipit, neque exprobrat sua
Ipsi impius commissa: sed complexibus,
Sed osculis in filium totus ruit,
Nihil moratus illius sordes. Amor
Enim haud videt maculam aspersam, & promptè mali
Pridem patrati obliuia accipit. Citò
Qui leditur, parum amet oportet. Iam pater
Cælestis omnes citra controuersiam
Vt amore vincit, ita & reponit filio
Suo beneficia summa pro maleficijs
Summis: facítque vt tota gaudiis domus
Nunc perstrepat, quæ luctuosa dudum erat,
Quæso vicißitudinem rerum vide.
Huc gaudiorum omnes quidem vocamini
Qui astatis istic, si modò agnito malo
Resipiscitis, veniaque spem cum prodigo

*Nepote vobis à patre pollicemini.*
*In hoc adeò ipse parabolam Christus adhibet,*
*Vt quàm dolemus nos Deo aduersarios*
*Iræque nasci filios, tam nos iuuet*
*Contrà in patris longè optimi quod gratiam*
*Rediuimus, per spiritus charismata.*
*Quæ si tibi persuasa erunt, per nos satis*
*Spectator optime, nihil est quod amplius*
*Sperabis à nobis: frui istis gaudijs*
*Tibi datur in omnes dies. Plaude, & vale.*

*Argumentum perorationis.*

NOlo putes spectator optime.) Mysterium illud iam detegit, quod in prologo sub huius fabulæ inuolucro latere dixerat. Asserens prodigi nomine quemlibet intelligi peccatorem, qui à deo misericordiarum ac totius cõsolationis patre, substantia, quę eum pro humani animi captu cõtingere poterat, accepta, hoc est, diuo Augustino interprete, viuere, intelligere, meminisse, vel ingenio alacri excellere: & peregre proficiscés, hoc est, à deo nõ loco quidẽ discedés, qui vbique præsens est, sed affectu eã fœdè ꝓdigit. Qua prorsus consumpta, ad porcos agendos ablegatur, hoc est, immundos spiritus tanta miseria & calamitate consequitur, vt quouis intellectu, castimonia, documento veritatis, notitia genitoris, memoria creationis, & communi sensu exhaustus, earum omnium rerum egenus fiat. Nec id quidem immeritò, vtpote qui thesauros sapientiæ & scientiæ dei, diuitiarúmque cœlestiũ altitudinem derelinquat. Quod tandem solerti perpendens animo & pœnitudine motus non mediocri, cum fiducia ad thronum gratiæ Dei reuertitur: quò misericordiam consequatur, & gratiam inueniat in auxilio opportuno. Qui Deus, vt miserator est & misericors, clemens denique, facilis, & pius: ita priùs quàm accedat peccatorum sarcina depressus homo, occurrit (inquit Ambrosius) ne quis impediat, amplectitur quoque (in occursu enim præscientia est, in cõplexu clementia) & quasi quodã patrij amoris affectu super collum cadit, vt iacétem erigat, & oneratũ peccatis atque in terrena deflexum, refle-

dat id cœlum. Hæc totius Comœdiæ summa.

*Quippe perdito salus vt parta sit homini reteximus.*) Cacosyntheton est. Est autem ordo, Quippe reteximus, vt parta sit salus homini perdito.

*Reteximus.*) Quod tectum erat aperuimus. Tractum à rebus, quas maximè celatas velimus. Virgilius: — *Retegere.*

*Cacúmque dothus scelus omne retexit.* Iuuenalis;

*Si tibi zelotipæ retegantur scrinia mœchæ.*

*Velut imagine oculis prodita.*) Rectè. Nam Comœdia, finitore Marco Tullio, dicitur imitatio quotidianę vitę, & speculum, atque imago veritatis.

*Velut imagine.*) Imaginem Rhetores appellant quandam orationis figuram, quum res non solùm gesta indicatur, sed vt gesta sit ostenditur. Ponitur & pro quacunque similitudine. Etenim similitudo, quasi imitatio dicitur. Ea enim, authore Varrone, ab imitatione deducitur. — *Imago.*

*Prodita.*) Ostensa, patefacta. — *Prodita.*

*Et contumacia.*) Contumax propriè dicitur contemptor potiorum, à quo contumacia, quæ est per tumorem inobedientia. — *Contumacia.*

*Quàm meritam accersat sibi mortem.*) Deest hîc connexiua cõiunctio, vt sit. Et quàm meritam accersat mortem. Est autem sibi mortẽ accersere, mortis occasionem sibi ministrare atque conciliare. — *Mortem sibi accersere*

*Sed & ex aduerso.*) E contrario, è regione. — *Ex aduerso*

*Nec exprobrat sua impius commissa.*) Quin potius sua maledicta, famam, & peccatum in se transfert, quemadmodum in sui fratris laudem iactabat adolescens ille Clitipho in Adel. Act. 2. Sce. 3. Confirmata nempe amicitia & perspecta fide (vt ait Cicero) commemoratio officiorum superuacanea est. Est autem exprobrare, commemorare præstita beneficia cum enumeratione factorũ. Cic. in Lælio: Odiosum est genus hominũ, officia exprobrantiũ, quæ meminisse debet is in quem collata sunt, non commemorare qui cõtulit. — *Exprobrare.*

*Impius.*) More impiorum. Deest autem similitudinis particula, vt sit velut impius, id est, crudelis. Hinc diuus Iacobus in sua Canonica: Si quis indiget sapientia, postulet à deo, qui dat omnibus affluẽter, & nõ improperat, & dabitur ei. — *Impius.*

*Sed complexibus, sed osculis in filium totus ruit.*) Id est, ingẽti amore & amplexatur, & osculatur filium.

*Morari sordes.* *Nihil moratus illius sordes.*) Nihili reputãs eius immundi-tiam.Hinc diuus Paulus in ea quam ad Corinth.scripsit secundam: Omnia,inquit ex deo,qui nos recõciliauit sibi per Christum,& dedit nobis ministeriũ reconciliationis.Quoniam quidem deus erat in Christo mundum recõcilians sibi,nõ reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis.Hæc ille Cap.5.

*Amor nõ videt maculam.* *Amor haud videt maculam.*) Perspice hîc studium illud & ardorem amoris, quem in homine desiderat Marcus Tullius libro primo de Oratore, & sine quo in vita nihil quicquam fieri egregium asseuerat . Sic deus optimus maximus nõ attendit qua peccatorum sorditie scateat peccator, cum ea illi remittit,sed qua fide charitatéque,atque contritione ad eum accedat.

*Et promptè mali pridem patrati obliuia accipit.*) Quoties,inquit per prophetam, ingemuerit peccator, eius peccati non reminiscar. Et diuus Petrus : Non tardat dominus promissiones suas,sicut quidam existimant:sed patienter agit propter vos,nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.secundę Petri tertio.

*Promptè.* *Promptè.*) Absque vlla mora & dilatione.

*Obliuia accipere.* *Obliuia accipit.*) Obliuiscitur.Dicimus autem obliuium & obliuionem.Horatius in Sermon.

*Ducere sollicitæ iucunda obliuia vitæ.*

*Patrare.* *Mali pridem patrati.*) Patrare veteres pro perficere vsurparunt,& id quidem nõ solùm quum opera liberis daretur, verùm & quum aliud quippiã iam incœptum ad finem perduceretũ.

*Patrespatrati.* Vnde & Patrespatrati,qui ad patrandũ,id est, peragendum iuramentum, vbi de fœderibus conuenerat,mitterẽtur. Inde dicti,vt Plutarchus in Problematibus author est, quòd ipse pater patrem haberet, sicque filiis prouideret,&.patrem cõsuleret. Huius cõposita sunt impetro, perpetro,& propetro.

*Citò qui læditur,parum amet oportet.*) Hac lepida venustáque sententia confirmat superiora.

*Citra controuersiam.* *Citra controuersiam.*) Sine ambiguitate & dubio. Est autẽ controuersia propriè, certarum personarum de re propria contentio.

*Deꝰ omnes amore vincit.* *Omnes vt amore vincit.*) Commendat,inquit Paulus,charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccato-

res essemus,secundum tempus Christus pro nobis mortuus est. Multò igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Roma.5.

*Ita & reponit filio suo.*) Id est,ei quem in filium recipit, condonat,& remittit. *Reponere.*

*Beneficia summa pro maleficijs summis.*) Vt vbi (sicut idem ait Paulus)abundauit delictum,superabundet & gratia: & sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam,in vitam æternam. Ro.5.

*Facitque vt tota gaudiis domus nunc perstrepat.* ) Gaudeat, & exultet:iuxta illud Euangelicum : Maius est gaudium in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis,qui non indigent pœnitentia. Luc.15.Propriè autem dixit perstrepat ꝑpter simphoniam, cuius idem Lucas meminit. Nam perstrepere propriè, est pedibus manibúsque cùm aliquid pertractatur,sonum edere.Terentius in Eunuch. Act.3.Sce.5. Abeunt lauatum,perstrepunt,ita vt fit,domini vbi absunt. *Perstrepere.*

*Quaeso vicissitudinem rerum vide.*)Terentius in Eunucho, Act.2.Sce.2.Omnium rerum heus vicissitudo est. *Omnium rerum vicissitudo.*

*Huc gaudiorum.*) Ad hæc gaudia. *Huc gaudiorum.*

*Qui astatis istic.* ) Istic pro hîc, quemadmodum & à quo originem habet pronomen iste,vt apud Ciceronem in Antonium:Cum isto tempore stent cum gladiis armati. *Istic.*

*Cum prodigo nepote,*) Hîc nepotem,pro rei familiaris con sumptore, luxuriosæque vitæ homine posuit, quemadmodum superiùs diximus. *Nepos.*

*Vobis à patre pollicemini.*)Id est,vltrò sine fidei hæsitantia vobis ꝑmittitis: quòd citra fidem fieri nequeat,vt quis deo placeat, & gratus sit. *Polliceri.*

*Vt quàm.*) Quàm pro quantum. *Quàm.*

*Deo aduersarios.*) Repugnantes natura.

*Ireq; nasci filios.*) Eramus,inquit,Paulus, natura filij irę, sicut & cæteri,facientes voluntatem carnis & cogitatuum. Deus autem qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suã,qua dilexit nos,& cum essemus mortui peccatis, cõuiuificauit nos Christo, cuius gratia saluati sumus. Ephe.2. *Filij iræ.*

*Contrà in patris longè optimi quòd gratiam rediimus.* ) Ordo est, contrà tam nos iuuet, quòd in patris longè optimi *Redire in gratiã dei.*

gratiam rediuimus. Rursus diuus Paulus Ephesiis scribens: Nunc in CHRISTO IESV vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine CHRISTI. Ipse est enim pax nostra qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso, in vnũ nouum hominem, faciens pacem vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso: quoniã per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad patrem.

COMMENTARIORVM Gabrielis Prateoli Marcossij, in Comœdiam Acolasti, titulo inscriptam de filio Prodigo finis.

EXCVDEBAT SVIS TY-
pis Mauricius Menier, chalco-
graphus, in ſuburbijs Victoria-
nis, ad Diui Petri inſigne, Anno
domini milleſimo quingenteſi-
mo quinquageſimo quarto, no-
no calendas Nouembris.